SANCTI EPHRAEM SYRI OPERA OMNIA

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA.

1 completo



Hæc Veneranda Syri facies mirabilis Ephræm
Ast animi effigiem scripta diserta docent

Io: Baptista Sintes, Scul. sup. perm.

[illegible]

ܟܬܒܐ ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܣܘܪܝܝܐ

SANCTI PATRIS NOSTRI

EPHRAEM SYRI

OPERA OMNIA

Quæ Exstant Græce, Syriace, Latine,

IN SEX TOMOS DISTRIBUTA

Ad MSS. Codices Vaticanos, aliosque castigata, multis aucta, interpretatione, præfationibus, notis, variantibus lectionibus illustrata

Nunc primum sub Auspiciis

CLEMENTIS XII.


PONTIFICIS MAXIMI

E Bibliotheca Vaticana Prodeunt

Syriacum textum recensuit PETRUS BENEDICTUS Societatis JESU, notis vocalibus animavit, latine vertit, & Variorum scholijs locupletavit.

TOMUS PRIMUS

SYRIACE ET LATINE



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA VATICANA

JO. MARIAE HENRICI SALVIONI TYPOG.

M. DCC XXXVII.

SUPERIORUM FACULTATE.

TATI VESTRAE *aperire minime omitto egregiam operam, quam in hoc Volumine adornando contulit Petrus Benedictus è Societate Jesu, quemadmodum ex Præfatione eidem præfixa manifeste omnibus liquebit; Petrus, inquam, Benedictus, publicus olim Sacrarum Literarum in Pisano Athenæo Professor, mihique vel ab eo tempore magna necessitudine conjunctus: namque dum Florentiæ Monachum indui, nulla alia re felicior mihi fuisse videor, quàm quòd Virum illum omnigena literatura, Linguarum præsertim Orientalium notitia instructissimum, in ea Benedictinorum Abbatia hospitem nactus, & per decem annos, antequam scilicet Societati nomen daret, contubernalem sortitus, saniorum ac severiorum studiorum mysteriis ab eodem fuerim initiatus, quæ ut alacrius deinceps excolerem, diuturnius adhuc meum in florentissimo illo tuo,* BEATISSIME PATER, *Natali solo domicilium effecit.*

Liceat vero mihi, antequam Nuncupatoriam hanc Epistolam concludam, Pastoralis meæ villicationis rationem reddere, de Brixianæ scilicet Cathedralis ædificio, & de Salesianarum Sanctimonialium fundatione, de quibus in prioris Tomi Epistola ad SANCTITATEM VESTRAM *referre muneri meo consentaneum duxi. Magnifici Templi illius moles eo jam perducta est, ut ibidē in proxima sollemnitate Paschali, Deo annuente, sacrum Pontificale celebraturum me fore confidam; siquidem octo Columnæ insignis elegantiæ, & magnitudinis ad concamerati*

fastigii

fastigii sustentaculum jam surgunt, jam pleraque portio marmorei Laquearis sculptili opere exornati omnium oculos ad se rapit, jamque sua nitet in sede Ara maxima, quam Romæ, una cum Candelabris, & Icone, faciendam curavi, ne Romanus cultus in principe Aedis parte desideraretur, ac demum faciem Templi magnifice ornare jam incipit Brixianorum Civium pietas. Salesianum verò in Valle Camunica Monasterium, cui annuum proventum cessi atque sacravi, quem Brixiano Episcopo pendit ea Regio, tantum incrementi in dies accipit, ut nobilioribus meæ Diœcesis Asceteriis propediem accensendum nullus dubitem; cumque ipse sacra Visitatione eam Vallem paucis ab hinc mensibus perlustrarem, valde jucundum mihi fuit ad Cœnobium illud divertere, ac solemniter pro nova Ecclesia ibi ædificanda primarium lapidem benedicere, & imponere. Arduis hisce, aliisque Pastoralis Officii muneribus dum pro modulo meo, divina opitulante gratia, satisfacio, ne animo concidam, magna faciunt exempla SANCTITATIS VESTRÆ, *quæ cũ universalis Ecclesiæ regiminis administratione eximios Põtifices æquet, sic in ea cura, quam exstruendis ornandisque sacris Aedibus impendit, ita excellit, ut omnium judicio Decessores suos superasse merito censeatur. Faxit Deus O. M. ut eosdem quemadmodum vitæ diuturnitate, ita etiam felicitate prævertat, quod dum ex animo opto, Sanctos Pedes deosculor.*

AP-



SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

CLEMENTI PAPÆ XII.

ANGELUS MARIA TITULI SANCTI MARCI

PRESBYTER CRRDINALIS QUIRINUS

Episcopus Brixiensis, & Apostolicæ Sedis Bibliothecarius.

BENIGNITAS illa singularis, qua SANCTITAS VESTRA manibus meis dudum oblatum priorem Tomum novæ Editionis Operum Sancti Ephræm è Vaticanæ Bibliothecæ Lyceo prodeuntem excipere dignata est, eadem mihi persuasit, haud minus liberaliter exceptum iri To-

mum alterum, qui in præsentiarum itidem sub SANCTITATIS VESTRÆ *auspiciis apparet. Sanctissimi, ac celeberrimi illius Patris complectitur iste Commentarios in Sacram Scripturam, cujus arcana eundem Spiritus lumine illustrasse, testatur S. Gregorius Nyssenus: atque Syriacum exhibet Textũ, ipsum scilicet Syri Doctoris idioma, cujus potiundi nulla unquam eruditis Viris restabat spes, horum votis eo tantum tendentibus, ut Græcis saltem fruerentur. Jure itaque ac merito,* BEATISSIME PATER, *Vaticana tua Bibliotheca, cujus mihi curã demandasti, magnopere glorietur, quòd locupletissimam modò Sancti Ephræm Editionem, Græcam scilicet, & Syriacam cum Latinis Interpretationibus proferat; quando illa, quam centum & quinquaginta circiter ab hinc annis Romæ suscepit Gerardus Vossius Præpositus Tungrensis, ac trium Romanorum Pontificum seu jussu, seu favore è Vaticana Typographia evulgavit, Sanctum Ephræm Latine solùm loquentem exhibeat, ea verò, quæ post medietatem seculi decimi septimi, mandante Clero Gallicano de more in Comitiis generalibus congregato, suscepta fuit, non ultra sexaginta folia perducta in ipso conatu defecerit; & postremo, quæ sub initium præsentis seculi prodiit in Anglia, majoribus quidem Sheldoniani Theatri typis ornetur, at Græcum tantummodo Textum, Syriacis proinde, quin ipsis Latinis destitutum repræsentet.*

Quoniam verò sua cuique laus debetur, SANCTI-

TATI

APPROBATIO

CUM Tomum primum S. EPHRAEM Syri operum à P. Petro Benedicto nostræ Societatis è Syriaco latinè versum, & illustratum, aliquot ejusdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ità videbitur, cujus rei gratia has literas manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus.

Romæ 22. Decembris 1736.

Franciscus Retz Præpositus Generalis Societatis JESU

APPROBATIO

EGO infrascriptus jussu Reverendissimi Patris Sacri Palatii Apostolici Magistri, accurate legi Commentaria S. EPHRAEM Syri in Testamentum Vetus è Syriaco in Latinum versa à R. P. Petro Benedicto Syro Maronita è Societate JESU, omniaque ea Catholicæ Doctrinæ consona reperi. In quorum fidem &c. hac die 12. Decembris 1735.

Joseph Simonius Assemanus Bibliothecæ Vaticanæ Custos alter.

APPROBATIO

EX Commissione Reverendissimi Patris Jo: Benedicti Zuanelli Sac. Apost. Pal. Magistri, S. EPHRAEM Syri in Heptateuchum Commentarios à R. P. Petro Benedicto Syro-Maronita Soc. JESU in latinum conversos accuratè perlegi, jussusque meum de ipso opere sensum promere, primum, quæ mea atque omnium Catholicorum esse debet erga Sanctissimum Doctorem reverentia, affirmo, quod de magni Platonis Libris veteres Græci, & Latini dicere solebant: *mirare, & sile.* quid enim? Num aliquid pro dignitate, & merito tanti Patris me dicturum sperarem? aut illum non admirarer tacitus stupentique similis, quem geminum Ecclesiæ Sydus Basilius, & Hieronymus tantopere suspexerunt? quod reliquum mei muneris erat, versionem summa, qua licuit, diligentia examinavi, laudavique docti Interpretis in ejusmodi suscipiendo labore consilium, & in persequendo judicium: Consilium quidem, quod viderem hodie scripturientium numerum admodum increvisse, qui, meo judicio, rectius facerent, si studium, & operam suam in veterum exploratæ fidei libris indagandis, & in lucem emittendis collocarent. Id si fieret, tantum profecto errorum novorumque dogma-

dogmatum procella Christi Ecclesiam neutiquam perturbaret: tales enimvero istorum quidam extiterunt, quibus illud Tullianum merito oggeratur: *Tu procella Patriæ, turbo, & tempestas pacis, & ocii.* Judicium verò, quod doctoris sui sensa, non verba, mentem, non vocem Interpres repræsentare studuerit, & sane quum ipse Romanæ Pater eloquentiæ in vertendis Græcis Oratoribus illud utrumque præstare se posse diffiderit, mirum accidat, si quis uspiam istud sibi arroget in interpretando Syro scriptore, qui ut in suo idiomate disertissimus est, ita à latini sermonis elocutione multo longius, quam Græcus quivis Orator, aut Poeta declinat, quod ergo in hac versione, quum legerem suspexi, quemlibet alium admiraturum puto, primum quidem interpretamenti sinceritatem cum latini sermonis puritate conjunctam: deinde Interpretis in assequendis sui Auctoris sententiis acumen, & parē in explicandis perspicuitatem: quare tute pronuncio, opus tot nominibus insigne publica luce esse dignissimum.

Datum Romæ quinto Idus Novembris Anno reparatæ salutis 1736.

Andræas Scandar Cyprius Syro-Maronita Protonotarius Apostolicus in Romano Archigymnasio Arabicarum literarum Publicus Professor, & Orientalium Linguarum apud S. Sedem, ac Sac. Cong. de Propaganda Fide Interpres.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apostol.

N. Episc. Bojanus Vicesger.

IMPRIMATUR

Fr. Joannes Benedictus Zuanelli Sac. Pal. Ap. Magister Ord. Præd.

PETRI

PETRI BENEDICTI
SOCIETATIS JESU
Ad Emum ac Rmum Dominum
D. ANGELUM MARIAM QUIRINUM
S. R. E. Cardinalem Bibliothecarium
In Novam Operum Sancti EPHRAEM Syri Editionem
PRAEFATIO

BEATI EPHRÆM Syri in Heptateuchum comentarios hortatu, jussuque tuo, Cardinalis Amplissime, in Latinum converti, summa cum animi mei voluptate, tum quia mirifice tuo delectabar imperio, tum quia res erant ejusmodi, ut ipse mecum statuerem, nihil à te imperari potuisse, quod vel supremum S. R. E. Bibliothecarium, magis deceret, ve quod universam Ecclesiam magis ornaret, ac firmius muniret. Enim verò cum inter veræ Christi Ecclesiæ notas præcipua semper habita fuerit conspiratio in doctrina cum Ecclesia antiqua, quem hujus rei testem magis idoneum appellaremus, quam Divinum illum Ephræm Doctorem, Græcis, Latinis, Barbaris ob vitæ sanctimoniam, & sapientiæ laudem spectatissimum, eundemque in Mesopotamia scribentem, in ea nempe Provincia, quæ præter Christi nomen, & Apostolorum doctrinam nihil commune usquam, vel unquam habuit cum Græcis, aut Latinis, non mores, non ritus, non linguam, adeò ut nemo suspicari queat, ejusmodi testimonium comerciorum consuetudini, adulationi Principum, aut affinitatum necessitudini concessum. Cæterum cum Sancti Ephræmi doctrinam proponimus, non unius Syri Scriptoris producimus judicium, sed omnium Syriaci nominis gentium suffragia recitamus. Quemadmodum enim, quando Augustinum, aut Cyprianum Christianam doctrinam explicantes audimus, non eos attendimus, quasi ex solo suo sensu loquentes, imo verò velut universæ Africæ Ecclesiarum interpretes reveremur, ità profecto, si nobis ipsi constare velimus, scripta relegentes celeberrimi Doctoris, quem Syri ipsi suum profitentur Prophetam, divinorumque oraculorum interpretem, hunc velut receptę apud omnes Syriaci ritus Ecclesias doctrinæ testem admittere debemus. Syriacus porro ritus præter utramque Syriam, Persi-

Persidem obtinebat, & Indiam, atque ultimas Oriētis oras, id perspicue testantur adhuc exstantia apud Sinas antiqua monumenta, Sinicis, & Syriacis literis exarata. Sed nec tantæ auctoritatis testimonium licebit imposterum reiicere quorumdam Criticorum judicio, qui ex Vossiana, vel Oxoniensi editione audientes magnum Ephræmū, vitio non suo Græce balbutientem, & humili stylo ad Monachos de sua plerumque professione disserentem, Græcum aliquem de trivio Eremicolam crediderunt; quin imó iidem illi parum æqui judices, quum audient eloquentissimum Doctorem suis verbis, & inimitabili voce, sua promentem sensa, quæ ipsorum est ingenuitas, judicium de tanto viro mutabunt, nec eos admirari pigebit, quem duo Sapientiæ lumina Basilius, & Hieronymus se vehementer suspexisse fatentur, quem Chrysostomus vere maximus magnum appellat, quem Theodoretus prędicat admirandum, & Divinum. Soli dolebunt Ecclesiæ hostes, quos nonmirum invidia dirumpi, cum videant augeri perpetuis incrementis Divinæ hujus Sponsæ opes, & invecto cum Syris, & ultimi orientis accolis commercio, Christianæ doctrinæ, & Apostolicarum traditionum thesauros ejus filiis, legitimis nimirum hæredibus, restitui. Scilicet hoc Cardinalis Amplissime, ad cætera tua in Rempublicam Christianam merita accedere, ratum erat, ut eam in possessionem relictæ sibi à SS. Patribus hæreditatis immitteres. Quis enim tantæ molitionis opus aggredi tentasset, aut sperasset, se unquam vel ex parte perfecturum? nisi necessaria subsidia opportunè suppeditasset tua liberalitas, Sapientia, & Auctoritas. Quidve profuisset codices ex Syriæ desertis extractos situ, & squalore vindicasse? si in nostris bibliothecis blattis, tineisque arrodendos reservassemus, non illi fata vitassent, sed mutassent, ut in Vrbe orbis terrarum Magistra sibi gloriosius interirent, nobis dedecus neglectæ Sapientiæ relinquerent. Nunc veró Te Vaticanæ bibliothecæ Præfecturam obtinente, quod Memnonis statuæ ex insueto solis aspectu obtigisse, proditum est, codices ad ornatum bibliothecarum, quasi inanima simulacra prostantes, animam, vocemque accepere, Homerica tuba oppido clarius sonante, quam nimirum non modo Græcia, & Latium, ac proinde Europa universa audiant, verùm etiam major Asiæ pars, quà ab ultima nostri maris ora orientem versus usque ad Indos latissime protenditur, tantundem quippe locorum occupat, ut dixi, Syrorum ritus, & sermo. Nec veró ista temere ariolando pronuncio; sed ducta ex certis illarum gentium historiis conjectura, mihi ipse certo persuasi, dum cogito Nestorii hæresim sola Theodori Mopsuesteni, ac Diodori Tharsensis operum ex Græco in Syriacum versione ad Chaldæos, & Indos propagatam; epidemicum morbum putes sola codicum contagione vulgatum. Ea scilicet

est

est literarum, & literatorum in utramque partem potestas, seu errorem, seu veritatem promoveant. Veniet tempus quando Syrus reduces ab Urbe sui Doctoris libros lætus reviset, Vaticanis typis magnifice, elaboratissimeque recusos, compertaque ex eorundē lectione Majorum suorum doctrina, intelliget, non Romanos à Sanctissimis Syrorum Patribus, sed ipsosmet Syros à Patriis institutis moribusque descivisse: atque adeó Romanam Ecclesiam creditum sibi ab Apostolis depositum nunc etiam fideliter, constantissimeque custodire, ex eorum proinde disciplina omnium mortalium saluti excubare, & omnes gentes etiam remotissimas effuso sinu, ad se venientes excipere. Quo porro diffidentes ad suam communionem invitat, & hortatur, ut beati Petri Cathedræ, siné qua Catholicæ Ecclesiæ unitas constare non potest, se submittant, non tam jura sua persequi, quàm filiorum suorum fœlicitati consulere. Quod ut cæteri nesciant, Græci, Syrique profecto ignorare non debēt, quibus diuturna tot Seculorum servitus evidentissimè demonstravit, divisionem Ecclesiastici corporis non tantum capiti, quantùm membris ab eodem recisis officere, & dolorem huic, illis etiam exitium afferre. Cæterum ut multa sint, Cardinalis Amplissime, à te præclarè gesta, & scripta, quæ nomen tuum ad seros nepotes, & ætatem ultimam transmittent, profecto, ut quod sentio ingenuè proferam, nec meritis parem fama illa rependet gratiam, nec maximā. Testabuntur Florentinæ academiæ observatum sibi in adolescente sublime ingenium, & mentem ad summa conspirantem, qualem Alexandrinos in puero Origene admiratos fuisse, prodit eius Encomiastes ὑπὲρ τὴν ἡλικίαν προτεινομένην. Prædicabunt Corcyræi in supremo Sacrorum Antistite religionis studium, græcarum literarum, ac rituum peritiam. Majora adhuc dicent Brixiani, susceptos pro pastorali officio, quo nunc etiam fungeris, in sacris visitationibus obeundis labores, profusam in egentes liberalitatem, excitata viris, feminisque asceteria, & collatas ad primarii urbis templi ædificium expensas, & curas, eo conatu, & animi contentione, ut immanis, & penè desperatæ molitionis ædem tibi uni perficiendam suscepisse videreris: atque hanc laudum amplissimam segetem, ut hic sistam, nec enim encomiastem nunc ago, Romanæ Ecclesiæ Purpuratorum fasti ex instituto colligent posthuma fama, sat scio, & pulchre dispositam ad imitationem posteris proponent. Sed ut gravissima sint hæc laudatissimorum virorum testimonia, quid? num eadem tranabunt maria vel ut multum promoveant, an Europæ fines transcendent? audient ne ista Malabares, & subjecta Indo, & Gangi arva colentes Mogoles? aut Persis finitimi Chaldæi, vel Aramæi Carduchorum confines montibus, *quo fessi vix venit aura Noti*? hanc scicet celeberrimæ pervulgatissimæque famæ gratiam tibi reddiderit unus orbis terrarum magister Bea-

tus Ephræm, qui opera tuà orienti restitutus, tuas pro Orientalibus salute curas gravis auctor testabitur.

Scio, te humanæ gloriæ aura, qua plurimi capiuntur, nunquam delectatum, neque tam vili merce pretiosos labores tuos licitari solitum: Scio, te non latere, quod patuit ethnico Poetæ canenti: Μὴ φρονῶν ἀλαζονείᾳ καὶ ψόφοις ἁλίσκεται. sed eò ista memorabam, quod inintelligerem, illa duo in præsenti negotio disiungi non posse, nec vero tantum ex hac cura tibi laudis hærere, quin oppidò major dignitas, & splendor Dei Ecclesiæ accedat, & Chatholicæ religioni præsidium, quæ ambo tuarum curarum esse scopum, non dubito. Sapientissimè Plato, Deus, inquit, extra se, cur agat, non habet; si quis ergo inter mortales Deo similis est, actuum suorum rationem extra Deum habere non potest, quæ enim naturà similia sunt, actione similia esse, consequens est. Ego vero quod mea meorumque Orientalium plurimum interesse video, non committam, Eminentissime, & Reverendissime Domine, ut in magnis hisce tuis ad Christi, ejusque Ecclesiæ gloriam conatibus meam, qualis qualis ea sit, operam desideres, dum alterum hujus secundæ partis Tomum Explanationum in omnes Prophetas paro, quanquam, & hujus extrema jam persequor, ut brevi expeditum iri Deo aspirante confidam. Pudet enimvero morantem in domo Dei, quod Meccanus ille Antistes apud Almacinum ajebat, quidpiam præter Deum spectare, aut Divinum quodcunque negligere. Ex domo Profess. V. Kal. Novembris 1736.

LECTORI

L E C T O R I.

PRodiit paucis ante annis Græce & Latine primus S. Ephræmi Operum Tomus. Editionem curabat Vir Clariſſ. Joſeph Aſſemanus, parabatque alterum, ac tertium quum à Summo Pontifice in Syriam ob Eccleſiaſtica quædam negotia navigare juſſus, cæpta interrumpere coactus eſt. Hunc ſcilicet ordinem tenere ſtatutum erat, ut Sancti Doctoris Opera, quæ ex Græca vel Latina interpretatione olim impreſſa proſtabant, in tres diſtributa Tomos, prima prodirent, reliqua deinceps ſuccederent, ignota Latinis omnia, pleraque etiam Græcis. Cæterum ne negocium tantæ molis, & improbo plurium annorum labore vix perficiendum, non neceſſaria cunctatione ſine fine protraheretur, dum unda undam trudit, & dies diem; viſum eſt præſtitutum ordinem prævertere, & quartum Tomum, eundemque primum ſecundæ partis interea præmittere: in partes namque duas, ut modo innuebam; omnia S. Doctoris Opera dividere placuit, ſic ut alteram Græcolatina obtinerent, hanc Latinoſyriaca.

Quem ergo nunc edimus, Sancti Ephræmi Operum Tomus ejuſdem commentaria in priores divinæ Scripturæ libros complectitur, e Syriaco in Latinum converſa; ſummamque repreſentat rerum geſtarum à prima Mundi origine uſque ad Hebræorum in Aſſyriam, & Chaldæam tranſmigrationem. Hanc videlicet Sacræ Hiſtoriæ partem præcipuam, eandemque nobiliſſimam exhibent Pentateuchus, & libri Judicum, & Regum. Sequetur, Deo duce, Tomus alter Explanationum in omnes Prophetas, & hunc excipiet tertius varios, & diverſos tractatus complectens: plerique autem polemici ſunt, & adverſus hæreſes pugnant, quarum noſtri Doctoris natale ſolum feraciſſimum fuiſſe, teſtatur S. Epiphanius Beato Ephræmo ferè æqualis. Hiſque adhuc ſeptimus Tomus, fortaſſe etiam, octavus, & nonus addendus fuiſſet, ſiquidem S. Doctoris in novum Teſtamentum commentariis potiri nobis licuiſſet, quos S. Gregorius Nyſſenus indicat, & alter Gregorius Tagritenſis ſæculi duodecimi auctor ſe vidiſſe teſtatur, teſtantur etiam perjochæ Catenis in Matthæum, & Marcum à Corderio noſtro editis inſertæ, & fragmenta bene multa in Vaticano Indice indicata vid. in Ruth Cod. 746. in Pſal. Cod. 752. in Euang. Cod. 665. ſequioris ævi Græcis haud quamquam ignotos fuiſſe. Hinc porrò intelliges, quam verè Moſes ille Mardenus Andreæ Maſio affirmaret S. Ephræmum πολυγραφώτατον fuiſſe, & Scriptorum copia ac varietate Chryſoſtomo, & Auguſtino comparabilem. Quæ ergo virorum illuſtrium, multa, nec ſine laude aliqua doctrinæ ſcribentium, eſt prærogativa, Divini Ephræmi ſcriptis concedendum eſt, ut ea nec Indice, nec vindice indigere arbitremur. At quoniam ea eſt quorundam ingeniis inſita diſſenſionis, & pugnæ libido, ut ubi alios in utramque partem propendere animadvertant, confeſtim in alterius patrocinium involent, non quod falli, & errare diſpliceat, ſed quia certare magis delectat, nec enim falſus canebat vates: δύσζηλοι γάρ τ' εἰμὲν ἐπὶ χθονὶ φῦλ' ἀνθρώπων; illud in primis diſquirendum eſſe video, atque certiſſimis documentis demonſtrandum: quæ nunc edimus, S. Ephræmi commentaria titulum ſuſtinere ſuum, nec alium ab eo, quem præferunt, habere parentem. Vetus dictum eſt Syris perinde atque Arabibus familiare: ſunt res, quibus ſuus ineſt teſtis, ſunt, quæ aliunde petant: habent nimirum veterum Patrum ſcripta notas, eodem, quo exarata fuere, ſtylo impreſſas, veros auctores indicantes, quæ ſi adſint, ſupervacanei operis ſit alios indices quærere. Quorſum enim rogetur interpres, ubi hoſpes ſuo ſe vultu prodit? Contendebant Auguſtini tempore Docti quidam: Epiſtolam S. Cypriani ad Jubajanum, ejus nomini perperam fuiſſe inſcriptam, contradixit Auguſtinus *quia*, inquit *ſtylus ejus quandam propriam faciem habet, qua poſſit agnoſci*. Talem ego faciem habere ajo S. Ephræmi ſcripta, quam notæ ipſis impreſſæ, velut deſcripta docta manu lineamenta, exprimunt? Prima eſt materiarum delectus, & genus tractationum, Ephræmi inſtituto, ætatique maximè conſentanea, ſtyli æqualitas ac tenor, tametſi varius, & multiplex, ubique tamen conſonans, ſibi adeo ut alterutrum dicere cogamur; aut omnia opera, quæ hactenus Ephræmi prætulere nomen, Ephræmi calamo fuiſſe exarata, aut nulla; Hoc ſane, argumentum, quod hic tantum indicamus, uberius infra ſuis momentis expendendum, ipſa S. Doctoris autographa legentibus evidens,

Odiſſ. H

Epiſt. ad Vincent.

dens, & ineluctabile videatur. Nec mirum, si syriaci sermonis imperitos, & ex versione græca aut latina rem judicantes, non convincat; quotus enim quisque est, qui interpretandi artem exactè teneat, ut Auctoris sui sensus quod plerumque difficile non est, exprimat, & stylum non mutet? quod ut per se facile non est, ita difficillimum esse, ajo, sed nec sperabile, auctorum eloquentissimorum scripta interpretantibus. Utrum vero in hac parte S. Ephræmi interpretes peccaverint nec ne? novere Syri, quos Photius hujus rei testes aut judices appellat. Postremo perpetuum cum sui sæculi moribus, & historia consensum, qui si absit, & alicubi appareat dissensus, hic se solo libri inscriptionem refellit, & manifestam arguit suppositionem. Interim ipsum Ephræmum sui operis testem audiamus. *Quamquam*, inquit in proœmio sui commentarii in priorem Pentateuchi librum, *Genesis explanatione supersedere decreveram, ne quæ in sermonibus, & quæstionibus tractaveram, nullo fortasse operæ pretio repeterem, petentibus tamen amicis cessi &c.* Quam bene ista in S. Ephræmum conveniant, testantur sexdecim prolixi sermones, quibus universam Patriarcharum historiam S. Doctor complexus fuerat, testantur etiam plures, & variæ ejusdem quæstiones, quas ex collectaneis Severi Monachi decerptas S. Doctoris explanationi subjecimus pag. 116.

In Bibl. c. 196.

Rursus pag. 23. *Quatuor*, scribit, *fluvii sunt Phison, qui, & Danubius, Geon qui, & Nilus, Tigris, & Euphrates intra quos habitamus*. Patriam suam Auctor indicat fuisse Syriam, quam alluunt Tigris, & Euphrates, quare Mesopotamiam Græci, Syri, & Arabes Insulam appellarunt; eadem Sancti Ephræmi natale solum fuit; Nisibi namque natus, Edessæ vixit, & extremum diem clausit.

Præterea quonam Operæ pretio harum explanationum Auctor, quavis data occasione in Judæos insurgit, & crebras, atque pro instituto oppido prolixas digressiones interserit? in Mesopotamia nimirum scribebat, quo migraverant Judæi bene multi, post generale gentis excidium ob loci sermonisque affinitatem, atque Ephræmi ætate in eam jam excreverant multitudinem, ut tertiam provinciæ partem ab illis occupatam fuisse, scribat Josephus Ephræmo multo antiquior; sed, & celeberrima ibidem Judæos habuisse gymnasia, & excolendis litteris plurimum otii, passim docent dictis & factis, qui ex illis accademiis prodiere Ephræmo suppares Hæbræorũ doctores apud Bartoloccium in sua Bibliotheca Rabbinica, & eodem Ephræmo posteriores magni apud suos nominis Babylonici Thalmudistæ.

Antiq. l. 18.

Quare ex ea cum Judæis consuetudine, & frequentibus, ut fit, de Religione concertationibus factum conjicio, ut S. Doctor Hebraicam linguam didicerit, & Hebraicis traditionibus suos commentarios non uno in loco asperserit: qua in utraque parte Jacobus Edessenus illum postea est imitatus, quum & ipse in Mesopotamia scripserit.

Pag. 161. In illa Dei ad Abrahamum verba sume tibi Capram triennem, &c. ubi lampadis miræ speciei per dissecta cæsorum animalium cadavera discursum exponens, docet hanc ceremoniam ex Chaldæorum ritibus desumtam fuisse, idcirco quod Deus cum Abrahamo homine Chaldæo agens patrium ejus morem etiam extra patriam usurpare voluit. Ejusmodi animadversionem Ephræmo manifeste suggessere sui sæculi mores, eam quippe sacrorum legem apud Chaldæos, & Persas eodem tempore viguisse, docent acta Martyrum, qui in Chaldæa, & Perside passi sunt.

Pag. 496. Ubi Eliæ sacrificium describit, laudat Interpretes scribentes: Baalis Mystas aram in cameræ modum construxisse, intraque hominem collocasse, qui ad nutum supposito igne aggestam altari lignorum struem, & superpositam victimam inflammaret, subdens: *id porro hodie quoque à quibusdam impostoribus fieri comperimus*, eadem suo tempore factitatum Ephræmo contemporaneus Chrysostomus narrat hom. de Petro, & Elia. *Vidi ipse*, inquit, *quod dicam: in idolorum altaribus foramina quædam sunt, ex inferiori parte altaris est fovea quædam obscura: descendunt autem erroris artifices in foveam illam, & ex foraminibus, quæ diximus, ignem sufflant ad sacrificium conficiendum*.

Ap. Metaphrasten.

Cæterum eam Beatus Ephræm sumpsit scribendi materiam, quam suæ professioni maxime consentaneam videbat, suisque etiam Monachis apprime utilem, & universæ Ecclesiæ plane necessariam: Monasticam quippe vitam professus, sibi suisque fratribus de communi instituto plurima scripsit, ut nemo alius vel uberius vel suavius. Ad Monachos nempe pertinent omnes fere tractatus, qui vel in Vossiana vel in Oxoniensi editione habentur. Commentarios in omnes divinæ Scripturæ libros in illorum perinde gratiam elaborasse, ipse insinuat & ex ejus actis non obscure colligitur. Cæteras elucubrationes, quæ vel Sanctorum gesta celebrant, vel Gentilium & Hæreticorum errores revellunt, calamitosus sui temporis Ecclesiæ status Ephræmo dictavit: scilicet vir suapte acer ingenio, & tum instinctu divino concitatus ferre non poterat, nec vero tulit: nefaria sectariorum, quantumvis

tumvis inter se diffidentium, conspiratione Dei Ecclesiam pessumdari: vel quos Nicæni Concilii decreta, & magni Constantini pietas, dum vixit, represserat, ejus Successorum favore resumptis viribus omnia rursus miscere, & perturbare: sed quo erat animi robore, & acumine ingenii acerrime se opposuit, haustoque à Divini Spiritus lucerna, ut loquitur S. Gregorius Nyssenus, lumine collustratus, adversus omnes sui temporis hæreticos plurima scripsit, quorum pleraque ad metricæ artis numeros, & poetici styli nitorem, & elegantiam de industria composuit, *quod videret*, scribit Sozomenus, *Syros modulationis concinnitate, & venustate orationis delinitos Harmonii libros libenter evoluere, eaque ratione paulatim adduci, ut idem cum illo sentirent.* Quare ad hanc præcipue S. Ephræmi lucubrationum partem spectare puto, quæ de Ephræmianæ elocutionis elegantia a Syris audisse se Photius affirmat. Agedum, & omnia hujus Auctoris relege in hoc genere scripta, ea vel Gentilium errores refellunt, quo nullum antiquis Ecclesiæ Patribus argumentum magis familiare fuit, & Ephræmi temporibus maxime congruebat: quum scilicet adhuc idolorum vigeret vana religio, & profana templa starent: nam non multo post Sancti Doctoris obitum adversus idolomaniam non tam calamis, quàm legibus, & armis pugnari cæptum est, dirutaque fuere magni Theodosii edictis celeberrima Gentilium delubra, & proscriptus publicus idolorum cultus. Vel adversus hæreses dimicant, & nullã deprehendes S. Doctoris ætate recentiorem, aut quæ non superet Nicænæ Synodi tempora, cui B. Ephræmum cum Sancto Magistro suo Jacobo Nisibis Episcopo interfuisse utriusque acta testantur. Quocirca altum de Nestorianis & Eutychianis silentium; quamquam istorum prima & præcipua mentio fieri oportebat, quum ambo universam Syriam, imo omnes Syriaci ritus populos concusserint, & hodie quoque perturbent. E contra Marcionitarum, Chuchitarum, & Eunomianorum sectas perpetuo oppugnat, istæ nimirum Ephræmi ætate totum Orientem permiscebant. Quodsi in Manichæos creberrime invehitur, nil mirum, in vicina namque Perside non multo ante nati, sub idem tempus, quo S. Doctor scribebat, in Mesopotamiam se infuderant. Quare Manichæos suppresso nomine illa perstringere nullus dubito, quæ in Commentario Genesis habentur p. 13. Origenem vero, vel Philonem Hebræum, quæ sub ejusdem Commentarii initium statim occurrunt, ubi Alexandrinæ scholæ in interpretandis Divinis Scripturis licentiam carpit.

In Eneom.

Lib. 3. 16.

Hinc rursus alia ducitur conjectura præcedenti affinis, quum enim horum Operum Auctor antiquiores Ephræmo Scriptores data occasione laudet, nullum tamen ejus ævo recentiorem commemorat, & si id fieri non parvum Operæ pretium fuisset. Quid enim? num in in illis Metris, in quibus de duabus Christi naturis, & unica persona agebatur, Nestorius & Eutyches prætereundi fuerunt? aut supprimenda duorum generalium Conciliorum decreta? quo quidem indicio non pauca veterum scripta vendicata sunt, & suis Auctoribus asserta.

His accedit altera conjectura, quæ, ut supra innuebam, capi solet ex constanti & perpetuo in sententiis, & doctrina consensu, quum non facile præsumendum sit, hominem non prorsus ineptum, ne dum gravissimum Ecclesiæ Doctorem, qualem horum Operum Auctorem prædicamus, a seipso diffidere, & pugnantia loqui. Sicubi ergo ejusmodi dissidium deprehensum fuerit, suspicari licebit alterutrum fœtum supposititium esse & illegitimum. Hic porrò statim oppones celebrem interpretationem ejus loci. *Et Spiritus Domini ferebatur super aquas*. A S. Basilio laudatam, atque Ephræmo ut multi docti opinantur attributam, quam tamen in priori Genesis Commentario Ephræmus rejicere videtur, & affirmare: non in eo loco de Spiritu Sancto, ut Basilius interpretatur, sermonem esse, sed juxta historicum sensum, post indicatam terræ, & aquarum procreationem, aerem pariter à Deo factum fuisse, significari. Hanc porrò interpretationem ejus loci Gregorius Tagritensis Episcopus in Beati Ephræmi scriptis versatissimus, laudans ejusdem in Genesim Commentarios, ipsi disertè attribuit. Sed hic animadvertendum secundam in Genesim explanationem pag. 16. Catenam esse à Severo Monacho ex Sancti Ephræmi, & Jacobi Edesseni Commentariis intertextam, sicut titulus ipse docet, quare eam de Spiritu Sancto interpretationem existimo, Jacobo Edesseno esse restituendam, esto hujus nomen vel à Severo appositum non fuerit, vel ejus loco Ephræmi nomen suppositum. Quod vitium in ejusmodi catenis frequentissimum Viri docti annotarunt. Consequenter dicendum est S. Ephræmum Divo Basilio vim vocabuli hebraici מרחפת *incubabat* quod suis Syris commune esset, tantummodo explicuisse, nec suam, sed suorum Syrorum de sensu illius periochæ sententiam declarasse, nec aliud profecto probant illa Basilii verba. τὸ ἐπεφέρετο, φησὶν, ἐξηγοῦνται, τοῦ συνέθαλπε. Cæterum nemo ignorat iisdem Di-

vinæ

vinæ Scripturæ verbis duplicem quandoque indicari ſenſum, utrumque literalem: quare dici poteſt S. Ephræmum utramque illam probaſſe expoſitionem, & alteram priori Commentario, poſteriori alteram inſeruiſſe eſto ſibi minus probabilem.

Nec tamen idem ſtatuendum, ajo ad eum locum, ubi Melchiſedechus genere Chananæus fuiſſe aſſeritur, quod in priori Commentario expreſsè refellitur: ſed omnino credendum antilogiam ex ſola confuſione nominum in margine apponendorum natam, & priorem quidem ſententiam Ephræmo, alteram Jacobo Edeſſeno eſſe attribuendam. Cætera ſibi mirificè conſtant, & quod in veterum Patrum ſcriptis non ſemper invenies cum Orthodoxæ fidei decretis perfectè conſentiunt; ut in hoc genere, nævum ne minimum quidem ipſe deprehenderim, nec puto alios deprehenſuros. Thamarem, dices, notiſſimi criminis ream Ephræmus excuſat. Excuſarunt Chryſoſtomus hom. 62. in Geneſim. Ambroſius lib. 3. in Luc. Theodoretus quæſt. 95. in Gen. Nemo tamen præter Hebræum Maimonidem, & Marſamum hæreticum, nec illi Patres Thamarem ab omni culpa liberant, aut manifeſti inceſti communi interpretum ſententia damnatam omnino abſolvunt; damnant conſilium: ſed ejuſdem ſoceri Judæ ſenſu, qui in hac cauſa Judex poſtea fuit interpellatus, Thamaris mentem non damnant, quod non libidinis æſtu, ſed ſobolis deſiderio, eo quo non licuit, abrepta fuerit. Nec alio ſenſu exponenda ſunt, quæ ad elevandum ſimile Berſabeæ crimen diſputat pag. 470.
Nimirum Beatus Ephræm, qui omnibus flagitiis ipſe ſe coopertum rebatur, & prædicabat, ſibi conſtare volebat: ſcripſerat enim tract. de Eccleſia met. 13.... difficile mihi eſt ea arguere in quibus ipſe peccavi.

ܥܣܩܐ ܗܘ ܠܡܟܣܘ ܠܗܠܝܢ
ܕܐܢܐ ܡܢ ܒܗܝܢ ܣܟܠܬ

Sed ut hæc probabilia, & vera ſint, ego ſane non magni pendo, nec alios velim multum attendere, dicam, quod cuilibet viro probo non opinione ſolum, ſed ad veritatem etiam perſuadeat; quodve negare non poſſit improbus citra notam inſignis perverſitatis, ne dicam impudentiæ. Scripſit Ephræmus multa ſoluta oratione, plurima etiam metro. Ubique tanta apparet orationis ſtylique conſonantia, quod ſupra innuebam, ut ſi modo tibi conſtare velis, neceſſe ſit omnium ejuſmodi lucubrationum parentem eſſe Beatum Ephræmum ingenue fatearis, vel huic omnia ſuppoſita & affiſta fuiſſe perfractè ſuſtineas. Atqui nemini profectò perſuaſeris non ſi iſtud contendas bonis lateribus, & magna voce, *inque auxilium tuum precioſa ſonent æra Corinthi* prolixum illum S. Ephræmi commentationum, catalogū, quas cum verſione latina ſex magna volumina vix capient, alium habere patrem Ephræmo minorem, parem namque Syria non protulit ne dum majorem. Magnum ſcilicet illæ flumen mentis indicant, & ſicut de Meſſalæ orationibus Quintilianus affirmabat, auctoris nobilitatem præſeferunt, & opificem operæ quodammodo repræſentant. Jam vero ut tolerabilis videatur quorundam pſeudocriticorum temeritas, qui Ephræmo aſcetica abnegant, perverſitatem non ferendam ajo eſſe illorum, qui Metrica ipſi abjudicare conentur. Quid enim? Num omnes Eccleſias Syrorum, Maronitarum, Jacobitarum, Chaldæorum, Malabarium per quatuordecem ſæcula illuſas fuiſſe, aut popularibus ſuis illuſiſſe dicas magni nominis umbra? Ephræmi ſiquidem lucubrationes Clerus ille cantare ſe credidit, & populis ad ſacram hymnodiam convenientibus hoc ipſum perſuaſit. Res eſt certa, & per univerſum Orientem vulgatiſſima. Sed quia non eſt cujuslibet Corinthum appellere. Theodoretum conſulito Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 1. & Sozomenum lib. 3 cap. 16. Quum Ariſtotelis libri in Sceptcos Urbis Crypta reperti ſunt, dubitatum, an unius & ejuſdem ut credebatur, vel plurium ſcriptorum fœtus eſſent? Ineptam riſere dubitationem omnes Europæ lycæi, imo & Africæ atque Aſiæ. Nam & Arabes Ariſtotelem magiſtrum ſequuntur, atque hebetis palati eos eſſe pronunciarunt, qui ambigerent, eadem ne vindemia vinum ut incomparabilis, ita unius ejuſdemque ſaporis fluxiſſet. Age vero quum S. Ephræmi Metrica ipſius eſſe fateri cogamur, neceſſaria conſecutione conficitur; cætera quoque ejuſdem tituli opera eum habere, quem præferunt auctorem, ob eam quam dixi orationis & ſtyli conſonantiam, & materiæ tractationiſque dignitatem. Præterea, quod in propatulo eſt, & cujuſvis oculis obvium ipſa amanuenſium fides, qui quidem cur mentirentur nullam habuere cauſam, ipſa Codicum vetuſtas convincunt, hoſce libros ante duodecim ſæcula tanquam genuina Ephræmi opera à tota retro antiquitate fuiſſe receptos: alter quippe codex omnium antiquiſſimus exaratus dicitur anno Alexandri 863. Chriſti 551. alter Commentariorum in Scripturam anno Græcorum 1172. Chriſti 861. quam majorum ſuorum perſuaſionem Scriptores poſteriores graviſſimi Syri, Joannes Damaſcenus, Moſes bar Cephas, Gregorius Bar-

Lib. 10. *c.* 1.

Bar-Hebræus Hebediesu Episcop. Soben. quorum testimonia infra dabimus, hisque longe antiquiores Philoxenus Hierapolita, & Osrhoenæ Ecclesiarum Clerici Syri, qui actioni decimæ Concilii Chalcedonensis interfuere, omnes, inquam, isti recentiores eam veterum opinionem non quasi temerariam, & inconsideratè præsumptam, imo vero ut certam, indubitabilem, & prudentissimo judicio susceptam approbarunt, quare sine ulla hæsitatione illos codices velut certos Ephræmianæ doctrinæ testes produxerunt, adversariis testimonium tanquam Ephræmi nomine sanctum citra exceptionem admittentibus. Enim vero quando Catholici, imò & Hæretici Monophysitæ Nestorianis illam celebrem Ephræmi periocham opponebant sumptam ex metris de Nativ. Domini, metro decimo. *Laudabilis sapiens, qui divinitatem cum humanitate conjunxit; naturas, unam de summis, alteram ex unis miscuit, quasi Pharmacum, & factus est persona Deus-Homo*. Vel quando ipsis Monophysitis Catholici Syri collecta ex hisce libris, sui Doctoris testimonia in Chalcedonensi Synodo objectabant, quam oppido libenter, quam opportu ne falsam allegationem accusassent, quum exceptione hujusmodi nulla validior, nulla expeditior ipsis occurrere potuisset. Hæc sanè adeo certa, perspicua & clara sunt, ut oculus, qui ea non videat, videatur, aut invidia livere, aut hebetudine caligare, qui porro taliter affecti sunt, hos rationibus flectere nec votum est, sed nec spes esse potest: pulchre Euripides in Hippolyto. Stultum, qui doceat sapere, nullus est, nec qui hanc didicerit, aut invenerit artem, plurimas licet excogitaverint mortales.

Sic igitur confirmata B. Ephræmo possessione suarum lucubrationum: notandum, in his commentariis Syriacam scripturæ versionem Syris omnium antiquissimam Syrum interpretem sequi. Duas siquidem Syri usurpant, alteram, quam simplicem appellant, quod simplicem & purum Hebraicæ veritatis textū exhibeat, nulla alia interpretatione quovis modo immutatum, qua ratione Græci Græcam versionem septuaginta seniorum simplicem vocare potuissent. Alteram ex Græco textu expressam, quamquam nec adeo certum est, an ista Ephræmi ætate extiterit: nec ejus antiquitas satis probatur ex eo, quod S. Doctor Græcum textum alicubi proferat, quum Hebraice & Græce perinde doctus fuerit, & utriusque textus vocabula frequenter vel explicet, vel integra, ut in Codice hebraico vel græco extabant, representet.

Stylus, quo in Commentariis utitur, quum Asceticorum Syriacum textum non viderim, non humilis, non incomptus, qualis in Asceticorum versione apparet, sed sublimis, excultus, & pro scriptionis genere satis ornatus, in didascalicis enim ipsa negligentia laudatur. In Metricis vero, quod poetices natura postulat, longe ornatior & comptior incedit: in utroque scriptionum genere oratione libenter utitur vibrante & arguta suisque contorta numeris. Hospitem sane esse oportet in arte dicendi illum, qui ejusmodi varietatem non laudet, aut inde contendat Ephræmo auferre Ascetica, quæ omnes omnium temporum vel gentium Codices Græci, Latini, Syriaci, & Arabici Ephræmo inscribunt; vel in divinarum scripturarum Commentarios, & Carmina, quæ omnes Syriaci nominis Ecclesiæ ex quatuordecim sæculorum præscriptione eidem adjudicant.

Methodum Sanctus Ephræmus sequitur, quam Patriarchatus Antiocheni scholæ suo tempore tenebant, quave incedunt Theodorus cognomento Commentator, S. Johannes Chrysostomus, & Theodoretus. Eamque indicat idem Chrysostomus scribens: *Sic enim Patres docuerunt: non esse ad historiam cuncta torquenda, neque in Judaica solum litera commorandum*. Quum è contra Alexandrinæ scholæ alumni ex Phylonis, & Origenis disciplina ad allegoricos sensus plerumque divertant, & in iis exponendis diligentissime versentur. Ut cuique patet legenti S. Cyrilli Alexandrini in divinam Scripturam Commentationes.

Postremum ne de mea ipse versione nihil dicam, quod pro suscepto munere meum erat, illud quantum in me fuit, sedulo curavi, ne quod verbum Syriacum, quod non latino exprimeretur, prætermitterem, quamquam ejus item rei multo nobis major est habita ratio, ut sacro seposito textu, in quo interpretando verbum pro verbo κατάλεξιν reddidi, voces vulgatæ editionis retinens fermè ubique, nisi ubi illam deserere Syriacæ versionis variantes lectiones cogebant, in cæteris non verba Lectori annumerarem, sed tanquam appenderem. Quid enim refert, an quis pecuniæ summam in auro acceptam in alio metallo, modo integram tibi representet, aut domum intrare volenti, clavem auream aut ferream offerat si ingressum perinde commodum tibi utraque expediat? Non equidem ignoro magnorum virorum in hac parte variare judicia, & aliis versionem placere barbaram modo sinceram & integram, alios contra sentire delicatioribus auribus indulgendum esse, nullo enim operæ pretio, ajunt, latini sermonis leges violan-

violantur, & sapor græcismis & syrismis corrumpitur. Si quis tamen latices fastidit, quos scatebra primos non fuderit, huic Syriacos textus proponimus, unde arbitrio judicioque suo ex ipsis quasi fontibus toto se proluat auro.

Quod reliquum est si meus hic pro Catholicæ Ecclesiæ utilitate & sacrarum literarum studiosorum commodo conatus haud fructu caruit suo, primum Christo Jesu, cujus ope & ductu, hoc ipsum, quod conati sumus, conari datum est, gratiæ agendæ sunt, & habendæ; deinde Angelo Mariæ Quirino Cardinali amplissimo, pro cujus eximiis in Ecclesiam, universamque literariam rempublicam meritis, bene si qua est gratia facti, doctorum semper vivet in ore virûm. Postremum Illustrissimo & Reverendissimo Archiepiscopo Emeseno Carolo Majellæ & Cl. Viro Josepho Assemano Vaticanæ Bibliothecæ Custodibus, quorum gratia Vaticanorum Codicum usum habere nobis licuit, pluraque ex eisdem exscripta ad nos transmissa ad totius operis perfectionem asservamus. Quamquam ad hanc versionem adornandam præter duos Codices antiquos Syrorum charactere exaratos è Vaticana Bibliotheca nobis subministratos, alios quatuor à Reverendissimo Sanctorum Marcellini & Petri in Carinis Monasterii Abbate Josaphate Dapsi commodatos habuimus nostro instituto apprime utiles. Hæc amice Lector paucis subtexere libuit, ne quorum beneficentiam experti sumus benefacti memoriam interire pateremur. Tu æqui bonique omnia consule, & vale.

ORI-

ORIENTALIUM ECCLESIARUM
DE SANCTO EPHRÆMO
TESTIMONIA.

S*yrorum Maronitarum & Melchitarum in Menologio sub die duodevigesima Januarii*. Memoria S. Ephræmi Syri. B. Ephræmi parens Nisibis urbis civis fuit, & idolorum Sacerdos, huic simulacrum de filii sui sorte consulenti Diabolus respondit, illum quantociùs domo pellendum, quod Deorum olim futurus esset hostis. Ædibus paternis hanc ob causam exclusus Ephræmus ad S. Jacobum ejusdem urbis Episcopum profugit, ipsique aliquandiu ministravit: & ad Nicænam Synodum proficiscentem sequutus est. Post Magistri obitum duodevigesimo ætatis anno baptizatus est, & in montem juxta Edessam secedens divinæ scripturæ studio, ejusque interpretum lectione se exercuit: Inde in urbem descendit, cæpitque conciones ad populum habere. Quumque orthodoxæ fidei causam ageret intrepidè, & auditores ad eam amplectendam retinendamque perpetuo hortaretur, multorum, ut fit, odia & simultates contraxit, sectariorum præcipue, a quibus flagris aliquando concisus, & lapidibus pene obrutus dimissus est, quod mortuum crederent. Quamobrem urbe excedere compulsus solitudinem repetiit. Abstinentiam & paupertatem adeo coluit, ut præter hordeaceum panem, & aquam nullum alium cibum potumve unquam admitteret, nec amictum præter centones è sterquiliniis relectos. Statura fuit modica, aspectu gravi, ridere nunquam visus est, exporrecta, lataque fronte, barba admodum rara.

2. *Syrorum Jacobitarum. In Officio diurno, feria tertia pag.* 98. *Rom. edit.* Duo luminaria gloriosa sanctam Ecclesiam Christi Sponsam intrarunt, & in ea habitarunt, S. Ephræm venerabilis Senex, & S. Jacobus Doctor Bathnarum Sarugi pelagus scientiarum. Horum doctrina terra repleta est, & confirmata fides in Patrem & Filium & Spiritum sanctum, Mysterium trinum.

Eadem feria pag. 108. In choro illo Beati Petri videbimus te Pater noster sancte Ephræm. *Ejus memoriam recolunt die* 28. *Jan. &* 19. *Febr. &* 8. *Martii, &* 14. *Maji, &* 15. *Junii.*

3. *Syrorum Maronitarum in Ecclesiastico officio ad Vesperas Dominicæ, & omnium Festorum solennium.* Memoria recolatur S. Jacobi & S. Eprhæm, qui fuit sancti Spiritus, Cythara. *Et ad primam Sabbati.* In Ecclesia Catholica Apostolica prædicatur fides, quam nos docuerunt sancti Patres, Orthodoxi Doctores Johannes Chrysostomus & S. Ephræm. *In officio Diaconali in Commemoratione Doctorum.* S Ephræm columna Ecclesiæ nostræ.

4. *Syrorum Nestorianorum testimonium habes in Ecclesiastico officio feria vi. post Dominicam quintam ab Epiphania, in qua celebratur memoria omnium Doctorum Syrorum.*

5. *Armenorum in menologio sub die* 28. *Januarii.* Memoria S. Ephræm Syri. S Ephræm Syrus in urbe Edessa à puero doctus timere Deum, visus est aliquando in ore habere vitem, & pendentes ex ea botros, visæque aves advolare, & uvas carpere. Postquam severioris vitæ disciplinam adolescens in Monasterio amplexus est, vidit Monachus quidam Angelum volumen ostentantem, dicentemque audivit: unus hunc librum Ephræmus capiet, & continuo Ephræmum codicem ab Angelo acceptum devorasse, indeque cœpisse verba Spiritus fundere. Quum aliquando S. Basilii excellentiam ex oblata sublimis columnæ specie didicisset, Cæsaream profectus est, & Basilium convenit; Eoque orante Græca sonare verba divinitus edoctus est; Inde ad propria reversus scriptioni se dedit, composuitque tractatus de pœnitentia & plures libros, vitæ item Monasticæ institutiones, & sermones de Antichristo & de Judicio universali, atque de fide catholica. Quum aliquando Edessam venisset, & Deum oraret, ut sibi utile aliquod documentum audire concederet, fæmina illi obviam facta, fixis oculis venientem contemplabatur; quod quum Ephræmus reprehenderet, respondit mulier, ex te facta, te aspicio, tu vero de terra factus terram aspicito. Laudavit dictum Ephræmus, & Deo gratias egit, quod ad votum suum sibi talem dedisset admonitorem. Edessam ingressus domum conduxerat, quum contubernalis femina è fenestra Ephræmum prospiciens benedictionem ab eo petiit,

tiit, cui ille : benedicat tibi Deus. Tum mulier. Eſt ne, inquit, quo indigeas Pater? Etiam, reſpondit, tribus nempe laterculis & modico calcis, quibus iſtam feneſtram obſtrui velim.

Coptorum. In Synaxario ad diem 17. *Abib.* Memoria S. Ephræm Syri..... ſcripſit Sermones, & carmina plurima. In quodam exemplari notatum reperimus, ſummam Sermonum omnium, quos per Spiritum ſanctum edidit, eſſe quatuordecim millia.

VETERUM ALIQUOT SCRIPTORUM
De his Commentariis Teſtimonia.

SANCTUS Gregorius Nyſſenus in Encomio S. Ephræm Syri. Omnem & antiquam & novam Scripturam aſſiduo ſtudio ut quivis alius ſtudioſe verſavit, accurateque ad verbum eſt interpretatus: & ab ipſa procreatione Mundi uſque ad poſtremum gratiæ librum, quæ abdita quæque arcana ac recondita erant, Spiritus lumine colluſtratus expoſuit.

Acta Syriaca S. Ephræm in priori to. Biblioth. Clementino Vat. p. 35. Quum in ejuſmodi curas incumbit Ephræm, profectus aliquando ad eum viſendum ſupramemoratus Senex, reperit ſcribentem Commentaria in libros Moſis (ſcripſerat autem expoſitionem in Geneſim, eaque abſoluta, Exodum explicare cæperat) quæ cum accurate perlegiſſet, vehementer ſuſpexit, reſpectabatque opes divinæ gratiæ & eximios ſapientiæ cæleſtis theſauros à Domino in B. Ephræmum effuſos.

Severus Monachus in ſuis Collectaneis, quæ ſe abſolviſſe ſcribit Anno Græcorum *centeſimo ſeptuageſimo ſupra milleſimum* (Chriſti 861.) Summa verſuum expoſitionis veteris Inſtrumenti S. Ephræm quidem 5600. Sancti vero Jacobi Edeſſeni in Pentateuchum & Job una cum reliquis ſcholiis, quæ in hoc Codice ſparſim habentur 2860.

Moſes Bar Cephas decimi ſæculi Auctor in ſuo tract. de paradiſo, quem Andreas Maſius edidit, S. Ephræm Commentarios paſſim exſcribit p. 1. c. 14. Qui hanc ſententiam tuentur, Ephræm Auctorem laudant, qui in ſuis Commentariis ſic ſcriptum reliquit &c.

Gregorius Barhebræus Ep. Tagriten. Ephræmi Commentaria in Pentateuchum frequentiſſime producit in Horreo Myſteriorum ſeu Adnotationibus ad Scripturam. Floruit ſæculo duodecimo. Item indicat ejuſdem in Euangelia Commentarios, quos etiam laudat Dionyſius Bar Salibi Amidæ Epiſcopus Gregorii contemporaneus.

Hebedieſu Ep. Soben. in Catalogo Scriptorum Syrorum n. 51. Ephræm Magnus, qui Syrorum Propheta cognominatus eſt, edidit Commentaria in libros Geneſis, Exodi, Levitici, Joſue filii Nun, Judicum, Samuelis, in librum Regum, Davidis, Iſaiæ, duodecim minorum Prophetarum, Jeremiæ, Ezechielis, & Beati Danielis &c. *ſcribebat Sæculo tertiodecimo.*

SERIES ET ORDO EORUM
Quæ in hoc tomo continentur.



ܦܘܫܩܐ

ܕܡܪܝ ܐܒܘܢ ܩܕܝܫܐ ܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܣܘܪܝܝܐ

ܠܣܦܪܐ ܕܒܪܝܬܐ

ܕܐܘܪܝܬܐ

[illegible]

SANCTI PATRIS NOSTRI
EPHRAEM SYRI
EXPLANATIO
IN GENESIM.

A Quamquam Genesis explanatione supersedere decreveram, ne, quæ in sermonibus & quæstionibus tractaveram, nullo fortasse operæ pretio repeterem: petentibus tamen Amicis cessi, mutataque sententia sic tandem statui, ut quæ in illis scriptionibus disperse diffuseque disputata fuerant, nova ratione atque distributione simul collecta atque contracta sub uno aspectu ponerentur.

B Mosis suo in hoc opere is scopus & finis fuit. Quod etsi Universi molitor Deus prisci temporis hominibus perspicuam claramque sui notionem impresserat, ut nemo Mundum à Deo factum diffiteretur; hanc tamen de Mundi origine rerumque effectione opinionem omnium, ut dixi, mortalium animis insitam evulsit, novamque inseruit posterior ætas, quæ Babylonicæ Turris molitionem proxime consecuta est,& usque ad Mosis tempora duravit. Enimvero etsi apud Semi nepotes non defuere, qui veterem de Deo disciplinam retinerent, aliisque persuadere niterentur; occasione tamen Ægyptiacæ servitutis, humani generis communis error, Abrahæ quoque posteritatem invasit, adeo ut, repudiata veri Dei religione, ipso naturæ instinctu repugnante, rebus non multo pridem factis æternitatem divinitatemque affingerent. Huic ergo superstitioni, per id tempus maxime grassanti, Deus Mosen objecit; jussitque mentes hominum, variis opinionibus confusas, veræ religionis præceptis imbuere; vitiumque per

C

D

per ſucceſſiones traditum excindere, ne in omnes ætates ac tempora proſerperet.

Propterea Moſes à Deo in Ægyptum miſſus fuit, ut redeunte veræ ſapientiæ die, ubi eruperat, error hebeſceret. Utque ejus dictis ſcriptiſque indubitabilem certamque fidem adſtrueret, per ipſum magna miracula & ſigna patravit; ejuſque mentem ſuo afflavit ſpiritu, & corpus inſolita luce colluſtravit; ut conſpicuus oris ſplendor occultum ſpiritum, in ipſo loquentem, proderet.

Ergo poſt miranda facinora apud Ægyptios geſta, & pacta in eremo fœdera, Moſes de rerum origine & creatione ſcribere orſus eſt; docuitque, Divinitatis nomen & cultum conditis rebus, niſi per ſummam inſaniam & impietatem, affingi non poſſe. Deum porrò unum eſſe, cui adſtarent millia & myriades. Inſuper myſteria Filii Dei explicuit, in rerum conſtitutione & ordinatione adumbrata; ſed & illorum imagines exhibuit, tùm quas Juſti priores ſuis moribus deſcripſerant, tùm quas ipſemet ſuis geſtis, editiſque per virgam ſignis expreſſerat. Præterea veræ pietatis præcepta, hominum vitio propemodum exoleta, reſtituit. Poſtremum populi ſui genealogiam adjecit.

Primum itaque de Mundi conſtitutione agit ſex circumſcripta diebus, quibus ſummus rerum Author omnia molitus eſt per Mediatorem, cum quo communem habet naturam atque poteſtatem. Quod autem ſubdit, *Hic eſt liber generationis Cœli & Terræ*, indicat, prætermiſſa in priori narratione ex præſenti capite eſſe ſupplenda. Pergit porrò, & de Adæ ejuſque conjugis creatione, eorumque in Paradiſo commoratione ſcribit. Narrat deinde ſerpentis ingreſſum & dolos, & protoplaſtorum circa interdictam ipſis arborem audax facinus; eiſdemque ob illud crimen Paradiſo expulſis, indictam indidem exilii pœnam.

Mox progreditur ad ſacrificia Caini & Abelis; hujuſque cædem deſcribit, & maledictiones adverſus Cainum pronunciatas. Quæ hiſtoriæ pars ad ſeptimam Cainitarum generationem perducitur, uſque ad Lamechi Caini nepotis cum uxoribus colloquium.

Subdit deinde generis humani geſta per decem ætates ab Adam uſque ad Noe: ubi utriuſque ſtirpis depravatos, ipſo Noe vivente, mores deſcribit, & per eam occaſionem Arcæ fabricam, ejuſque ope ſervata rerum ſemina. Subditque Noe ex Arca exitum & ſacrificium, & apparentem in nubibus arcum, in ſignum fœderis pacis aſſumptum. Sequuntur, quæ de vinea Noe narran-

[illegible]

A rantur; deque ejusdem ebrietate, & sopore atque denudatione, de Chanaani execratione, & benedictionibus fratrum.

Inde fit transitus ad duos & septuaginta Nepotes Noë, Turrisque molitionem, & inductam ea de causa linguarum confusionem; & quæ secuta est, hominum in varias terras dispersionem: quibus annectitur series decem generationum a Sem usque ad Abraham.

Postmodum Abrahæ de Ur civitate

B migrationem refert, ejusque in Haran, atque deinceps in Chanaanitide moram. Sequuntur quæ de Saræ ad Pharaonis ædes raptu interseruntur, & post plagas Pharaoni ejusque familiaribus inflictas, illius restitutione.

Agit deinde de Lothi ab Abrahamo secessione, ejusque cum Sodomitis captivitate & Abrahami opera liberatione: & quomodo Abraham a Melchisedecho benedictionem ac-

C ceperit, postquam ex præteriti belli manubiis ipsi decimas obtulisset.

Transit inde ad laudandam Abrahæ de futura sobole fidem, referens ejusdem quæstionem: Qui nempe fieri posset, ut ipsius posteri oppidis per id tempus frequentissimis potirentur? describitque ejusdem sacrificium, & fœdus pacis eodem die a Deo acceptum.

Persequitur cætera, quæ Abrahamo acciderunt, quomodo Saræ voluntati acquie-

D vit in negotio Hagar; quæ mater effecta heram contemnere & insultare cœperat; & quomodo post fugam ab Angelo reducta fuit; suæque Dominæ se subdere jussa est. Posthæc memorat pactum Circumcisionis a Deo sancitum, & quomodo Abraham Ismaëlem, suosque domesticos circumcidit.

Succedit adventus, & apparitio Angelorum, qui Abrahamo, ad ostium tabernaculi

E assidenti, sub specie peregrinorum se offerunt, & Saræ Isaacum promittunt; quæ tamen promissum in corde suo risit. His continuo subjungitur Angelorum Sodomam versus profectio; & pro Sodomitis Abrahæ intercessio; & illorum in Lothi domum ingressus, & nefaria Sodomitarum conspiratio; Lothi ejusque filiarum discessus, & pœna de Sodomitis sumpta ob illorum impudentiam. Subditur Lothi ebrietas a filiabus procurata: & ipsarum cum patre in-

F cestus. His attexitur Saræ in domum Regis Abimelech deductio: & ejusdem evasio, Deo protegente, regemque ab ejus consuetudine prohibente. Sequuntur quæ de nativitate Isaac referuntur; ejusque circumcisione atque ablactatione, & Ancillæ ejusque nati expulsione, quod filio liberæ protervis irrisionibus infestus esset.

A Sequitur fœdus Abrahæ cum Abimelecho. Posthæc narrantur Abrahæ tentatio, & Isaaci ad sacrificium adductio, ejusdemque, Deo jubente, dimissio, & substitutio Arietis arbori hærentis in victimam sacrificii. Sequitur Saræ funus & sepultura in spelunca duplici filiorum Heth.

B Hinc transitus fit ad Abrahami cum Eliezer colloquium, ejusdemque adjurationem, & profectionem; in Mesopotamiam & ad puteum orationem: atque inde Rebeccæ in domum Abrahæ, Isaaci futuræ uxoris, deductionem. Succedunt quæ de Rebeccæ sterilitate traduntur, ejusdemque Isaaco orante prægnatione; & divino ad eam responso, de duobus populis ex ipsa nascituris; & minoris supra majorem exaltatione, & imperio.

C Sequitur jurium primigeniorum ad Jacobum translatio, ex contractu cum Esau fratre natu majore: & attexitur Palæstini Regis cum Isaaco, pacti olim fœderis cum ipsius parente Abrahamo, instauratio. Subditur, qua arte Jacob matris adjutus consiliis benedictiones Esau surripuerit. Posthæc memorantur Jacobi ad Labani domum profectio; & Scalæ species, eidem dormienti oblata. Postmodum Jacobi nuptiæ; & quomodo, cum unam sibi uxorem desponsasset, tres alias ducere coactus fuerit. D Subjiciuntur deinde reversio Jacob in paternam domum; & Labani eam ob causam indignatio, & quomodo divina ope Jacob ab eodem protectus est; & fœdus pacis in monte Galaad utrinque jurejurando sancitum. Continuo subditur plurium Angelorum venienti Jacobo occursus, & legatio, muneraque Jacob ad captandam Esau benevolentiam & gratiam missa. E Simulque describitur ejusdem lucta cum Angelo, & quomodo ad attactum Angeli ejus coxa loco dimota fuit. Sequitur lætus Esau adventus, & amicum colloquium. Subditur Jacob in Sichem civitate mora, & quomodo ejus filii sororis raptu & injuria commoti, direptum oppidum vastarint; patre factum ægerrime ferente. F Succedit Rachelis apud Ephratam obitus; & Jacobi ad patrem reditus; & Isaaci mors & funus.

Attexitur catalogus nepotum Esau & Regum Idumæorum, antequam Israelitæ Regem haberent. Succedunt somnia Joseph; & Thamaris conjugia, ejusque maritorum acerba mors: & quomodo Judas ab illa deceptus, eandem flammis

[Syriac text]

[illegible]

mis primum adjudicavit; postmodum mutata sententia, absolvit; & seipso justiorem prædicavit.

Resumitur historia Joseph: quomodo ad fratres missus, ab iis in cisternam conjectus, deinde Arabibus mercatoribus venditus fuit; atque ea via in Ægyptum intravit: ubi dominam fugiens, carcerem invenit: atque ibidem servorum Pharaonis primum, mox ipsius Regis somnia exposuit; quamobrem summum apud Regem locum consecutus est; publicæ rei administrationi præfectus, frumenta per septennium fertilitatis ad horrea comportari, recondique jussit; atque per eam industriam amplissimas opes, succedentibus annis sævissimæ famis, collegit. Subtexitur fratrum ad Joseph adventus, & quomodo primum personam simulavit, eosque torsit: postmodum se prodidit, eosque complexus est. Inde Jacob de Josephi incolumitate certior factus, cum septuaginta viris in Ægyptum migrat, cui Joseph occurrit, & ab eodem ad Pharaonem introducitur, cui etiam benedixit, eodemque contextu subdit, quomodo Joseph in felicissima Ægypti regione fratres collocavit: quave arte omnes Ægyptiorum agros, exceptis Sacerdotum prædiis, coëmit.

Postmodum narrat extremam Jacob ægritudinem, & benedictiones filiis Joseph ab eodem impertitas, & quomodo minorem Ephraim Manassi natu majori prætulit. Succedunt benedictiones filiorum Jacob, & quomodo iis completis idem extendens in lectulo pedes ad populum suum collectus est. Inde Jacob exequias & solemne funus persequitur, & qua pompa Joseph patrem extulerit, & in sepulcro Abrahæ & Isaaci tumulaverit. Clauditur liber obitu Joseph, qui e vivis decessurus, fratres admonet, ut ipsius ossa, redituri ad terram hæreditatis suæ, secum auferant.

Hæc nimirum primo libro, qui Genesis dicitur, Moses complexus est, hoc usus exordio.

CAP. I.

IN *principio creavit Deus substantiam Cœli, & substantiam Terræ*: hoc est Cœli, & Terræ naturas vere existentes. Nemo ergo in opificio sex dierum allegoricas interpretationes quærendas esse, contendat; sed neque fas est, ea quæ discretis dierum spatiis condita dicuntur, uno temporis momento facta fuisse, affirmare: neque rursus existimare, ea esse nomina sine rebus, aut non ipsas res, quas illa propriè significant, designare, sed alias. Imo vero, sicut Cœlum & Terram in principio creata fuisse legentes, intelligimus eadem fuisse verum Cœlum & veram Terram, nec aliud quidpiam hisce vocabulis significari: ita reliquas etiam rerum ordinationes & opera quæ secuta sunt, adeo vanas appellationes non esse credamus oportet; ut rerum naturas nominum proprietati planissimè consentire fateamur.

In principio creavit Deus Cœlum & Terram. Hic sistito, quia cum Cœlo Terraque nihil aliud conditum fuit. Ipsæ quoque naturæ hac die productæ, nec dum prodierant; si enim Cœlo Terræque contemporaneæ fuissent; utique id minime Moses reticuisset. Sed nec antequam conderentur, illas nominavit, ne nomina rebus antiquiora faceret. Hinc porrò planum fit, Cœlum & Terram ex nihilo educta fuisse; quia nec dum erant aquæ, aut spiritus, ignis, aut lux, aut nox: cœlo quippe terraque recentiora sunt: Creaturæ ergo sunt; quia illis posteriora sunt: neque sempiterna sunt; quia ante illa non fuerunt.

Indicata cœli terræque creatione, Moses transit ad ea, quæ inter firmamentum terræque orbem velut in medio posita sunt: quæ vero supra firmamentum summa obtinent, silentio præterit. Nec enim ubi illa descripsit, ad cognoscendas spirituales substantias, quonam scilicet die constitutæ fuerint, ullum aditum nobis aut patefecit, aut innuit. Subdit itaque, terram fuisse tohu, & bohu, hoc est desertam, & vacuam, docens, vacuum & inane rerum substantiis antiquius esse; non quod vacuum rem esse credamus; sed ut inde nobis constet, solam terram extitisse; præterea nihil.

His præmissis de creatione Cœli & Terræ, & Vacuo; (temporaneas quippe naturas tempori succedere, necesse est:) progreditur Moses ad ipsas rerum substantias. *Et tenebræ*, inquit, *erant super faciem Abyssi*. Et quidem aquas eodem tem-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A tempore conditas fuisse ista convincunt: qua autem ratione, quove ordine id factum fuerit, Scriptura reticuit: cui proinde affirmanti, aquas procreatas fuisse, fidem habere interim sit satis; placeatque, tantisper expectare Mosen, qui doceat modum, quo illæ, Deo jubente, esse cœperunt. Nec porrò defuere, qui tenebras, aquarum abyssum operientes, corporum cœlestium umbram fuisse tradiderint: & sane, si B firmamentum primo die constitutum fuisset, istud nec putide, nec inepte dictum videretur. Cæterum si summi illi orbes firmamento similes essent, crassæ utique tenebræ spatia intermedia occuparent: nec enim lux, quæ postmodum producta fuit, cœlestibus orbibus communicata scribitur, ut offusam noctem inde dispelleret. At si interposita illa spatia proprio lumine non carent, sicut Ezechiel, Paulus & Stephanus C innuere videntur; quomodo cœlestes orbes, qui ingenita luce tenebras dissipant, noctem aquis offunderent?

Et quoniam statutum est, omnes conditas res sex dierum opificio comprehendi, etsi nulla de earum constitutione fiat mentio, sequitur nubes etiam primo die aliqua ratione esse cœpisse: quemadmodum etsi de ignis creatione nihil proditum sit, eum nihilominus una cum aëre conditum D fuisse credimus, quamquam hoc Scriptura non memoret: ita aquis nubes sociatas fuisse dicendum est, etsi hoc Scriptura reticuit, cum pariter, ut modo ajebam, de igne tacuerit. Ergo cum omnem naturam ab opificio sex dierum suam originem cœpisse fateamur, prætereaque videamus perpetuo ab aquis nubes generari, easdem una cum illis constitutas fuisse colligimus. Porro ex aquis nubes sublimari, te- E stantur Elias, qui nubeculam è mari ascendentem spectavit, & Salomon, cum ait *sapiencia illius scissæ sunt abyssi, & nubes stillarunt rorem*. Sed neque sola natura nubium suadet, ut illas primo die creatas fuisse dicamus; imo & earum effectus: existimamus enim primam mundi noctem ex nubium coitione accidisse. Enimvero sicut noctem illam, quæ per triduum Ægyptum tenuit, ex conglobatis nubibus creatam fuisse verisimile est: ita vero proxi- F mum est, primo illo mundi die, crassis spissisque nubibus obducto coelo, natam fuisse noctem. Nam si nubes illæ raræ & perspicuæ fuissent, prima illa dies luminoso corpore haudquaquam indiguisset, cum lucem eodem die conditam splendor corporum cœlestium supplere potuerit.

3.Reg.8.44. Prov.3.20.

Post

Post noctem diemque primum, secunda ineunte nocte firmamentum conditum est, cujus umbra secutas noctes constituit. Ergo sub initium primæ noctis cœlum & terra atque abyssus aquarum constitutæ sunt; quibus mox superinductæ nubes illam ascititiam noctem attulere. Postquam autem nubium umbra duodecim horas implevit, primæ nocti successit lux, quæ pridem offusas aquis ab incumbentibus nubibus tenebras dissipavit.

Dixerat: *tenebræ erant super faciem abyssi*. Nunc subdit: *& spiritus Domini incubabat aquis*. Etsi Interpretes nonnulli his verbis Spiritum Sanctum indicari crediderint, atque hinc colligant, eidem communem esse cum reliquis divinis personis naturam & virtutem rerum creatricem; nihilominus pii homines non ex iis, quæ consentanea non sunt, Spiritui Sancto divinitatem asserunt, sed ex iis dumtaxat, quæ de illo dicta fuisse, ipsis plane constiterit. Legimus enim spiritum Dei malum invasisse Saulem. Sed nec ad Spiritum Sanctum pertinere constat, quod de ejus incubatione hoc loco subjicitur. Quid enim ab ea incubatione primo die ex aquis factum est? Si autem eo die, quo aquis incubabat, nihil ex aquis factum est, die vero quinta, qua ex aquis pisces & volucres prodiere, spiritus aquis incubasse non dicitur; quis creatricem virtutem illi attribuat? qui quamvis aquis incubasse dicatur, nihil tamen ex illis produxisse dicitur eo die, quo incubabat. Ergo quemadmodum ex nubium effectu, qui umbra fuit, earundem creationem primo diei affigendam esse colligimus; ita ex effectu aëris, qui spiritus, seu ventus est, Mosen ejusdem creationem insinuare voluisse existimamus. Nam sicut nubem umbra, ita aërem spiritus seu ventus consequitur. Sunt nempe bene multa, quæ per se ignota, suis se effectis produnt, atque per eadem significantur. Cæterum quia aëri innatum est in spiritum seu ventum fluere, idcirco hic dicitur incubuisse aquis, hoc est, flasse. Spiritus ergo ille flabat super aquas, suamque a divino Opifice originem prædicabat. Post paulo, eodem nempe die, spirare desiit; quod pariter nubibus accidit, continuo atque die eodem evanescentibus.

1. Reg. 8. 10.

Hactenus de rebus sub initium noctis primæ constitutis, cœlo nempe, terra, tenebris, aquis, & aëre Moses egit. Nunc ad corpus luminosum primo die procreatum progreditur. Exactis itaque duodecim horis nocturnis, lux apparuit media inter

A inter nubes, & aquas: umbramque, & atram caliginem ex nubium coitione aquis offusam, continuo dispulit. Nisan primus mensium tunc agebatur, quo lucis & umbræ spatia æquantur: quare lucem per duodecim horas perseverasse necesse est; ut tantundem spatii, quantum tenebræ, lux occupasse dicatur. Nam etsi lux, & nubes momento temporis productæ sunt; attamen spatia lucis, & umbræ, primæ B diei, singula per duodecim horas mundum tenuerunt.

Lux ergo, quæ superficiem terræ tenere cœpit, vel splendentis nebulæ speciem referebat; vel solem orientem, aut columnam populi in eremo ducem, imitabatur: qualis qualis fuerit, planum est, noctem Universo incumbentem, ab ea dissipari nequivisse; nisi vel seipsa, vel emissis radiis, orientis solis adinstar, om- C nia late loca complevisset. Erat quippe vagum lumen, longe lateque diffusum, nulli proinde certo loco affixum, noctem undique dispellens, motuque carens, præter eum, quem ferebat subitus ortus, & occasus, quibus noctis distinguebatur initium, & finis. Hunc in modum, diei noctisque spatia dirimente luce, dies fluxere tres: quibus evolutis, ne lux in nihilum, unde prodierat, rediret, a Deo laudata D fuit. *Vidit*, inquit Scriptura, *Deus lucem, quod esset bona*: & rursus: *Ecce*, ait, *erat valde bona*: quibus verbis una cum luce, reliqua etiam Dei opera, ipsa luce antiquiora, commendantur. Nam etsi ab initio quum nuda e nihilo educta fuissent, Deus nihil dixisse legitur: attamen postquam ex illis cætera coagmentata, & comparata sunt, etiam ipsa laudavit. Omnia enim quæ vel creata vel genita fuere, intra il- E lud sex dierum spatium, illis verbis, quæ sub finem sextæ diei Scriptura refert, comprehenduntur. *Vidit*, inquit, *Deus cuncta quæ fecerat, & ecce erant valde bona.*

Hæc igitur primæva lux sua præsentia triduum confecit: quo intervallo conceptionem & productionem rerum tertio die ex terra procreatarum mirifice juvit, quas scilicet sol postero die in firmamento collocandus ad perfectionem maturitatemque F erat perducturus. Interpretes nonnulli existimant, ea, quam dixi, vaga luce, atque igne prima mundi die constitutis, postmodum solem fuisse conflatum, atque perfectum: sed & eandem lucem in lunam & astra itidem coaluisse. Porrò quemadmodum sol, diurnis horis præfectus, non modo terram illuminat, sed ejus etiam genimi-

na perficit; ita præses nocturni temporis luna, præterquam quod noctis æstum sua luce temperat, terram mirum in modum ad gignendum provocat: quod Moses innuisse visus est in suis benedictionibus: *De fructu*, inquit, *quem profert luna*.

Deut. 33. 14.

Cæterum etsi multa sint in creatione lucis annotanda, in primis observant Interpretes tempus: & prima die creatam fuisse docent, ut supra indicatum est, propter terræ genimina. Interim quum die tertio cuncta, quæ e terra oriuntur, in lucem prodiisse audis, omnia in Trinitate facta fuisse intellige. Lux postmodum in plura corpora distributa fuit, adeo ut a luna, quemadmodum pridem a luce, originem deinceps ducerent omnes fructuum proventus; & a sole incrementum, & perfectionem acciperent.

Terra itaque aquarum, & lucis subsidio omnia produxit. Nam etsi Deus ad procreanda terræ genimina illorum ope minime indigeret, ita tamen ipsi placuit, ut ostenderet, rerum in terra conditarum nullam esse homini inutilem, sed omnes ad ejusdem utilitatem, usumque accommodatissime fuisse constitutas.

Porrò quæ terram primo die alluebant, aquæ salsæ non fuerunt. Nam etsi aquarum abyssus ejus superficiem obtineret, nec dum tamen in maria defluxerat; ex eo enim affluxu aquæ pridem dulces salsedinem contraxerunt. Quum enim ad terram irrigandam per totum ejus ambitum latissime oberrarent, dulces utique erant. Quum autem tertia die in maria coaluissent, sale eas condiri necesse fuit, ne stagnantes simul corrumperentur: præterea ne mare, confluentibus undique a terra aquis, auctum exundaret, ipsamque vicissim submergeret. Amnes quippe in mare devolvi necesse erat, ut eidem velut nutrimentum subministrarent, quo deficiente mare paulatim calore solis siccaretur. Ne porrò inde, ut modo ajebam, præter modum incresceret, terramque obrueret, provisum est, ut ejusdem salsedine fluvialium aquarum copia absumeretur, atque evanesceret.

Quid? quod, etsi daremus maria in prima illa rerum constitutione sub abysso aquarum quodammodo delituisse; non recte inde colliges, superas aquas eadem salsedine affectas fuisse. Nam in cataclysmo maria utique mansere; sed affluentibus aliunde aquis quodammodo occulebantur, nec tamen externas, quibus operiebantur, aquas nativa salsedine inficere potuerunt. Si

[illegible]

A Si enim hoc effecissent, quomodo olivæ & stirpes, quæque e terra oriuntur, certum exitium evasissent? Quove liquore Noë ejusque familia, omnesque animantium species cum ipsis in Arca agentes, sitim restinguere potuissent? Quamobrem annonam quidem sibi, & familiæ, atque animantibus suffecturam importare in Arcam jussus est; quia omnem terram circumobsidente diluvio, aliunde comparari non B poterat: at non item aquas: quippe quæ Arcam ipsam circumalluerent, potumque volentibus abunde subministrarent. Patet ergo aquas tertio die in pelagus excurrentes, dulces fuisse, etsi illud salsum fuisse dicatur; quemadmodum diluvii aquæ, etsi maria obruerent, salsæ non fuerunt.

Cæterum sicut aquarum ad propria loca transitus illam Dei jussionem non antecessit: *Congregentur*, inquit, *aquæ*, *& appareat arida*; C ita nulla fuere maria ante illa verba: *Congregationesque aquarum appellavit maria*. Ergo nomen simul, & locum atque salsedinem, qua extra sedes suas eatenus caruerant, accepere. Sed & ipsum fundum, quo erant recipiendæ, cavandum fuit, hoc est, humum ipsam subsidere necessum fuit, sinumque laxare, in quem intra proprias, aquas externas etiam reciperet, quæ hactenus summam terram obti-D nuerant; fortasse se invicem exsorbentes aquæ, loco commensæ sunt: sive maris fundum scissum vastos profundosque hiatus aperuit, qua patefacta via, statim aquæ naturali pondere concitatæ, ad ima procurrerunt. Enimvero etsi divino imperio aquæ in eum locum confluere cogebantur; nihilominus in ipsa constitutione mundi data porta fuit, per quam propria conceptacula subirent. Quare sicut aquæ nec in prima, E neque in secunda coitione, locum adeo septum clausumque invenere, unde per occultos aut manifestos meatus effluere non possent: ita postmodum factum est, ut in pluvias & fontes dispertitæ, atque dispersæ, per poros ac tramites a prima mundi constitutione sibi patefactos, in sua quæque maria refluerent.

Jam quod reliquum erat, aquarum pars summa, quæ altera mundi die ab ima F interpositu firmamenti discreta divisaque fuerat, ad propria conceptacula sublimata fuit. Illæ tamen salsæ non sunt adinstar earum, quæ tertio die in maria coaluerunt; sed earum naturam retinuerunt, a quibus secunda die fuerunt divisæ. Non, inquam, salsæ sunt, quia nec corruptibiles sunt: neque enim in terra positæ sunt, ut putre-

fiant,

fiant; neque aër iste in illo summo agit, ut pisces aliave hujusmodi progignant; neque externarum aquarum supplemento egent, quum extra omnem solaris æstus injuriam positæ sint; utpote quæ in usum divinæ beneficentiæ atque vindictæ ibidem recondi asservarique credantur.

Rursum eas, quæ summum Firmamentum tenent, aquas oberrare vagarique, verisimile non est; nec enim credibile est, ea quæ ordinata & rata sunt, ab ordine & ratione unquam discedere; vel quæ extant per non extantia moveri. Sed nec dubium est, quin ea quæ in aliqua re præextante creantur, ab ipsa sua conditione habeant quæcumque sibi naturali jure debentur, puta motum, ascensum, & descensum, intra ipsam rem, in qua primum condita, & perpetuo constituta sunt. Postremum quum cœlestes aquæ nullo ambiantur corpore, sequitur eas nec extra propria conceptacula effluere aut errare posse, quum nullus fluxui errorique prostet, aut pateat locus.

Hoc ergo tenendum est, cœlum, terram, ignem, aërem, & aquam ex nihilo educta fuisse; hoc enim Scriptura docet. Lucem vero, & quæ lucem secuta sunt, ex rebus præextantibus concreata fuisse. Quum autem Moses, quæ ex nihilo conflata sunt, indicat, utitur verbo *creavit*: *creavit*, inquit, *Deus cœlum & terram*. Porro etsi ignem, & aquam, atque aërem creata fuisse Moses non dicit; at neque dicit, ex præextantibus rebus comparata fuisse: maneat ergo, illa ex nihilo, perinde ac cœlum & terram, Deo jubente, prodiisse. Quum autem Deus ex rebus, quas pridem e nihilo eduxerat, cæteras universi partes componere moliretur; Scriptura subdit: *Dixit Deus: fiat lux &c.* Quum autem legis, Deum creasse cete grandia, repete quæ Scriptura præmiserat: *Producant*, inquit, *aquæ reptile*. Ex nihilo igitur educta sunt illa, quæ supra recensui, cœlum nempe, terra, ignis, aër, & aqua; reliqua ex his præextantibus sunt coagmentata.

Nam ignem etiam primo die creatum fuisse probabile est, etsi id Scriptura reticuit: alteri quippe rei inest. Qui autem nec a se, nec sibi est, cum illa utique re, cui inest, creatus est: nec enim antecedere potuit, qui sibi non est, rem, quæ causa fuit, ut esset. Ignem porro terræ inesse, natura testatur: at una cum terra fuisse conditum, Scriptura non definit: ait enim: *In principio creavit Deus cœlum & terram*. Manet nunc etiam ignis a terra

A a terra discretus; etsi huic datum sit, ut nubium, aquarum, atque ventorum subsidio ignem perpetuo conciperet, atque generaret.

Tenebræ etiam nec sempiternæ sunt, nec aliquando cœperunt; sed umbra sunt; sicut Scriptura insinuat. Nec enim ante cœlum, nec post nubes, sed una cum nubibus, & ex nubibus natæ sunt; atque alteri substantiæ hærent; quia propriam non B habent; eaque deficiente, continuo deficiunt. Quod autem, altero desinente, pariter desinit, non extantibus æquiparatur: aliud quippe causa est, ut sit quod est. Tenebras ergo, quæ nubes & Firmamentum sequuntur, primamque illam lucem, & solem fugiunt, quomodo sempiternas & a seipsis esse dicamus? nimirum alterum, quum panditur, illas parit, alterum, quum oritur, perimit. Si enim hoc producit, efficitque C ut sint, & illud facit, ut non sint; quomodo sempiternæ sint? Animadvertite, ut nubes & Firmamentum sub ipsam mundi constitutionem tenebras pepererunt, utque lux eodem die exorta continuo illas dissolvit. Si autem tenebras altera creatura condidit, & altera extinxit (altera quippe tenebras eadem hora perpetuo repræsentat, & altera, quo momento accidit illas evanescere, easdem discutit) af- D firmare cogimur, alteram tenebris initium, alteram finem dare. Si autem creaturæ tenebras creant, & destruunt, sequitur ipsas esse creaturarum creaturam: quia pandente se umbra Firmamenti, tenebræ simul oppanduntur; sole autem exoriente, occidunt & evanescunt. Hoc tamen, quod perpetuo creaturis subditum cernimus, dogmata quædam inimicum creaturarum constituunt: & quod nec propriam habet substantiam, E sempiternum, & ex semetipso suspensum faciunt.

Taxat. Ma[…] nichæos v. Aug. l. 2[…] contra Faustum.

Hactenus de opificio primæ diei Moses egit: nunc opera insequentis diei persequitur in hæc verba. *Et dixit Deus: fiat Firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas, quæ sub Firmamento sunt, ab aquis, quæ super Firmamentum sunt.* Firmamentum aquis interjectum, ex aquis firmatum est, protensumque supra terræ F superficiem, in eam amplitudinem & modum, quibus Abyssus aquarum pridem pandebatur. Divisis eum in modum aquis, pars altera summa petens, Firmamentum texit, altera pars loca terræ & igni constituta retinens, laxato sinu illud complexa est. Quamobrem Firmamentum superis inferisque aquis interceptum, speciem infan-

infantis intra materni uteri ſeptum poſiti repræſentat. Quidam Interpretes Firmamentum, utpote in meditullio ſitum, Univerſi umbilicum eſſe ſtatuunt.

Atenim ſi Firmamentum in medio Univerſi conſtitutum fuit, lux utique, & tenebræ, & ſpiritus, quæ tunc ſupra firmamentum erant, in eodem loco ſubſtiterunt. Sive autem de nocte Firmamentum conditum fuerit, tenebræ utique, & ſpiritus ibidem ſuberant: ſive de die, & præter ſpiritum & aquas, lucem etiam ibidem fuiſſe dicendum eſt. Sed ſi hoc verum ſit, iſta ergo hic poſita, alia & diverſa ſunt: & cedo quandonam condita fuerint? Quod ſi ibi nequaquam ſubſtitere, quomodo naturæ, quæ quum Firmamentum conderetur, eidem ſuperſtabant, mutatis ſedibus ſubeſſe cœperunt?

Firmamentum autem, ſecunda jam incumbente nocte, conditum fuit, quo aſſurgente, nubes, quæ in modum tentorii conformatæ, noctes hactenus conſtituerant, protinus evanuere: & quoniam Firmamentum inter lucem, ac tenebras poſitum fuerat, tenebræ ejus ſumma tenuerunt; umbra quippe nubium, diſcuſſis nubibus, ſimul evanuit. Sed nec lux eo in loco manſit, quia horarum ſpatium ſibi definitum emenſa, aquis Firmamento ſubjectis ſe merſit. Neque ſpiritus ibi conſiſtere potuit, quia ibi non erat. Legimus enim prima nocte ventum ſpiraſſe; non item ſecunda. Sique prima nocte, flante jam vento, Firmamentum conditum fuiſſet, quæſtioni locus foret. Si autem in creatione Firmamenti ventum ſpiraſſe non proditur, quis ſpiritum illic extitiſſe, tacente Scriptura, aſſeveret?

Quum itaque ventus prima mundi die ſpiraſſet; ita demum velut ſuo jam munere defunctus, conticuit: apparuitque continuo Firmamentum. Quare ventus nec ſupra ſubſtitit, nec infra deſcendit. Enimvero fruſtra quæritur extra actionem locus rei, cujus eſſe eſt agere, adeo ut actione ceſſante, ipſam ceſſare ac interire neceſſe ſit. Talis eſt ventus, cui proinde die ſuæ creationis tria accidiſſe obſervo, quod ſcilicet e nihilo eductus eſt: quodve in rebus, & intra ipſas res ſpiravit; poſtremum, quod refluens ſuo ſe ſilentio abdidit. Tria hæc ſpiritus peregerat; quum ineunte nocte diei ſecundæ creatum eſt Firmamentum. Nihil igitur cum Firmamento in ſummo locatum eſt, nihil illi ſuperſtat. Siquidem aquas ab aquis, non item lucem a ſpiritu, vel tenebris, interpoſito

[illegible]

A to Firmamento, ſecerni dividique juſſit Deus.

Lux ergo prima Mundi nocte non fuit; ſecunda vero, ac tertia diffuſis ſub Firmamento aquis immergebatur, ut dictum eſt, indeque ſtatutis horis rurſus erumpebat. Quarta enim nocte, qua aquæ in unum locum confluxere, exiſtimant Interpretes, lucem perfecte demum conſtitutam ordinatamque fuiſſe. Tum vero ex luce

B ſimul & igne ſolem, & lunam, & aſtra fuiſſe conflata. Sedes pariter luminaribus fuiſſe diſtributas, & lunam quidem in occaſu locatam fuiſſe, in ortu ſolem, reliqua ſidera per totum Firmamentum diſſeminata, atque elegantiſſima ratione diſpoſita fuiſſe.

Etſi porro Deus lucem primo die conditam laudaſſet; Firmamentum tamen poſtera die conſtitutum ſine laude dimiſit; &

C recte: quia necdum perfectum fuerat, nec ordinem ornatumque ſibi convenientem acceperat. Reſtitit tantiſper conditor, & expectavit, dum fierent luminaria, & ſolis, ac lunæ, atque ſiderum luce tenebræ Firmamento offuſæ diſſiparentur; atque hiſce optime conſtitutis, tum demum Deus Firmamentum eiſdem, quibus reliqua opera ſua laudaverat, verbis valde bonum eſſe pronunciavit.

D Poſtquam Firmamentum, ſecundam nempe divini opificii partem, Moſes deſcripſit; tranſit ad narrandam aquarum ordinationem, earumque in unum locum coitionem, indeque ſecutam die tertia plantarum, ac ſtirpium productionem. *Et dixit Deus congregentur aquæ, quæ ſub cœlo ſunt, in locum unum, & appareat arida.* Hinc planum fit, a terra aquas ſuſtineri: nec enim infra terræ globum poſitæ ſunt, ut

E ſeipſas ſuſtentare dicamus. Divino itaque imperio concitæ illico in unum locum confluxere aquæ. Terræque ſuperficies eadem nocte, atque momento eodem, quo præparatos gurgites petebant aquæ, ſiccata eſt.

His ita de nocte compoſitis, Deus, aperiente ſe die, juſſit terram herbas & gramina omnis generis, pomiferarum item arborum varias ſpecies proferre. Et gramina quidem & herbæ, etſi reputanti exa-

F ctum ab ortu tempus, momentum vix excederent; at earundem ſubitum incrementum, & abſolutionem intuenti, plurium menſium id opus eſſe videbatur. Arbores ſimiliter, etſi nec unum a ſua procreatione diem numerabant, contemplantibus tamen ipſarum perfectionem, & fructuum ex earum ramis pendentium copiam, & præſtan-

stantiam, multorum annorum ætatem præseferebant. Interim terra fœnum animantibus, duos post dies in lucem prodituris parabat; & poma ferebant arbores Adæ, & ejus Conjugi quarto abhinc die e Paradiso ejiciendis, futuram annonam.

Ab aquarum constitutione, atque progerminatione plantarum ad Astrorum fabricationem Moses assurgit, subditque: *Et dixit Deus fiant luminaria in Firmamento Cœli, & dividant diem, ac noctem*; ita scilicet, ut alterum luminare horas diei, noctis alterum dispenset. *Et sint in signa*, utique horarum, & *in tempora*, hoc est tempestatum anni, puta hiemis & æstatis, & *in dies*, ut scilicet dies definiant, quod ortu suo, & occasu sol perficit, & *in annos*. Anni quippe ex diebus solis, lunæque mensibus componuntur.

Subditur: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus, ut præesset diei: & luminare minus, ut præesset nocti: & stellas*. Quamvis initium operum, quæ facta sunt ante quartum diem, a vespera desumendum sit; opus tamen quarti diei a mane inchoatum fuisse, ratio ipsa convincit. Quum enim tertius dies completus esse intelligatur post illa verba: *Factum est vespere, & factum est mane dies tertius*; Deus duo illa luminaria horis vespertinis non condidit: alioquin umbræ, lucisque ordo turbatus fuisset, tempusque matutinum vespertino antistetisset.

Quia vero primi diei ordinem reliqui secuturi erant, quarti diei nox eadem, qua præcedentes, periodo lucem antegressa est. Jam si vespera mane ejusdem diei antevertit, ergo non vespere, sed mane condita fuere luminaria. Affirmare autem alterum vespere, alterum mane creatum fuisse, id profecto facile concedendum non est, attenta vi, & proprietate illorum verborum: *Fiant luminaria, fecitque Deus duo luminaria magna*. Jam si magna fuerunt tunc, quando condita sunt, & mane condita sunt, sequitur Solem in Oriente, Lunam vero Soli oppositam in Occasu fulsisse; tametsi sol quidem humilior, & Horizonti contiguus conspectus est: in eo quippe loco, in quo oriri solet, constitutus fuit. Luna vero excelsior, & plane conspicua; quia in ea ab Horizonte distantia locata fuit, quam a sole digressa, tenere solet, die ab ejusdem congressu quintadecima. Quum igitur sol terræ primum illuxit, ambo luminaria se se mutuo respectabant. Luna deinde recedens, interpositu interjectuque maris occultata, &

A & velut submersa videri desiit. Quamobrem tum ex loco, in quo luna posita fuit, tum ex ejusdem specie, & forma, sequitur illam creatam fuisse in eo statu, qualem habere solet die a coitu solis quintadecima.

Cæterum perinde ut arbores, plantæ, terrestres & volucres bestiæ, atque ipse homo adulti simul, & novelli dici poterant; adulti quidem, illorum speciem, staturam, & robur contemplanti; novelli B vero, eorumdem ætatem supputanti: ita luna senescens, & crescens eadem die dici potuit: crescens quidem, quia eodem nata momento; senescens vero, quia plenum sinuata in orbem apparuit, qualis quinto decimo die prænitet. Nam si talis luna fulsisset, qualis micat post unum, aut alterum diem; lucem utique in terras mittere non poterat; hoc enim fieri nequit, quando luna cum sole congreditur; imo C nec spectari potuisset. Si autem luna tantum solummodo lucis incrementum accepisset, quantum quatriduo ipsi accedere solet; videri quidem, non tamen lucere super terram potuisset; unde neutrum verum esset: & quod quarto die Deus duo luminaria magna fabricatus fuisset; & quod ambo super terram luxissent. Sicut autem luna, qualis quintodecimo die pænitet, orbe pleno creata est; ita & sol quatri- D duum numerabat, quasi primo mundi die conditus fuisset; quia scilicet dierum numerus, & ordo, non ab alio, quam a sole petendus fuit.

Undecim porro dies, quibus luna solem præcurrit, suppleti sunt primo ipsius anno; iidemque sunt, quos hodieque lunari periodo adjicere solent, quicumque ex annuo lunæ cursu tempora supputare consueverunt. Ille namque annus Adæ E traditus imperfectus utique non fuit; quum omnis defectus sub ipsam lunæ constitutionem suppletus fuerit. Ab illo autem anno Adæ posteri undecim dies lunari periodo deinceps adjicere didicerunt. Non enim Chaldæi temporum ordinem rationemve invenerunt, quum ipso Adamo antiquior sit.

A siderum descriptione ad aquarum elementum Moses descendit; piscium que F atque volucrum inde quinto die productorum creationem narrat. *Dixitque Deus producant aquæ reptile animæ viventis, & volucres volantes super terram. Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, quam produxerunt aquæ in genere suo.* Quoniam secundo mundi die, refluentibus suos in gurgites marinis aquis, con-

contractisque in proprios alveos fluviis, fontes quoque suis emicuere locis, & stagna lacusque apparuerunt; continuo, Deo jubente, distributæ per universum terræ globum aquæ, pisces & minora reptilia procrearunt. Nam Cetos & Dracones maria protulerunt. Ex eodem simul elemento prodiere aves; turmatimque in vicinum aërem involarunt. Inter cæteras Draconum species Leviathan, & Behemoth Prophetæ meminerunt; & primum quidem in mari vivere ajunt, alterum Behemoth animal terrestre esse innuit Job; & David Behemoth in montibus mille pastum quærere & stabulari ait. Fortasse ambo ex aquis primum editi sunt, & Leviathan in mari perstitit, Behemoth in terram invasit.

Job.40.10. Psal.49.10.

Ab opificio quinti diei, quo aves, serpentes, & ceti editi sunt, Moses ad sextum diem procedit; & creationem cæterorum reptilium, bestiarum & pecorum describit: *Dixitque Deus producat terra animam viventem in genere suo.* Pecora scilicet, & reptilia, atque bestias. Et quamvis totum terræ elementum reptilia continuo fuderit: at bestiæ & pecora juxta Paradisum constituta fuere, jussaque Adæ adventum expectare. Terra itaque divino excita præcepto protulit extemplo serpentes, bestias agrestes, & feras & pecora, quotquot exigebat commodum & usus illius, qui eodemmet die Domini sui mandatum transgressus est. Adam hic fuit, cujus formationem hoc ipso die Moses postremo loco narrare aggreditur.

Dixitque Deus. Cui? quemve alloquebatur Deus hic & alibi, quando Universum moliebatur? Patet Filio Patrem locutum fuisse, quum Evangelista scribat: *Omnia per ipsum facta sunt & sine ipso nihil factum est*: & quum Paulus de illo definiat, & dicat: *In ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra, visibilia, & invisibilia.*

Jo.1.3. Coloss.1.16.

Et ait Deus. Faciamus hominem ad imaginem nostram: ea scilicet potestate præditum usque modo, ut nihil impediat, quo minus, si ipsi placeat, nobis parere possit, sui arbitrii jurisque. Qua autem in re Dei imago simus, Moses indicat subdens: *ut præsit piscibus maris & volucribus ac bestiis atque universæ terræ*: potestate ergo & imperio, quod in terram resque terreno orbe comprehensas, homo accepit, imago Dei est, qui superis inferisque dominatur.

Quod subdit: *masculum & fœminam fecit eos*: ostendit in viro mulierem comprehensam, in costa scilicet eidem mox detrahen-

[illegible]

A trahenda. Etsi in Adamo Eva secundum mentem & animum non fuerit, sed secundum corpus & carnem, nihilominus non corpore dumtaxat in viro fuit, quia etiam anima & spiritu in ipso fuit; Nec enim Deus quidpiam costæ, quam ad formandam Evam decerpsit, præter ornatum & structuram adjecit. Quod si ex ipsa, & in ipsa costa suppletum est quidquid ad Evæ formationem utile erat; non B immerito dictum est: *Masculum & fœminam creavit eos.*

Benedixitque eis Deus & dixit: crescite & multiplicamini; & replete terram, & subjicite eam; & dominamini piscibus maris & volatilibus, & omni bestiæ, quæ movetur super terram. In hoc ergo terreno orbe protoplastæ benedictionem accepere. Hunc nempe locum ipsis, antequam peccarent, habitandum destinaverat Deus; quia ante- C quam peccarent, peccaturos præsciebat.

Crescite & multiplicamini, & replete terram, non Paradisum, ait, sed terram, & dominamini piscibus maris, & volatilibus, & omni bestiæ. Quomodo autem imperium in pisces exercerent, si remotissimis a mari locis protoplastæ addicendi fuissent? aut quomodo sibi subjicere juberentur aves, per aërem vagantes, si futurum non fuisset, ut illorum posteri per D omnes se mundi partes circumfunderent? & quomodo omnes bestias terræ iidem sub jugum mitterent, si universam terram non fuissent occupaturi?

Sed enimvero quamquam Adam conditus, & benedictus fuerit, ut terræ & bestiis in ea positis dominaretur; nihilominus illi Deus in Paradiso domicilium fixit: sic suam ostendens præscientiam, quum homini benediceret; bonitatem, quum illi E beatissimam sedem destinaret. In Paradisum namque Adamum transtulit, & in amœnissimo loco collocavit; ne illum deliciarum hortum non in gratiam hominis condidisse diceretur; & rursus ne ejus peccatum minime præscivisse crederetur, in hoc terreno orbe ei benedixit. Benedictionibus autem transgressionem antevertit; ne culpa hominis Dei benedictiones in cassum reciderent, atque universum in F nihilum redigeret hominis stultitia, propter quem omnia pridem e nihilo Deo jubente prodierant. In Paradiso itaque hominem Deus non benedixit; quia tum locus, tum res ibidem positæ susceperant benedictionem: benedixit autem Adæ in hoc terreno orbe, ut benedictio, quam gratia anteferebat, maledictionem, a ju-

ſtitia poſt paulo ferendam dilueret. Et quamquam Dei benedictio promiſſio fuerit, quæ ante Adæ e Paradiſo exitum impleta non fuit; gratia tamen res fuit: eodem namque die in paradiſum hominem tranſtulit, gloria & honore coronavit, & ſuper ejus loci arbores conſtituit.

Hactenus de ſerpentibus, quadrupedibus & quibuſvis animantibus, præcipueque de homine, eorumque benedictionibus, ſexto die tranſactis Moſes egit. Nunc pergit porro, Deique die ſeptimo ceſſationem, & requiem deſcribit. *Perfecti ſunt*, inquit, *cæli & terra & omnis virtus eorum, & quievit Deus die ſeptimo ab omnibus operibus, quæ patrarat*. Jam quæres, quonam a labore quievit Deus? Nam ſi creaturas primi diei nutu condidit præter lucem, quæ verbo producta fuiſſe perhibetur; & quæcumque poſtmodum molitus eſt, verbo itidem creavit: num inde putes Deum labore delaſſatum, requiem optaſſe? quum nec hominem defatigatum dixeris, quod unum verbum per ſolidum diem protulerit. Sique Moſes quum mare virga verboque divideret, & Joſue filius Nun imperio ſidera cohiberet, fatigati non fuerunt; quis Deum laboraſſe dicat, quum maria & aſtra jubendo crearet?

Non ergo Deus diei ſeptimo benedixit, & ſanctificavit illum, quaſi requiem ſibi quæreret; non enim laſſitudini fatigationique obnoxius eſt. Neque eam dumtaxat ob cauſam Sabbatum ſecrevit, ut ſimile otium Iſraëlitis, eorumque famulis ſerviſque daret. Quando enim a ſervitute exemti fuerunt, dies diſtinguere necdum ſciebant; ut ſibi ſuoque ſervitio aliquam a labore vacationem indulgerent. Diſtinxit itaque Deus ſeptimum diem, ut hero etiam invito, ſervus quieſceret: idemque ad otium fuit inſtitutus, datuſque Iſraelitis, ut diſcerent in Sabbato deficiente, defecturis hominibus indulto, Sacramentum veri Sabbati, quod mundo ſine fine manſuro concedendum præſignabatur. Præterea quoniam hebdomas dierum inſtituenda erat, diem ſeptimum Deus benedictione exornavit, quem operibus minime decoraverat, ut hujuſmodi prælatione ſuis comparibus Sabbatum coæquaret; & ſeptenarius dierum numerus, utpote mundo neceſſarius, compleretur.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

A Sabbati otio, & sanctificatione Moses iterum ad primam rerum originem & creationem stylum reducit; ut iis quæ narraverat summatim perstrictis, ad cætera quæ fusius exponenda supererant, progrediatur. Cœptam ergo de Mundi origine narrationem retexens: *Istæ*, inquit, *sunt generationes cæli &* *terræ*, *quando creata sunt*, *in die*, *qua fecit Deus cœlum & terram*: *& omne virgultum agri nondum erat*, B *nec herba germinaverat*: *non enim pluerat super terram*: *nec erat homo qui coleret terram*: *sed fons ascendebat de terra & irrigabat universam superficiem terræ*. Animadvertin' quicumque ista audis; quomodo, etsi Scriptura creationis dies Sabbatumque peculiari benedictione consecratum hactenus descripserit; nihilominus divini opificii historiam ab ipso exordio repetat: *Hæ sunt*, inquit, *generationes cœli & terræ*: C idest, hæc est chronotaxis creationis cœli & terræ, *in die quo fecit Deus cœlum & terram*. *Nullas adhuc terra stirpes aut herbas protulerat &c.* Quamquam ista primo die reipsa condita non fuerint; tertio enim die in lucem prodiere: attamen nec temere aut præter scopum opificio primi diei attexta fuere.

Subdit mox causam, cur nec arbores nec gramina terra hucusque produxisset; D Quia nec Deus hactenus imbribus agros madefecerat; sed fons ex ipsa terra prosiliens, ejus superficiem rigabat. Quandoquidem quæcumque ex terra oriuntur, ex aquarum terræque commistione olim, hodieque procreantur; Moses indicare voluit, nec plantas nec reliqua terræ genimina cum ipsa terra primum constituta fuisse; quia necdum cœlum depluerat. Quum vero postmodum ex abysso magna E magnus fons saliens terræ summa adaquare cœpisset; tum vero contractis in propria conceptacula aquis, terra genimina sua tertio die fudit. Illas porro aquas, quibus primo die tenebræ incubuerant, easdem esse reor, quæ ex ista scaturigine prosilientes, universam terram mox operuere. Et hunc esse fontem, qui sub Noë tempora apertus, omnium montium cacumina texit: nec enim ex aliquo infra terram loco prosiliisse Scriptura dicit, sed ex F ipsamet terra. Aquas proinde hujusmodi terra antiquiores non fuisse, ipsa terra, quæ illas velut in suo utero portabat, testatur. Fons ergo ascendebat de terra, ipsamque irrigabat: unde fœcunditatem adepta, stirpes, frutices & herbas continuo profudit. Nec id factum putes quasi Deus

Deus illa sine aquarum subsidio ex terra procreare nequiret: sed quia terræ feracitatem aquis alligare, ipsi placuit; & hunc quidem ordinem a principio ita instituit, ut per annos recurrentes traductus, ad finem usque temporum constans, ratusque perseveret.

In hoc itaque capite suppletis quæ primo die attexenda fuerant, Moses ad formationem Adæ calamum promovet, subdens: *Homo non erat, qui operaretur terram.* Et quidem nullus extitit ante sextum diem, quo Adam creatus fuit. *Formavit itaque Dominus sexto die hominem de limo terræ, & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ; & factus est homo in animam viventem.* Et quamvis bestiæ, pecora & volucres animam simul & corpus in ipsa sua creatione similiter accepissent; hominem tamen Deus supra illorum conditionem multo altius extulit. Imprimis ipse hominis corpus suis manibus finxit, suoque spiritu animavit, ut hic Scriptura loquitur. Rursus homini potestatem, imperiumque dedit in res omnes, quas intra, vel extra Paradisum condiderat: dignitatem insuper adjecit, & majestatem, rationem & intelligentiam, atque Numinis divini sensum.

Hæc de hominis magnifica formatione præfatus Moses, Paradisi descriptionem & Adæ in eundem translationem persequens: *Plantaverat*, inquit, *Dominus Paradisum Eden a principio, in quo posuit hominem, quem formaverat.* Eden est ipse Paradisi locus. *A principio*: quia Deus tertio die Paradisum plantaverat; quod Scriptura indicat illis verbis: *& produxit Deus de humo omne lignum aspectu desiderabile & pulchrum ad vescendum.* Utque innueret de Paradiso illa narrari, subdit: *& lignum vitæ in medio Paradisi, & lignum scientiæ boni & mali.*

Hæc de Paradiso prætexens, fluvium inde scaturientem indicat, quem extra primæ scaturiginis locum in quatuor findi flumina scribit: *Fluvius*, inquit, *egrediebatur de Eden ad irrigandum Paradisum.* Hic rursus beatissimam illam deliciarum sedem, in qua Paradisus situs erat, *Eden* appellat. Fluvius autem nisi Paradisum rigaret, non utique Paradisum transvectus, aquas in quatuor alveos dividere diceretur. Fortasse flumen illud deliciarum ortum rigare dictum est ex abusione vocabuli: nam si Paradisi arbores spirituales erant, adaquatione utique non egebant. Sin autem dicas illas quum spirituales essent, fontem pari-

[illegible]

A pariter spiritualem & benedictum bibisse: de hoc nolim equidem contendere: ajo tamen aquas in quatuor, ut dixi, alveos dispensatas, non cum servasse saporem, quem ex ipso fonte hauserant: si enim in hac humo, quæ maledictionis sententiæ supposita fuit, aquas variare videmus; consequens est Paradisi aquas inter se pro locorum diversitate tantum variasse, quantum gustus terræ benedictæ Eden distabat B a sapore hujus loci, qui, propter Adæ transgressionem, subest execrationi justissimi Dei.

Quatuor porro fluvii sunt, Phison, qui & Danubius: Geon qui & Nilus: Tigris, & Euphrates, intra quos habitamus. Et quamvis loca, unde erumpunt, nota sint, alius tamen fons est, unde primum scaturiunt. Paradisus enim procul in editissimo loco positus est. Inde ergo C delapsi, circa ipsum Paradisum cuniculis recepti, se condunt, continuoque cursu, velut è sublimi scatebra mare subeuntes, perque ejus fundum transvecti, distinctis fontibus tandem prosiliunt; Phison primus ad occasum; alter Geon ad austrum; & Boream versus Euphrates ac Tigris.

Prosequitur Moses, & Adæ in Paradisum migrationem, atque præceptum ipsi impositum narrat; *Et adduxit*, inquit, D *Dominus Deus Adam & dimisit in Paradiso Eden, ut operaretur, & custodiret illum*. At quomodo agrum Paradisi excoleret homo omni agriculturæ instrumento destitutus? aut quomodo tot terræ jugera exerceret, quum tanto labori vires neutiquam pares afferret? Sed nec Paradisus ejus opera indigebat; quum nec inutili gramine, nec vepribus infestaretur. Rursus quomodo Paradisum custodiret, quum illum E nec munimentis nec præsidiis sepire posset? Sed & a quo custodiret, quum nec fures essent nec latrones, quos cavere aut repellere oporteret? Profecto custodia post mandati transgressionem apposita testatur necessarium non fuisse custodem, dum ipsum mandatum custodiretur. Nec ergo alia, quam divini præcepti custodia Adæ imperata fuit: nec aliud opus injunctum, quam ut impositam sibi legem observaret. Si quis F autem insistat, Adamum cum hoc onere, gemino illo præcepto fuisse gravatum; non abnuo, nec contradico.

Hactenus ingressum Adæ in Paradisum ejusque causas Moses retexuit: subdit nunc præceptum eidem impositum. *Et præcepit*, inquit, *Deus Adæ dicens: ex omnibus lignis Paradisi comedes: ex ligno autem scien-*

scientiæ boni, & mali ne comedas; quacumque enim die ex eo comederis, morte morieris. Hoc sane præceptum grave non fuit; quandoquidem Deus protoplastis totum Paradisum concesserat, & unam dumtaxat arborem interdixerat. Si enim una sufficiente victum arbore, reliquis abstinere jussi fuissent; profecto quæ esurientibus cibum præbebat, eadem peccantibus elevandi criminis rationes suppeditasset. Quum autem pro una arbore, qua data, satis datum fuisset, Deus plurimas obtulerit, prævaricationem non necessitas fecit, sed contemtus. Unam igitur arborem vetuit Deus, pœnæque capitalis sepsit formidine; ut si forte ad parendum mandato mandantis amor minus impelleret, frænaret excubans circa arborem metus, contineretque, ne limitem a lege positum temere transilirent.

Hinc porro progeditur Moses ad nomenclationem bestiarum ab Adamo institutam. *Formavit*, inquit, *Deus de terra cuncta animantia agri, & volatilia cœli; adduxitque ea ad Adam, ut videret, quid vocaret ea.* Animantes autem, & volucres divini utique Opificis manus non finxit; sed terra bestias, & aqua volucres protulerunt: nec aliud Scriptura significat; quum illud verbum *formavit* hoc loco usurpat; constat enim omnes serpentes, quadrupeda, & aves ex aqua terrave decerpta & generata fuisse.

Quæ mox subdit: *Et adduxit ea ad Adam*, indicant tum protoplastæ sapientiam, tum pacem, quæ ante mandati prævaricationem hominem cum reliquis animantibus mutuo amore sociabat. Convenere itaque ad Adam velut ad pastorem gregem suum complexari paratum, atque singulæ in turmas & species proprias ordinatissime distributæ plane sine metu, coram illo transibant, quum nec ipsum nec se invicem timerent: præcedebant turmæ bestiarum noxiarum, impavidæ sequebantur innoxiæ. Hoc ergo die Adam supremam potestatem principatumque universi auspicatus est, Deo, quod promiserat & impertita benedictione sanciverat, opere sine mora complente: adeo ut eodem die, quo hominem condiderat, simul ad imperium mundi provexerit: etsi ille in officio non manserit, sed mutata mente celerrime a suo Conditore defecerit. Neque vero, quod pollicitus fuerat, imperium solummodo dedit, sed & nomenclationem, quam non spoponderat, adjecit. Quodsi Deus homini majora promissis præstitit; quo-

A

B

C

D

E

F

[illegible]

quomodo promiſſa negaſſet; niſi ille proprio ſcelere Dei mentem avertiſſet?

Jam, ſupra hominem quidem non eſt, non multa nomina excogitare, vel eadem memoria tenere; at profecto communem humanæ mentis capacitatem ſuperat, uno tempore plurima diverſiſſimorum nominum millia invenire, ſingulisque rebus accommodare; ut ultima cum primis minime confundas. Quod ergo Adam nomina pluribus ſpeciebus ſerpentum, reptilium, quadrupedum, ferarum, & avium impoſuerit, non hoc admodum difficile fuit; ſed quod ſingulas proprio nomine citra omnem errorem diſtinxerit; hoc Dei eſt; ſique hominis, illud ex Dei munere fuit. Nunc age: quum Deus Adæ mundi imperium, & poteſtatem in omnes animantes ipſa nomenclatione communicaviſſet, eundemque coronaſſet gloria, & horto deliciarum donaſſet; quid amplius eum decebat homini præſtare, ut de præcepti obſervantia ſollicitum haberet?

Jam vero de Adæ ſopore, & conjugis ex ejus coſta formatione acturus Moſes, *Adæ*, inquit, *non inveniebatur adjutor ſimilis ejus*. Evam deſignat, quia etſi plures adjutores in beſtiis & pecoribus haberet, attamen impendio magis conſentaneum erat, habere cognatum, ſuoque e genere ſodalem. Eva quippe præter rei familiaris adminiſtrationem, operam valde utilem viro præſtitura erat, tum in cura gregum omnique re pecuaria, tum in opificiis, & fabricis, aliiſque hujuſmodi operibus, quantum fœmineæ vires ferre valuiſſent. Nam etſi beſtiæ Adamo parebant ad nutum; at profecto in ea, quam dixi, cura, vix ullo auxilio eſſe potuiſſent: propterea que illi Deus adjutricem dedit mulierem, quæ rerum ejus ſatageret, & laboranti in pluribus adeſſet.

Immiſitque Deus ſoporem in Adam: quumque obdormiſſet, tulit unam de coſtis ejus, & pro ea carnem obduxit, & præparavit Dominus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam. Ergo qui hactenus inſomnis pervigilaverat, & claræ lucis uſura mirifice delectatus nunquam ſe ad quietem compoſuerat, repente procubuit humi nudus, & obdormiit. Veriſimile eſt, Adamo ſomnianti per viſum fuiſſe objectum, quod tunc in ipſo gerebatur. Quum autem coſta momento exerta fuiſſet, parique celeritate ejus locus carne fuiſſet ſuppletus, nudatam eum in modum coſtam ad pulcherrimam mulieris formam ſpeciemque ſuis numeris

meris absolutissimam refinxit Deus, Adæque continuo præsentavit. Adam ergo unus fuit, idemque duo: unus sane, quia unus Adam: idem duo, quia ab ipsa sua conditione fuit ita comparatus, ut vir in fæminam geminaretur.

Hæc Adami dormientis acta: sequuntur ejusdem evigilantis dicta. *Dixitque Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis & caro de carne mea. Hæc vocabitur virago, quia de viro sumta est. Hoc nunc*, idest, hæc, quæ post cæteras animantes ultima nunc paruit, iis utique comparanda non est: ex humo quippe illæ decerptæ sunt; hæc vero non ita, sed *os est ex ossibus meis, & caro de carne mea*. Porro vel prophetico spiritu afflatus hæc locutus est; vel per objectum in somnis visum intellexit, sicut superius indicatum fuit. Et quoniam eodem die cunctis animantibus propria nomina Adam fecerat; costam pariter ædificatam in fœminam non proprio nomine Hevam, sed mulierem communi appellatione nominavit. Verba, quæ tunc Adam subjecit, *Relinquet homo patrem suum & matrem suam, & adhærebit uxori suæ*: designant conjugum societatem, & indissolubilem conjunctionem, qualis in primo illo conjugio fuit.

Pergit: *erant ambo nudi, & non erubescebant*: Pudore utique non suffundebantur, non quod hanc affectionem non caperent, & pueri essent: nam si tales fuissent, sicut externi quidam dixerunt, scriptura non diceret, illos nudos fuisse, & nihilominus non erubuisse: neque rursus illum modum loquendi usurparet, *Adam & uxor ejus*, nisi pubertatis annos attigissent: sed & nomina, quæ Adam animantibus imposuit, satis superque nobis ejus prudentiam sapientiamque persuadent. Præterea illa verba, *ut operaretur & custodiret illum*, Adæ corpus robustum validumque fuisse, atque laboris apprime patiens ostendunt: & præceptum utrique conjugi indictum, ambos puberes & adultos fuisse convincit: Postremum mandati prævaricatio superbiam utriusque & contumaciam accusat. Caussam itaque cur erubescerent, sustulerat stola gloriæ, quam induerant; qua quum post inobedientiam exuti fuissent, merito erubuerunt, puduitque esse nudos, ut ambo ad carpenda vicinæ arboris folia festinarent; quibus tamen non corpora, sed propriæ ignominiæ membra contegerent.

Hæc Moses de nuditate protoplastarum prodidit, quæ vitiosum pudorem usque adeo exclusit, donec gloriosam stolam, coele-

A B C D E F

[illegible]

A cœleste munus ipsis gestare libuit. Subditque statim callidum serpentis consilium, scribens: *Sed & serpens erat callidior cunctis animantibus agri, quæ fecerat Dominus.* Etsi serpens mutas animantes calliditate superasse dicitur, non inde arguitur, illum callidiorem fuisse homine cunctorum animalium summo Rectore. Neque enim quia naturali sagacitate modum bestiarum excederet, inde sequitur illum hominis perspicacitatem

B intelligentiamque ullo pacto adæquasse. Mutis ergo dumtaxat animantibus serpens callidior fuit, & pecudibus ratione carentibus. Serpentem enim, qui hominis sapientiam sensumque non habuit, planum est nec ejus prudentiam habuisse. Præterea quum Adam mente, & ratione, singulari etiam formationis suæ ordine atque domicilii amplitudine & excellentia serpente longe nobilior esset; cer-

C tum & indubitabile fit, etiam consilio & prudentia infinito propemodum excessu fuisse illo præstantiorem. Cunctas ergo animantes sapientia antegressus est Adam, qui Dominus, & Rector animantibus datus fuerat, & omnes similiter solertia & sagacitate antecelluit: qui etiam nomina singulis daturus tanta in majestate fulsit, ut sicut Israëlitæ in Mosis faciem oculos intendere sine velo non poterant, ita nec bestiæ Adæ

2. Cor. 3. 7.

D vultum intueri oculis ad insuetatæ lucis fulgorem subito conniventibus: quare quum nomen accepturæ ad eundem accedere cogerentur, submissa fronte, illo coram assidente, transibant. Constat ergo serpentem, quum hoc loco animantibus callidior prædicatur, cum Adam & Heva animantium Dominis minime comparari, cum quibus si conferendus esset, stolidum mutumque animal verissime diceretur.

Subdit Scriptura serpentis fraudulen-

E tum cum Heva congressum. *Dixit autem serpens ad mulierem: Etiam ne dixit Deus, ne comederetis ex omni ligno Paradisi?* Serpentis sermo aut ejusdem proprius fuit, Adæ cæteroqui notus: aut diabolus per serpentem locutus fuit: aut ipse serpens proprio instinctu loquelam optavit, & obtinuit: aut diabolus petiit, ut ad horam loquendi facultas serpenti communicare-

F tur. Ut ut res se habuerit, profecto sermo tentatoris tentatos nunquam in culpam & ruinam impulisset, nisi ipsorum intemperantia tentatori operam suam contulisset. Quid, quod etsi tentator nunquam venisset, ipsa arbor sua specie bellum illorum gulæ periculosissimum conflasset. Et serpentis quidem illi suggestionem causati sunt; etsi serpentis tentatione longe gra-

vius

vius ipsis propria offecit incontinentia. *Et vidit mulier quod bonum esset lignum, & pulchrum oculis, aspectuque delectabile, & tulit de fructibus illius, & comedit.* Si ergo arboris pulchritudine ejusque pomorum gustu mulier victa fuit, non ergo consilium ab extrinseco auribus immissum illam perdidit, sed emissa ab intrinseco intemperantia prostravit. Et quoniam tentatione probandi fuerunt, præceptum intimari, & ad horam adesse tentatorem, consentaneum fuit.

Enimvero quum Deus quæcumque extra vel intra Paradisum molitus fuerat, protoplastis pro mera liberalitate donasset; adeo ut nec ab eis minimum quidpiam propterea repetere voluerit, sive propter naturam, quam dederat; sive propter gloriam & dignitatem, qua amplissime ornaverat; planum fit, unam solummodo excepisse arborem, nec iniquum, nec grave esse potuisse iis, quorum, ut dixi, obsequio, & commodis Deus admirabili beneficentia addixerat, quæcumque Paradisus, aut extra illum immensa terrarum aerisque spatia, & diversa maris freta copiosissime suppeditabant.

Cæterum Deus hominem condens nec morti subjecit, nec exemit; ut per obedientiam vel inobedientiam ex alterutra arbore, quod sibi ipse statuisset, decerperet. Et arborem quidem vitæ Deus Adæ ejusque familiæ comparavit; occultavit tamen, ne propria pulchritudine ipsis novum bellum crearet, pugnamque geminaret. Rursus quia minus consentaneum erat, ut aspectabilis parentisque mercedis amore de observantia mandati, mandante nec parente nec aspectabili, admonerentur. Nam etsi Deus liberalissime ex mera gratia protoplastis universa largitus fuit, immortalitatis tamen dotem ligno vitæ affixam, statuit promerentibus dare ex justitia. Quamobrem præceptum edixit, non magnum tamen, nec amplissimo quod proposuerat præmio, æquale. Sed quum unam, ut dixi, dumtaxat arborem vetuisset, ut imperium pati assuescerent, totum Paradisum concessit, ne illos ad defectionem annonæ penuria sollicitasse videretur.

Et quoniam, ut mox ajebam, Protoplastorum fides aliquo experimento exploranda fuit; non idcirco ex diaboli voto ad istud examen missus est aliquis ex Vigilum numero, aut alius ex ordine Seraphim, aut Cherubim; sed nec ipsi diabolo permissum fuit, ut divina aut humana,

[illegible]

A na sub specie, sicut Domino postmodum in monte comparuit, Adamum in Paradiso aggrederetur. Neque animalia grandiora & nobiliora, puta Leviathan & Behemoth, ad hoc negotium adhiberi placuit; aut alias animantes, pecudesque mundas; ne forte species dignitasve tentantis tentatis violandi præcepti qualemcumque occasionem afferret. Sed ita Deo disponente, reliquis amotis, successit serpens, ani-B mal callidum quidem, despectissimum tamen, idemque fœdissimum. Istuc ergo animal protoplastas adoritur, nec vera miracula faciens, nec ficta specie præstigiatorum more oculorum aciem perstringens. Prorepitque serpens solus, humi projectus, oculis ad fulgorem mulieris, quam tentaturus erat, conniventibus; neque virum, prohibente metu, adire est ausus, sed fœminam Hevam aggreditur: C quin etiam importuna festinatione tempus tentationis antevertit; mulieri persuadere, ut vetitum pomum ante decerperet, aggressus, quam unam vel alteram arborem ex tot millibus sibi liberalissime oblatis, gustu explorare potuisset.

Neque vero hanc abstinentiam sibi Heva indixerat, quod jejunium amaret, sed appetitio cibi necdum illam sollicitabat, quandoquidem ea ipsa hora vitam D hauserat. Causa porro, cur serpenti tentationem properare permissum est, ea sola fuit, quia præpostera illa festinatio ejus conatibus adversabatur. Heva namque per id tempus primam agebat a sua formatione horam: quamobrem nec cibum appetebat, nec blanda arboris species ejus sensus hactenus sollicitaverat. Quum ergo mulier nec esurienti ventri succurrere, nec adversus vetitæ arboris blandimenta E pugnare, eo loci cogeretur; licuit serpenti esse tentatorem, ut si horaria illa & fere momentanea pugna a muliere superatus fuisset, pœnas tum ipse, tum qui illum obsederat, darent easdem, quas postmodum dederunt; mulier contra, ejusque maritus, arboris vitæ fructibus pasti, vitam sibi compararent immortalem, quam, attenta præcedente Dei promissione, ex justo & æquo deinceps obtinerent; adeo F ut quæcumque primum, donante gratia, consecuti fuerant, in posterum justitia sanciente retinerent.

Adproperavit ergo intempestiva festinatione suum tentator opus; & quidem nemine obsistente, idcirco ut tentati tentatorem esse cognoscerent, qui inter præceptum, præceptique violationem nullam moram esse ponen-

ponendam contenderet; atque proinde intelligerent, ab ejus fraude sibi esse cavendum. Tentator itaque eos adortus, promittit magnam rem, qui parvum sibi nomen facere nequiverat. Sic enim per serpentem, qui serpentem obsidebat, mulierem interpellavit: *etiamne præcepit Deus, ne comederetis ex omnibus lignis Paradisi?* Considerandum hic est, quod sicut grave fuisset præceptum, si, ut ajebat serpens, a cunctis Paradisi arboribus abstinentia protoplastis imperata fuisset: ita quia plane contrarium actum fuerat, præceptum reipsa indictum, vix præceptum dicendum fuit, quia levissimum fuit, & ad horam, donec tentator ab ipsis discessisset, impositum fuerat.

Respondens autem mulier serpenti dixit. *De fructibus arborum Paradisi comedimus: & de fructibus arboris, quæ est in medio Paradisi, dixit; non comedetis ex ea, neque contingetis illam, ne moriamini.* Quo audito, in toto scilicet Paradisi nemore unam arborem solummodo exceptam fuisse, Diabolus ratus, protoplastas promissis frustra sollicitari, sibique proinde ex præsenti negotio vix quidquam præter dedecus & ignominiam proventurum, alteram præcepti partem arripuit, in qua Adæ ejusque conjugi vetabatur, præter esum interdicti fructus, etiam ad ejus arborem accessus: planeque intelligens, Deum arboris aspectum idcirco illis cavisse, ne ejus pulchritudine caperentur; in hoc totus incubuit, ut Hevam ad visendam arborem impelleret. Quare: *nequaquam*, ajebat, *moriemini; scit enim Deus, quod, in quocumque die comederitis ex ea, aperientur oculi vestri, & eritis sicut Deus, scientes bonum, & malum.* Et si quidem Heva serpentis dicta accuratius expendisset, intellexisset utique, tentatorem divino oraculo, sibique contraria affirmare; suisque Diabolum urgere verbis potuisset hunc in modum. Spondes oculos meos apertum iri, at clausi non sunt. Addis, esu vetiti fructus boni & mali notitiam me assecuturam: at habeo. Hæc tamen, quibus serpentem confutare debuerat, oblita, tentatori obsecuta est; oculisque a serpente ad arborem conversis, toto animo illuc incubuit, quo nec accedere fas erat.

Hic tacuit serpens: senserat quippe animum mulieris interdicti fructus præsentia victum captumque. Enimvero suggesta auribus promissa, ad gustandum vetitam escam minus jam titillabant, quam oculis subjecta arboris species. Rursum Heva

A Heva ſerpentem aliis argumentis repellere potuiſſet, hac vel ſimili ratiocinatione arguens. Equidem cæcam me eſſe crederem, ſi quæcumque aſpectabilia ſunt, non cernerem: ſed & ſi boni malique diſcrimina ignorarem, iſta quæ promittis, bona ſint nec ne, quomodo internoſcerem? & Deum fieri, bonum eſſe, & oculos expeditos ac perſpicaces habere, pulchrum: contra vero malum, deſinere, & mori, B quo indice quove ſenſu intelligerem? Jam ſi nec ſenſum nec intelligentiam haberem, utique non fuit, cur tu mihi huc proſilires. Teſtaris ergo quo prorepſiſti, ſubeſſe, quæ negas bona; ſenſuque cernendi diſcernendique bonum & malum, me utique non carere, quæ tua modo conſilia exploro. Quum ergo teneam, quæ tu polliceris, me adepturam; dic age, ubi excidit illa tua calliditas, qui tuam nequi- C tiam nec ſuſtinere, nec tegere potueris? Hæc & hujuſmodi diſſimulavit mulier, ne vinceret: defixitque oculos in arborem, ut citius vinceretur.

Heva igitur ambulans poſt concupiſcentiam oculorum ſuorum, & ambiens, quam ſerpens obtulerat, divinitatem, vetitos fructus decerpſit, & clam marito manducavit: poſtmodum illi etiam attulit, ſimulque ambo comederunt. Quo- D niam Heva ſerpentem vera dicere credidit, comedit prima, ſperans ſe divinitate veſtitam ad eum redituram, a quo fæmina nuda & ſimplex diſceſſerat. Rurſum ambiens capitis ſui caput fieri, & imperium exercere potius, quam pati, viroque a divina natura majorem evadere, quo ab humana conditione minor erat. At poſtquam cibo vetito paſta, ſenſit, nullam quidem ſe ſui imminutio- E nem inde paſſam fuiſſe, ſed nec ullum accepiſſe incrementum, neque oculorum aciem vegetiorem acutioremque eſſe factam: neque enim divinum numen hauſerat, quod ſperabat; neque oculos futuros ad Paradiſum duces nacta fuerat; poma ex interdicta arbore decerpta marito obtulit; precibuſque ſollicitare cœpit, perſuaſitque, ut comederet, quamquam Scriptura precum nuſquam meminerit.

F Cæterum Heva, violato præcepto, neque mortua eſt, quod Deus interminatus fuerat, neque divinitatem adepta eſt, quod ſerpens promiſerat. Nam ſi Heva quidpiam paſſa fuiſſet, aut cœleſti amictu nudata; Adam utique ejus infortunio exterritus, ab eſu vetiti fructus abſtinuiſſet. Et quidem ut reus damnandus non fuiſſet

fuisset, quia non comedisset; at nec ut victor laudandus, si nec tentatus fuisset: pœna quippe uxoris a violatione præcepti virum cohibuisset, non amor metusve præcipientis Dei. Quia ergo Adæ fides Hevæ blandimentis ad horæ spatium exploranda erat, sicut ipsa serpentis pollicitationibus tentata fuerat: ideo mulier, violato præcepto, non illico stola gloriæ exuta fuit. Quum autem virum suis blanditiis ad comedendum induxisset, subdit Scriptura, amborum oculos apertos fuisse, seque nudos esse agnovisse. Aperti sunt ergo oculi eorum; non ut Deo similes essent, sicut serpens promiserat; sed ut probrosam nuditatem suam cernerent, quod inimicus moliebatur.

Protoplastorum itaque oculi erant aperti, ut omnia cernerent; clausi tamen erant, ut lignum vitæ eos lateret, nec puderet propriæ nuditatis. Interim diaboli invidiam vehementer incitabat, quod & rebus omnibus terra marique conditis potestate & intelligentia prælati fuissent; ipsisque solis immortalitas usu ligni vitæ comparanda promissa fuisset. Ex his itaque, & amplioribus donis, quæ illos adepturos conjectabat, quum inimicus invidia disrumperetur, artem eos perdendi excogitavit. Sic horaria pugna ipsis bona abstulit, quorum jactura diuturno etiam atrocis belli labore redimenda fuisset. Et si quidem protoplastæ serpentem vicissent, pasti deinceps ligno vitæ, & gustatis arboris scientiæ fructibus, ex altera scientiam non errantem adepti fuissent, & ex altera vitam immortalem hausissent, divinamque perinde dignitatem cum humana conditione junxissent.

At si protoplastæ per eum modum scientiam minime fallacem, & perennem vitam in proprio corpore consecuti fuissent; viden', ut serpens illis destinata dudum beneficia promittendo, abstulerit, & suadendo, ut per præcepti violationem ad ea aspirarent, hoc ipso effecerit; ne per ejusdem observantiam illa assequerentur. Divinitatem ergo pollicendo, ipsos a divinitate exclusit: obstititque, ne arboris vitæ usu, oculos infuso lumine vegetiores reciperent, quorum obtusitatem ligno scientiæ curaturum se spoponderat.

Nihilominus si protoplastæ a violato præcepto statim resipuissent; etsi, quæ ante mandati prævaricationem possidebant, neutiquam retinuissent, evasissent tamen maledictiones, quibus terra, ipsique

[illegible]

A que postmodum subjecti fuere. Proptereaque Deus suum descensum distulit: satagebat enim, ut ambo rei se invicem redarguerent, atque mox ad judicem adducendi, ad petendam veniam se mutuo adhortarentur. At contra serpentis oppugnatio dilata non fuit; ne, auctis ex arboris aspectu viribus, fieret periculosior. Distulit contra judex accessum, ut sontibus locum ad pœnam precibus de- B clinandam daret. At nec tentationis adproperatio illis profuit, & si ad eorum salutem componeretur; neque judicis cunctatio, etsi ad eorum correctionem prætenderetur.

Et audierunt vocem Domini deambulantis in Paradiso sub declinationem diei: & absconderunt se a facie Domini in medio arborum Paradisi. Quare nec sola patientia Deus reis succurrere conatus est; C quin etiam in Paradiso deambulans, edito pedibus strepitu illis prodesse cogitavit. Mutos ergo passus vocales fecit, ut ea voce excitati, se præpararent ad propitiandum sibi judicem, qui idcirco vocem illam mittebat. Quum autem neque judicis cunctatione, neque præsenti voce commoti sontes, pœnam deprecaturi, se sisterent; post pedum strepitum Deus oris clamorem adjunxit, reumque accersens: D *Adam*, inquit, *ubi es*? Nihilominus Adam quum criminis confessione, & humili obsecratione sententiam judicis antevertere debuisset: *Vocem tuam*, respondit, *audivi in Paradiso, & timui, quia vidi, me esse nudum, & abscondi me*. Pedum strepitus judicis Dei adventum antevertens, prænuncians que impendentem Adæ, posterisque damnationis sententiam, Joannem expressit præcursurum filio Dei; quum ad E purgandas ventilabro areas suas venturus esset, paleas utique flammis daturus, & mundum triticum in horrea sua conditurus.

Vocem tuam audivi & abscondi me. Sed heus tu, Dei vocem necdum audistin'? Vel quando te de luto finxit, fictumque in Paradisum transtulit: vel quando dormienti costam detraxit, indeque ædificatam uxorem tradidit? Quid ni F inquam, toties Deum te alloquentem audires? At quoniam nova tuis allabitur auribus Dei vox, etsi sero, vel nunc discito, pedum strepitum usurpare Deum, ad eliciendam tui criminis confessionem. Ergo age, fatere, nec rogatus, serpentis adventum, tuamque & Hevæ transgressionem. Oris fortasse confessio expiabit

bit crimen, quod manus carpendo fructum admisit. Piguit tamen, quod ipsi fecerant, confiteri; quæ autem in ipsis facta fuerant, scienti omnia narrabant.

Adam ubi es? Num in sinu Divinitatis, quam tibi serpens pollicebatur? Imo intra mortis fauces, quam tibi, si pomum invasisses, fueram comminatus. At at quid Adame tibi venit in mentem, istuc cogitare? Scilicet vel si pro serpente vilissima bestia Angelus aut etiam alius Deus te interpellasset; tunc illius mandatum, qui ista omnia tibi præstiterat, parvi penderes? Idque auderes, fretus promissis ignoti capitis, a quo nec dum ullum beneficium acceperas? Atque adeo inertem ineptumque haberes, qui te de nihilo finxerat, & quasi alterum Deum Vniverso præfecerat? Benignum autem & beneficum judicares, qui tibi præter bona verba, nihil dederat? Quid, quod si alius Deus te miraculis solicitasset, ut sibi pollicenti crederes, nihilominus ei credendum non fuit: quanto magis fides neganda serpenti, nullo sua dicta signo probanti, instantique ut ex nuda ipsius assertione, vel Deo tuo contradicente, fidem adhiberes? Mendacem existimares, qui tam eximiis te ornaverat beneficiis, & Vniversi creaverat Regem? Veracem contra prædicares proditorem, qui, ut tuum tibi principatum eriperet, nihil non moliebatur?

Inter hæc castiganda est hominum quorumdam malignitas, & protervia: nam si Deus serpentem cohibuisset, ne Adamum tentaret, illi ipsi, qui hodie conqueruntur, quod non cohibuerit, adhuc obmurmurarent, dicerentque, Deum ex invidia serpentem ab Adamo coercuisse, ne conflictu horario probatus, vitam immortalem promereretur. Jam pari audacia, qui modo confidenter prædicant, Adamum nunquam lapsurum fuisse, nisi serpentis impulsione labefactatus fuisset; alias asseverare non dubitassent, Adamum, vel si a serpente tentatus fuisset, nulla tamen arte, aut vi perfringendum fuisse. Similiter qui modo arbitrantur, se nec temere, nec inepte loqui, docentes nec Adamum, nec Hevam quidpiam a ratione alienum fuisse admissuros, nisi id serpens suasisset; fidentius utique affirmassent, ante casum illos, vel impellente serpente, nunquam casuros fuisse: quis enim istuc eventurum fuisse credidisset, nisi jam evenisse constaret, ut Adam serpenti aures accommodaret, & Heva reptanti bestiæ daret manus?

Vo-

[illegible]

[illegible]

A *Vocem tuam audivi, & timui, & abscondi me*. Cur ita? Quia quod dicendum erat, reticuit, & quod reticendum fuit, dixit. Quæ ipse fecerat, fateri debuerat; quod oppido quantum illi profuisset! quæ in ipso facta fuerant, narrat; quod utique vanum, & inutile fuit. Idcirco Deus illum redarguens: *quis*, inquit, *indicavit tibi, quod nudus esses; nisi quod de ligno, de quo præceperam tibi, ne comederes, comedisti?* B ideo nuditatem tuam vidisti, ea scilicet cernendi potentia, quam tibi contulit arbor: illa nimirum arbor, a qua serpens oculos tibi divinis similes pollicebatur. Interea Adam proprium crimen dissimulans, uxorem sui similem accusabat: *Mulier*, ait, *quam dedisti mihi sociam, ipsa dedit mihi de ligno, & comedi*. Non ego ad arborem accessi, neque vetitis fructibus admovi manus. C Et in hunc sensum exponendus est Apostolus scribens, Adamum non deliquisse, sed Hevam prævaricatam fuisse mandatum. Jam quid tu ais, o Adam? Scilicet quum Deus tibi uxorem daret, adjutricem utique esse voluit, non perturbatricem, imperata facientem, non imperantem.

Tim. 2. 14.

Quum autem Adamum culpam fateri puderet, Deus ad Hevam conversus; *quare*, inquit, *hoc fecisti?* At illa, quum pro- D prium crimen accusare, pœnamque lacrymis deprecari debuisset, ne scilicet sibi, & marito veniam exoraret, non dixit: serpens promissis, aut blanditiis me huc impulit; sed libere, confidenterque respondit: *Serpens decepit me, & comedi*. Postquam vero, facta quæstione, patuit, reos malefactum nec excusare posse, nec velle pœnitentia corrigere; tum vero Deus serpentem aggreditur, non quærendo fa- E ctum, sed irrogando supplicium. Nam ubi pœnitentiæ locus, spesque fuit, quæstionem adhibuit; in eum autem, qui a pœnitentia plane alienus erat, continuo sententiam dixit. Ut autem discas serpentem pœnitentiam non capere, attende, ut Deo dicenti, *Quia fecisti &c.* serpens non quidem negavit factum, quia Deo mentiri non est ausus, sed neque confessus est; quia nimirum est opus alienum ab F eo pœnitentia.

Maledictus eris præ omnibus animantibus, quia quos omnibus animantibus præfeceram, decepisti: & quia cunctis animantibus callidior es, maledictus eris præ cunctis animantibus. *Super ventrem tuum gradieris*, quia fæminarum sexum partus doloribus obnoxium effecisti. *Ter-*

ramque comedes cunctis diebus, quia Adamum, ejusque posteros proventuro ex arbore vitæ mortis remedio privasti. *Et inimicitias ponam inter te, & mulierem, & inter semen ejus, & semen tuum*, quia ficta charitate circumventam una cum sobole morti subjecisti. Futuram autem designans inter eos inimicitiam, subdit: *Ipsum*, idest semen mulieris, *conteret caput tuum*, cujus servitutem evadere cogitasti. *Tuque* non illius aurem, sed *calcaneum petes*.

Cæterum etsi recto justitiæ ordine serpenti primum pœna irroganda fuit; attamen nec deerat causa, cur ab isto vilissimo capite judicium inchoaretur: ut nimirum, dum ira judicis in serpentem incumbit, Adam ejusque socia ad pœnitentiam profugerent; eoque patefieret via divinæ misericordiæ, ad liberandos resipiscentes a maledicto justitiæ. Quum vero Deus in serpentem inveheretur, nec inde proficerent Adam, & conjux, sententiam in eos quoque dicturus, Hevam primam adoritur, quia per eam peccatum ad Adam traductum fuerat. Sic autem in eam animadvertit. *Multiplicans multiplicabo ærumnas, & conceptus tuos, & in doloribus paries filios*. Nam etsi ex benedictione, quam una cum cæteris animantibus Heva acceperat, fæcunditatem hausisset; attamen non tanta sobole, ut postmodum factum est, exuberasset; quia nec mortalem genuisset. Præterea exemta fuisset doloribus, quum proles nasceretur; ignominia, quum educaretur, & cresceret: & luctu, quum demum moreretur. *Ad virum tuum erit conversio tua*; non ut imperium exerceas, sed ut patiaris, & servias; quia sperasti vetiti pomi esu te dominationem in virum adepturam.

Jam vero postquam Deus Hevam severe multasset, nec interim Adam ulla pœnitentiæ signa proderet; ipsum quoque dare pœnas jussit. *Et quia*, inquit, *audisti vocem uxoris tuæ*, ejusque blandimentis delinitus, *comedisti ex ligno, ex quo præceperam tibi, ne comederes; maledicta erit terra propter te*. Nam licet terra, Adamo peccante, nullam inde noxiam contraxerit, nihilominus ex culpa non sua maledicto subjecta fuit: ut Adam, qui pati poterat ex impatibilis elementi execratione proprii criminis pœnam contraheret. Ex quo enim terra maledictioni succubuit, maledictus etiam fuit idem, qui maledictus non est. Reipsa nec Adamum a maledictione terræ immunem evasisse, patuit ex

[illegible]

[illegible]

A ex sententia, quam statim audivit. *In doloribus*, subdit Deus, *comedes ex ea cunctis diebus vitæ tuæ*, idest post mandati violationem, quod si fuisset servatum, terra hominibus citra laborem alimenta subministratura fuisset. *Spinas, & tribulos germinabit tibi*; idest, post peccatum, quod nisi admissum fuisset, terra mala isthæc genimina haudquaquam fuisset prolatura. *Comedes herbam agri*, quia ob futile uxoris invitamentum suavissima Paradisi poma contemnenda putasti: *Et in sudore vultus tui vesceris pane*: quia minime placuit, deliciis horti sine labore frui. Hic porro rerum tuarum status esto, *Donec revertaris in terram*, *de qua sumptus es*; quia sprevisti mandatum, quod immortalem tibi vitam comparasset usu ligni vitæ, quo vesci tibi perpetuo licuisset; & quia de limo fictus, terrenæ originis oblitus es, in terram tuam reverteris, quo te tuo ex luto noscas.

Diabolus, quem intra hoc dierum spatium conditum fuisse certum est, perinde atque organum, quod invaserat; quemque ante sextum mundi diem a propria dignitate excidisse non constat (quemadmodum neque protoplastis ante lapsum quidquam de statu suo imminutum est) hoc ipso die Satanas, idest Apostata, jam erat; jamque defecerat, occulta, & hominibus ignota defectione: quare occulto etiam judicio condemnatus est. Neque enim Deus, latam in eum sententiam, notam esse voluit iis, qui ejus dolos, & fraudes aliunde præsentiscere debuerunt. *Serpens*, inquit mulier, is fuit, qui *me decepit*, non Satanas.

Diabolus itaque invisibili judicio damnatus, causa cecidit, proprioque casu suorum satellitum agmina obruit. Magni quippe criminis parva visa est pœna, quæ unum, vel alterum nocentem premeret: sed quemadmodum Hevæ noxa omnes ejus filias generatim involvit: & incommoda ærumnæque vitæ, ejusque finis mors, ita primum illum generis humani parentem invasere, ut in posteros ejusdem pœna manaret: & sicut serpentis multa universam speciem afflixit: ita ille qui serpentem obsederat, sibi cum suis satellitibus communi sententia flammis tartareis addictus fuit. Hoc arcanum in veteri lege minus notum Dominus per novum testamentum patefecit; quum mundum a Spiritu Sancto arguendum de judicio prædicens, subdidit: *Quia Princeps hujus mundi jam judicatus est*, idest condemnatus. *Job.* 16. 11.

Hacte-

Hactenus de pœna tum tentanti, tum tentatis irrogata Moses egit. Subjicit Deum tunicas pelliceas Adamo, & uxori confecisse, eosdemque induisse. Hæ porro tunicæ si ex pellibus animalium consutæ fuerunt, sique vera creatione de nihilo factæ; nam a Deo factas fuisse Moses diserte affirmat; mundi utique opificium secutæ sunt eadem via, qua tribuli, & rumices. Cæterum haud inverisimile videtur, protoplastas folia sua attrectantes, se tunicis pelliceis jam indutos animadvertisse. Fortasse, ipsis etiam præsentibus, animalia cæsa fuerunt, ut eorum carnibus sustentarent vitam, & pellibus pudori consulerent; &, quod in primis propositum fuerat, in illorum morte suorum corporum fatum intuerentur. Subdit: *Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis, ad sciendum bonum, & malum*. His verbis, etsi Deum Trinitatis mysterium insinuare voluisse, dubitandum non est; primus tamen loquentis scopus fuit, protoplastas ejusmodi sarcasmo perstringere cum acerba opprobratione futilis promissi: *Eritis, sicut Dii scientes bonum, & malum*.

Enimvero quamquam Adam, & uxor bonum, & malum ab esu vetiti fructus intellexerint; fatendum tamen, eos ante lapsum, bona quidem proprio experimento, mala vero ex auditu novisse: peccatum autem postmodum omnia susque deque permiscuisse; adeo ut bona quidem ex fama, mala vero ab experto deinceps didicerint: ex quo enim eximius ille decor, quo ornati fuerant, extinctus est, dolores & ærumnæ illos continuo invaserunt, de quibus antehac divino beneficio exemti fuerant.

Nunc ne forte mittat manum suam, & sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & vivat in æternum &c. quasi dicat: Si Adam arborem severe sibi interdictam violare veritus non est, quin istam ipsi hactenus concessam continuo invadat? Sed quoniam statutum fuerat, vitam illos imposterum exigere ærumnosam & miseram, laboribus & doloribus gravem, atque molestissimam; ne arboris vitæ fructibus pasti perpetuo miseri forent; cavit Deus, ne arborem illam accederent, maledicto dudum affecti, quam eisdem a maledicto liberis, gloriæque stola amictis concedere proposuerat. Cavit, inquam, ne gratia supplicium perpetuaret, & graviora pati cogerentur ab arbore vitæ, quam ab arbore scientiæ perpessi fuerant. Illa quippe ærumnas invexerat, intra certum

[illegible]

[illegible]

A tum temporis spatium desituras; ista vero temporarias miserias sempiternas fecisset. Illa mortem intulerat, quæ ipsos eximeret. Ista sepelisset viventes, vitamque sepultis ad perpetuum dolorem conservasset. Quamobrem Deus ab arbore vitæ protoplastas arcendos censuit. Sed nec consentaneum erat, ut in terra maledictionis beata vita ageretur, & in sæculo labente daretur vita manens.

B Cæterum si arboris vitæ fructus protoplastæ comedissent, alterutrum contingere necesse erat; ut vel mortis sententia irrita fieret, vel arbor vitæ vanum & futile nomen haberetur. Ne ergo mortis sententia solveretur, neve vitalis arboris virtus in dubium vocaretur, Adam arcendus inde fuit. Neve præterea, ut supra dictum est, ab arbore vitæ detrimentum caperet, quale ab arbore scientiæ pertu- C lerat, ad excolendam terram, ex qua assumtus fuerat, relegatus fuit: ut agrorum cultura revalesceret, qui ex Paradisi otio morbum contraxerat. Ob eas, quas dixi, causas protoplastis è Paradiso ejectis, subdit Moses, Deum collocasse ad orientem Paradisi Eden, Cherubim, & aciem gladii versatilis ad custodiendam viam arboris vitæ. Paradisi custodia non omnino inanimis fuit: propria namque virtute sese D huc & illuc versabat ad impediendum aditum arboris vitæ, si quis forte aliquid contra moliretur, aut ad fructus ejus prorepere tentaret. Cherubim hic erat, qui mortalibus, immortalem vitam sibi decerpere conantibus, nudata versatilis gladii cuspide mortem intentabat.

CAP. III.

Hinc Moses ad Caini, & Abelis ortum, eorumque sacrificia progredi- E tur, subdens. *Cognovit Adam Hevam, & peperit Cain, dicens: possedi virum.* Non hoc Adamo, a quo cognita fuerat, sed Deo dixit, qui fætum in utero ejus formaverat. *Rursumque peperit Abel. Et fuit Abel pastor ovium, & Cain agricola. Factumque est post dies*: annos pueritiæ designat, sive tempus, quo alter rei pecuariæ, alter agriculturæ operam dare jam cœperant. *Factumque est*, inquit, *ut Cain* F *de fructibus terræ offerret munera Domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de pinguibus eorum.* Et Abel quidem obtulit cum delectu, Cain non item: ille pecoris sui primogenita, eaque pinguiora Domino immolavit; iste si spicas solummodo, aut si præter illas fructus eodem tempore nascentes obtulit, planum est

est, ipsum a fratre hostiarum qualitate, & delectu fuisse superatum. Attamen, nisi sacrificium sacrificantis negligentia corrupisset, vota utriusque Deus suscepisset. Sed quoniam, quum ambo simul offerrent, & alter lætus gregis agnos, alter agrorum proventus immolarent; Cain Deum vilem habuisse deprehensus est ab ipso suarum oblationum initio: idcirco Deus, illius munera sibi minime grata fuisse significavit, simulque docuit, quomodo in posterum sacra conficere illum oporteret. Tauros utique habebat, & vitulos, nec deerant quadrupeda, nec volatilia, quibus Deo commode litaret: sed ista eo die, quo primitias proventuum agrorum suorum Deo libare mens fuit, sacrificare non placuit. Quid inde? Etiam ne tanti fuisset nitidiores spicas, aut pulchriora poma in rem divinam conferre? Sed nec manipulos uberiores, aut præstantiores fructus admodum curabat Cain. Nil ergo sacrificanti defuit, præterquam numinis amor, & reverentia: meritoque despectum est, quod non sine despectu offerebatur; ne forte Cain putaret, vel Deum contemtum sui non animadvertisse, vel oblationes quærere, & non magis offerentes. Abjecit ergo Deus Caini sacrificium propter ea, quæ faciebat; oppidoque magis propter cætera, quæ facere parabat. Nam & adversus parentes contumax erat, & in fratrem asper, & erga Deum minime pius.

Susceptum est itaque Abelis sacrificium propter offerentis in deligenda hostia solicitudinem: despecta sunt Caini munera ob impium rei divinæ neglectum: quod Cain ægerrime tulit: non quod ipsius sacrificium a Deo contemtum fuisset; poterat enim opimiore victima illum placare, quem ob muneris vilitatem sibi infensum esse sciebat: neque concidit vultus ejus, quod ipse despectus fuisset: facile namque erat Deum exorare, pacemque ab eodem impetrare. Cæterùm Cain, sive majoribus hostiis Deum placasset, sive non, voluntatem suam aperuit. Item sive Deus ejus petitioni acquievisset, sive non, ille quid sibi petendum esset clare perspexit. Sed quum pro vilibus hostiis a Deo rejectis pretiosas non attulerit, neque negligentiam, qua Deum offenderat, excusaverit, non obscure ostendit, se non ob aliam causam fuisse commotum, quam quod fratris sacrificium susceptum fuisset: vehementer enim exacerbatus est, quod delapsus cœlo ignis hostiam ab hostia discre-

[illegible]

[illegible]

A ſcreviſſet: conciditque vultus ejus, quod evidenti judicio a Deo repulſus deſpectuſque, fabulam ſe parentibus atque ſororibus factum fuiſſe putaret: viderant enim ejus munera ambientibus flammis minime arſiſſe.

Dixitque Deus ad illum. Quare iratus es, & contractus eſt vultus tuus? Plenus es iracundia: at peccati tui dolore plenus eſſe deberes. Concidit mœrore vul-B tus tuus: at magis decebat oculos tuos lacrymis diffluere. *Verumtamen ſi bene egeris, tuliſti.* Viden' cauſam, cur Cain fuerit repulſus, non fuiſſe oblati muneris tenuitatem, ſed offerentis improbitatem, mentemque a pietate averſam. *Verumtamen ſi bene egeris, tuliſti.* Ideſt: ſi bene inpoſterum egeris, crede te mihi munera obtuliſſe, etſi nihil obtuleris; & cum fratris ſacrificio tuum pariter ſuſceptum fuiſ-C ſe, etſi ſuſceptum non fuerit. Sin autem male agere perrexeris, *in veſtibulo peccatum cubat. Et Abel quidem ſe ad te convertet*, tibi ad planitiem vocanti obſequendo, & obtemperando: *Peccatum autem in tua erit poteſtate*, ideſt peccato adhæreſcere. Sed etſi Deus Caini ſacrificium alias rejectum pro accepto habendum decreviſſet ea conditione, ut inpoſterum pie ſe gereret; nihilominus ille non ſo-D lum hoc minime præſtitit, ſed novo ſcelere victimam ex parricidio ei immolare cogitavit, cui hoſtiam ex contemtu obtulerat.

Dixitque Cain ad Abel: eamus in planitiem. Quum planitiem deſignat, indicat, ambos fratres per eos dies devexa Paradiſi incoluiſſe; atque inde in ſubjectos campos deſcendiſſe: vel Abelem eo tempore pecora ad vicinos colles egiſſe; in-E deque a Caino provocatum fuiſſe ad planitiem ſibi accommodam propter ſpicarum, limique copiam: Abelem enim inter adultam ſegetem interemtum fuiſſe, ubi cadaver aggeſta humo condere pronum fuit, ſcriptura innuere videtur illis verbis. *Et quum eſſent in agro, conſurrexit Cain adverſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.*

F Cain, fratre interfecto, ut parentes falleret, commentus eſt, Abelem utpote hominem Deo charum ab eodem in Paradiſum fuiſſe translatum; hujuſque rei certam fidem facere oblati pridem ſacrificii acceptationem. Divinæ legis, ajebat, obſervantia ad Paradiſum provehit pios, perinde atque ejuſdem violatio vos dudum inde deturbavit. Ratus itaque, eam

fabulam parentibus se plane persuasisse, nec occisi fratris alium adesse vindicem, repente Dei præsentis numen sensit, & voces; ubi est, ait, Abel frater tuus? Apparuit autem Deus blandienti magis, quam irato similis, ut si reum malefacti pœnituisset, parricidium impia manu peractum, pia oris confessione deleretur; sin autem restitisset, acerbissimam pœnam suo scelere dignam daret. Sed Cain adeo factum non doluit, ut inde ferocior effectus, scienti omnia, & ipsum, ut sibi amicum faceret, de fratre interpellanti, stomachanti similis responderit: *Nescio: num custos fratris mei sum?* Cui Deus: *quid*, ait, *fecisti?* Etsi enim ubi sit Abel, ignorare te dicis, quandoquidem custos illius non es; fatere tamen Deo quid fecisti, qui te interrogat, ne de te alium interroget: quique nisi sciret, quid feceris, tua ex te facta non utique sciscitaretur.

Quum ergo Cain nec id quod fecerat, vellet dicere; interpellavit reum Dei sapientia, planeque prodidit. *Sanguis*, inquit, *fratris tui clamat ad me de terra*. Quid ais Cain? Num justus Judex sanguinem ad se clamantem inultum relinquet? Nonne distulit pœnam, ut tibi locum pœnitentiæ faceret? Nonne notitiam facti dissimulavit, & quasi sceleris tui ignarus sollicitavit, ut ipse crimen sponte fatereris? Quia ergo bene agere, sicut ille suadebat, nec bonum, nec utile tibi est visum; eoque temere progressus es, quo ne accederes, caverat: *Ideo maledictus esto ab universa terra*; quoniam contristasti Adam & Hevam parentes universæ terræ. Iterum esto maledictus ab universa terra; quoniam occlusas inferni fores primus aperuisti universæ terræ. Quum terram colueris, suos tibi inposterum proventus negabit; quia communes redditus tibi uni arrogare cogitasti. Pavens, tremens, & exul errabis per eam; quia ambulasti super ea in superbia & elatione cordis.

Et quia Dei dictum factum sine mora consequutum est, Cain qui ante judicium contumacia superbiaque plenus, jactabat, se fratris custodem non esse; postquam Deum iratum sensit, & ex ejus maledictione se subito pavore ac tremore perculsum, concidit, pœna premente, iracundiæ æstu, animique ferocia. Tum vero, *Major*, inquit, *est stultitia mea, quam ut dimittas*. Nihilominus hæc in argumentum pœnitentiæ accepta non sunt, quia nec talia Deo primum interroganti responderat; & nunc quasi pœna cogente di-

[illegible]

A dixit, quia pavore, ac tremore concussus dixit. Quare nec Dei longanimitatem oravit; ne scilicet precibus justitiam flecteret: sed vel ex festinatione, vel ex arte respondit: *Ecce ejecisti me a facie terræ*: quoniam a facie terræ mihi maledixisti: quin ergo simul conspectum tuum fugiam? Vultum quippe tuum sustinere quis audeam? Postquam tibi proterve, impudenterque respondi, me mei fratris B custodem non esse. Jam vero quum factus sim vagus & profugus in terra, fiet, ut quicumque invenerit me, interficiat me. Oh Cain, mortem ut optes, utve metuas, cogita, te rebus humanis sublato, constare non posse, quæ Deus post damnationis tuæ judicium rata ac certa esse decrevit. Cæterum si tibi dulce est vivere, tot licet te obsideant premantque dolores, quanto jucundiorem futuram fuisse putas Abeli vitam, hisce, quæ pateris, excmtam malis! C

Quamvis nonnulli interpretes existiment, Cainum his verbis a se deprecari voluisse pœnam, & mortem, alii tamen censuerunt, eum potius vitam sibi quantocyus abrumpi poposcisse; & idcirco a Deo confestim audivisse, nequaquam ita fiet. Non enim tecum transigendum est eadem lege, qua contra futuros post te D parricidas agi volo: nam isti quidem simul ac deprehensi fuerint, admissam cædem capite luent; Cain vero in septuplum punietur: & quoniam mortem expetiit, ne sibi ob præsentem calamitatem homines insultarent, idcirco septem generationes venient, & videbunt ignominiam ejus, atque ita demum morietur.

Quod autem inde colligunt nonnul- E li, Caino pereunte septem ex ejus stirpe generationes simul cum ipso periisse, sustineri non potest. Ut enim demus, postremam Caini sobolem communi Cataclysmo fuisse deletam, istud profecto septimæ dumtaxat generationi accidisse oportuit. Si ergo hæc sola, Caino pereunte, periit, quomodo constare potest, septenas generationes eodem tempore cum illo periisse? Quid? quod nec demonstrare possunt, F septimam Caini generationem diluvium attigisse: nam scriptura Cainitarum genealogiam retexens: Cain, inquit, genuit Henoch: porro Henoch genuit Arad, & Arad genuit Maviael, & Maviael genuit Mathusael, & Mathusael genuit Lamech, & Lamech genuit Jubal: ipse fuit pater habitantium in tentoriis, & possidentium pos-

poſſeſſiones. Qui autem & tentoria fixerant, & peculia quærebant, non utique cœlibatum in ſuis mapalibus colebant; præſertim quum ſcriptura diſerte affirmet, omnem carnem corrupiſſe viam ſuam. Si ergo a Caino uſque ad iſtos habitantes in tentoriis, & poſſidentes peculia, novem ætates jam fluxerant, nec etiamtum Cataclyſmus advenerat, quomodo aſſentiemur affirmantibus, ſeptem generationes cum Caino ſimul interiiſſe? Quum plane conſtet novem generationes diluvii tempora anteceſſiſſe. Recte igitur dictum eſt ad ſeptem generationes productam fuiſſe Caini ignominiam, etſi a primo perpetratæ cædis die ea pœna liberari poſtularat. Cainum autem ad ſeptimam uſque generationem in vivis fuiſſe, conficitur tum ex decreto divino, tum ex longa priſci illius temporis hominum ætate. Nam ſi Adam Caini pater nonam generationem a Lamecho inchoatam attigit, ut qui anno ejuſdem quinquageſimo ſexto rebus humanis exceſſerit; magnum certe non fuit, ad ſeptimam generationem Cainum adhuc ſuperſtitem fuiſſe.

Cain itaque etſi eam ignominiam deprecatus fuerat, ab ea tamen abſolutus non eſt, imo, quod minime cogitabat, infami ſupplicio ſignum adjectum eſt: ſubdit enim ſcriptura: *Poſuit Deus ſignum Cain, ne interficeret eum omnis qui inveniſſet eum*. Caini porro perſecutores, Sethi nepotes erant, quos ad vindicandam Abelis patrui ſui cædem, ſanguinis affinitas extimulabat. Quæ cauſa fuit, ut etiam connubia cum ejus ſtirpe deinceps vitaverint: cui & altera poſtmodum addita eſt ex Caini probroſo tremore, & publica infamia: ab ejus nihilominus cæde abſtinuere, ſignum a Deo poſitum reveriti.

Poſtquam ea, quam diximus, pœna affectus eſt Cain, certoque ſigno notatus fuit, cujus cauſam, quoniam ſcire intererat, paucis indicavimus: quale autem iſtuc fuerit, quærere nec vacat, nec noſſe refert: ſuddit ſcriptura: *Egreſſus eſt Cain a facie Domini, & habitavit in terra Nod ad orientalem plagam Eden*. Seceſſit ergo Cain a paterna domo, atque adeo a fratrum conſuetudine & convictu, certior factus ſtatutum illis jam eſſe, deinceps nulla cum ipſius ſobole inire conjugia. Terra autem Nod, quam hic ſcriptura memorat, hoc eſt regio tremoris & commotionis, ſub Caino habitatore cœpit ſimul ſuccuſſari, ac tremere. Sed & eadem, rurſum alteram ex ea Dei maledictione

[illegible]

ne plagam accepit, agris a divina execratione sterilescentibus: *Quum colueris eam*, ait Deus, *non dabit amplius tibi fructus suos*.

Cum autem Cain cognovisset uxorem suam, & illa concepisset, & peperisset Henoc, ædificavit civitatem, vocavitque eam nomine filii sui Henoc. Quod a Caino factum verisimile est, ne civitati ex ipsius probroso tremore nomen adhæreret, & civitas Nod, hoc est, tremoris & succussionis diceretur. Ex Henoc natus est Arad, qui genuit Maviael, & iste Mathusael, ex quo Lamech, qui duas uxores duxit, quarum prima Adda peperit Jabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, & possidentium peculia: cujus frater Jubal fuit pater canentium fidibus, & cithara. Altera Sella mater fuit Tubalcain, qui fuit faber in cuncta opera æris, & ferri: ejusque soror Noema dicta fuit.

Dixitque Lamech uxoribus suis: audite voces meas; quoniam occidi virum in vulneribus meis, & puerum in fractionibus meis. Idcirco Cain quidem septuplam retributionem accipiet, Lamech vero in septuagies septies. Quidam interpretes, ut hoc Lamechi cum uxoribus colloquium exponerent, præsumpsere, ambas hasce mulieres Sethi nepotes fuisse: Quumque maritum identidem hortarentur, ut honestius vitam institueret, hoc ab illo responsum tulisse. Quid istuc? Num forte meis in moribus huc usque deprehendistis facinus aliquod turpe, mihique meo cum parente Caino commune? Hujusmodi, fateor ipse, crimen fuit, quod virum pluribus confossum vulneribus necavi, quod utique Cainum fecisse scitis, perinde ut illud, quod Abelis fratris maxillas alapis contudit, ut pueris fieri solet, mox etiam eundem interfecit. Neque hoc inficior a me commissum nefas: puero siquidem os pugnis fregi, vitamque simul eripui. Nunc vero quoniam Caini mores sum imitatus, & ille facinorum suorum septuplam retributionem accepit; ego sane pœnam adeo non deprecor, ut ipse mihi statuam septuplo septuagies graviorem.

Alii vero, quia censent, productam Caini pœnam ad septimam stirpis suæ generationem; ajunt, Lamech impium fuisse: idque arguunt ex illis Scripturæ verbis: *Omnis caro corruperat viam suam*. Uxores itaque Lamech, inquiunt, quum viderent gentis suæ propagationem interrumpi, eo quod exclusa marium procreatione fœminæ nascerentur; quod pariter

ex

ex illis Scripturæ verbis conjiciunt. *Quumque multiplicati fuissent filii hominum super terram, & filias procreassent*: Quum, inquam, uxores Lamech viderent sobolem suam infringi, nec ultra procedere; vehementer sibi metuere cœperunt, ratæ pœnam Caino, ejusque septenis generationibus decretam jam imminere. Ut ergo Lamech fæminas eo metu afflictas erigeret, his verbis fallere cogitavit. Ut fatear, me virum inflicto vulnere necasse, quin & puero os fregisse, mortemque adproperasse: quid inde metuendum mali est? Nam si Deus Caini postremum supplicium usque adeo prorogavit, donec una cum pessimo parente nepotum septenæ ætates interirent; probabili utique consecutione credendum est, ad septuagesimam septimam progeniem pœnam meam dilatum iri; quippe qui geminato scelere duos homines sustulerim; adeoque septenas illam supra septuaginta meorum posterorum successiones haudquaquam præventuram. Interea dum isthæc exigitur tam longa dies; nostrum nos fatum abripiet: atque adeo supplicium in septem ætates differendum, hausto calice communis mortalitatis, effugiemus.

Alii aliter hunc locum exponunt, & ajunt Lamech hominem fuisse vafrum, & callidum; qui, quum videret propriam stirpem declinare, & ad interitum vergere; Sethique sobolem nullam cum Cainitis affinitatem societatemque admittere; atque hujus inimicitiæ causam esse Caini adhuc superstitis crimen, & infame supplicium; timere cœperit, negliscente inter utramque stirpem discordia, imminuto agricolarum numero, terra silvesceret, & Cainitarum populus, ademta conjugiorum communione, omnino deficeret: publicæ salutis studium prætexens, Cainum de medio sustulerit. Cujus cæde quum populi sui honori nec dum satis provisum existimaret, quendam Caini filium necaverit, suspicatus, ne ob conspicuam cum Caino similitudinem, infamiæ notam universæ stirpi inustam, filius perpetuaret. Hoc peracto scelere, perinde ac si illis sublatis maceries corruisset, quæ mutuam amborum populorum societatem & conjunctionem dirimebat, Lamech cum uxoribus secreto deliberantem, de stabilienda inter ambas stirpes pace hæc verba fecisse. Hem, inquit, virum, & puerum sustuli: agite nunc, & vestris virginibus munditias, mundumque muliebrem quærite, atque adeo elegantissime ornatas, filiis Seth prostituite. Spero namque illos

[illegible]

A illos comperta duorum, quos dixi, cæde, & virginum ſpecie illectos, ſepoſitis illico odiis, pacem optaturos: atque adeo interruptam ſex ætatibus connubiorum communionem redintegraturos.

Quum ergo matres filiarum forma ornatuque Sethi filios provocarent; ipſiſque pro ſua parte Jabel ex altilium carnibus convivia inſtrueret; atque ſimili arte Jubal organorum muſicorum concentu B illorum aures titillaret; fraudi ſuccubuere filii Seth; captique ejuſmodi illecebris, parentis ſui optimum ſapientiſſimumque monitum oblivioni dedere: continuo ex editis locis, in quibus a Cainitis ſegregati conſederant, in ſubjectos campos deſcenderunt. His artibus Lamech familias commiſcuit, confidens, Deum utrique genti propitium fore in gratiam Sethianæ ſtirpis ſi quidem cum Cainitis confuſa fuiſſet. C Sic pœnam, ajebat, parricidii effugiemus propter cognatos, ejus noxæ minime reos.

A rebus Cainitarum, & eorum genealogia, atque Lamechi cum uxoribus colloquio tranſit Moſes ad Sethianæ ſtirpis hiſtoriam, ejuſdemque origines ab Adam repetit. *Vixit*, inquit, *Adam centum & triginta annos, & genuit Seth ad imaginem & ſimilitudinem ſuam*. Seth imaginem Adæ patris perfectiſſime repræ- D ſentans, divini Filii cum Patre ſimilitudinem, & in eodem inſeſſionem expreſſit, perinde atque Seth in parente ſuo Adamo fuiſſe intelligitur. Quum autem Seth genuiſſet Enos, Scriptura ſubdit, *tunc cœpit vocare in nomine Domini*. Quum enim Seth a Cainitis ſeceſſiſſet, ipſe & filii ejus nomine Domini cognominati ſunt, ideſt, populus juſtus Domini.

[illegible]

E INterea Adam genuit Seth, & iſte Enos, & Enos Cainan, & Cainan Malalael, & Malalael Jared, & Jared Enoch. *Qui placuit Deo, & non fuit*. Ajunt a Deo in Paradiſum, Adamo præſente & ſpectante, translatum fuiſſe; ne ſuſpicatus, eum ſimili, qua olim Abel, morte ſublatum, dolore contabeſceret. Rurſum ut de filio juſto, qui ipſi obtigerat, ſibi gratularetur, ſimulque diſceret, omnes poſteros F ſuos Enocho ſimiles, vel ante obitum, vel poſt reſurrectionem, ad eum locum eſſe venturos. *Genuitque Enoch Mathuſalam, & Mathuſala genuit Lamech, & Lamech genuit Noë*. Et prophetavit Lamech de filio ſuo dicens: *Iſte conſolabitur nos* in ſacrificio, quo Deum placaturus eſt, *ab operibus noſtris, & labore manuum noſtrarum, & a*

CAP. IV.

[illegible]

& a terra, *cui maledixit Dominus*. Quoniam propter peccata habitantium in ea, ædificia, quæ extruximus, & plantaria, in quibus laboraverunt manus noſtræ, aquis iracundiæ perdet Deus.

CAP. V. AB Adam uſque ad Noë decem generationes interfluxerunt, quibus recenſitis Moſes de Noë hæc ſcribit. *Noë quum quingentorum eſſet annorum, genuit Sem, Cham, & Japhet*. Tam longo ſcilicet temporum decurſu Noë cœlebs, ſuæ ætatis hominibus pudicitiæ & continentiæ exemplum manſit. Per quinque ergo ſæcula virginitatem cuſtodivit in medio eorum, de quibus dictum eſt: *Omnis caro corruperat viam ſuam*. Sic laudata Noë modeſtia, Moſes cæterorum ejuſdem ſæculi hominum profuſam libidinem notat. *Et factum eſt*, inquit, *quum multiplicarentur filii hominum*, *& filias procreaſſent*. Filios hominum Cainitas dicit; & filias procreaſſe ait, inſinuans, Cainiticæ ſtirpis propagationem interceptam fuiſſe ex ea, quam ſuperius expoſuimus, cauſa.

Et videntes filii Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, *acceperunt ſibi uxores ex omnibus*, *quas elegerant*. Filios Dei etiam filios Seth appellavit, qui utpote filii juſti Seth, populus Dei dicti ſunt. Filiæ autem hominum pulchræ, quæ populi Dei oculos rapuerunt, Caini ſoboles erant, quæ per cultum ornatumque ſui ſexus Sethianæ juventuti laqueum fecerunt. Quod autem ſubdit: *Et acceperunt ſibi uxores ex omnibus*, *quas elegerant*: ſignificat filios Seth erga filias Cain cum quadam arrogantia faſtuque ſe geſſiſſe: ita ut nec temere, nec ſine delectu, quas ſors obtuliſſet, uxores ducerent; ſed quas ex certa ratione, aut propria libidine elegerant. Tenues itaque, & egentes ſupra locupletes, & opulentas ſeſe inſolenter efferebant; florenti ætate virgines a ſenibus capularibus, atque adeo formoſiſſimæ a turpiſſimis cum faſtu deſpicabantur. Cainitæ contra nec opes, nec formam quærebant, in eam curam unice intenti, ut ſilveſcentia arva colonos inpoſterum haberent. Hanc utriuſque ſtirpis confuſionem invexere primi juvenes ſalaces, effreniſque libidinis, tum pauperes, & infimæ ſortis homines. Illi nempe formæ venuſtate ducebantur; iſti opibus inhiabant: hiſque ad Cainitas nulla non die transfugientibus, univerſa Sethi proſapia commota demum ſedes, & mores mutavit. Nam quum filii Seth, novarum videlicet nupta-

[illegible]

A nuptarum amoribus impliciti, primas uxores non magni facere cœpissent, adeo ut earum curam abjecisse viderentur: abjecere illæ pudorem; & pudicitiam, quam hactenus propter conjuges, & cum conjugibus inviolatam servarant, confestim prostituerunt. Hanc libidinum pestem, quæ sexum utrumque per eam occasionem invasit, scriptura notavit illis verbis: *Omnis caro corruperat viam suam.*

B *Dixitque Dominus: non permanebit spiritus meus in homine in æternum, quia caro est; eruntque dies illius centum & viginti anni.* Quasi dicat: non hæc ad novem sæcula vitam producet ætas, quod præteritorum temporum hominibus concessum fuit; *quia caro est*, idest in carnis lasciviam, luxuriamque diffluxit. Sed *erunt dies illius centum, & viginti anni*, quo temporis intervallo, si quidem homines resipuerint, C pœnam ipsis impendentem avertent; sin contra obstinati in suo scelere obduraverint, suis sibi operibus illam accersent. Ad agendam ergo pœnitentiam centum & viginti annorum spatium gratia indulsit illis, quos justitia ea indulgentia noverat esse indignissimos.

Mox prolem ex ejusmodi conjugiis natam Moses describit subdens: *fuerunt gigantes in diebus illis*; & continuo D causam subjicit. *Quia Judices ingressi ad filias hominum, ex illis genueruut gigantes a sæculo, viros famosos.* Porro viri isti non Sethianæ stirpi validæ & robustæ, sed Cainitarum populo nati accensebantur, hominibus humilis staturæ, corporisque constitutionis infirmæ. Istuc vero Cainitis verisimile est accidisse ex eo, quod eorundem natale solum Dei maledictione affectum nativam feracitatem amiserat: quare E nec copiosa nec succulenta alimenta præbebat. Videmus enim semina, poma, olera, & reliqua hujusmodi qualitatem, & quantitatem alimenti ex aliquo accidente variare. Ea quippe ætate Cainitæ maledicti, & parentum maledictorum soboles, terram maledictionum incolebant: ex qua quum præter fructus non multi succi nullos alios proventus colligerent, factum est, ut ex tenuitate vitioque alimentorum, cor- F porum etiam constitutiones, & habitus magnopere detererentur.

Non is posterorum Seth status erat, sed multo felicior. Nam quum filii benedictionis essent, & arva posita juxta Paradisi clausum colerent, alimentis optimi succi affluebant; ex quorum usu corporum optimus habitus, valetudo, & firmitas se-

quebantur. Quum ergo ejus roboris, & valetudinis viri, Sethi progenies, ingressi fuissent ad filias Cain, hominis videlicet ex perpetua corporis concussione afflictæ valetudinis, viros nihilominus fortissimos, & proceræ staturæ, & hoc nomine famosos Cainitis progenuerunt. Quod additur, *a seculo*, significat, prolem ex prædicto concubitu susceptam viribus atque staturæ proceritate gigantes priscæ ætatis, puta Sethum, & Enos æquasse.

Hæc Moses de Gigantibus narrat natis apud Cainitas, quorum feminæ etsi forma præstarent, nec viribus tamen, nec statura Sethianis mulieribus pares erant: mox subdit: *Vidit Dominus quod multiplicata esset hominum malitia in terra, & omnis cogitatio cordis eorum intenta esset ad malum omni die*. Annis itaque ad agendam pœnitentiam indultis, ad multiplicanda peccata abutebantur. Multiplicata est ergo malitia hominum in terra, idest crevit & propagata est morum corruptela, & depravatio, invasitque ambas stirpes. *Et cogitatio cordis eorum intenta ad malum omni die*. Quia ad flagitia, quibus se in dies singulos polluebant, accedebat perpetua peccandi voluntas, nec ipsa lucis, & umbræ vicissitudine interrupta; quum homines nequissimi nec de die, nec de nocte animum, aut cogitationem pravam deponerent.

Quum itaque homines in ejusmodi flagitia perpetuo agerentur, dixit Dominus: *Delebo ab homine usque ad pecudes & reptilia & volucres, quia pœnituit me fecisse eos*. Pœnituisse dicitur, non quia minime præscisset, homines ad ea scelera deventuros; sed immensam eorum nequitiam futuris ætatibus prodere voluit, ut intelligerent posteri, eo provectam hominum hujus temporis intemperantiam, ut Deum, qui pœnitentiam non capit, ad pœnitentiam compulisse viderentur. Præterea Spiritus Sanctus æquissimam Dei justitiam tueri voluit, indicando causam, cur perditissimos homines aquis suffocasset. Pœnitentiæ igitur incapax natura sese abjecisse visa est, ut diceret, *Pœnituit me*; ut homines audacissimi ea doloris significatione commoverentur, & pœnitentiæ semina susciperent, quorum animus adversus pœnitentiam sese pertinacissime obfirmaverat. Profecto si in divino opificio aliqua labes fuisset, Deus novum mundum condidisset: neque opus, quod fecisse pœnitebat, servandi causa, fieri arcam jussisset. Sed attende, quomodo Deus in eo,

[illegible]

[illegible]

A eo, quod dixit, se dolere, ostendit se minime doluisse. Si enim homines peccatores creasse se doluit, quomodo pœnitere se dixit pecudum, reptilium & volucrum, quæ utique non peccaverant? Quod si pro illis non doluit, qua ratione dixit se doluisse, quum non doluerit? Pœnitentia ergo, quæ propter sontes ad insontes excesserat, ipsa Dei sermonem defendit, & explicat, hæc dicta fuisse non ex defectu B præscientiæ, sed ex amoris excessu, quo peccatores complectebatur: dolebat namque Dei clementia, suis sibi flagitiis & sceleribus exitium accersivisse eos, quos fecerat: nec tamen servandos judicavit, ne præsentium impunitas futuris occasio fieret ruinæ.

Quum ergo nec præsentibus vitæ ærumnis admoniti, nec Dei voce protestantis pœnitentiam excitati, ipsi potius pœniC tentiam quærerent; tum Deus Noë: Hem, ait, *finis universæ carnis venit coram me: fac ergo tibi Arcam de ligno proceræ arboris: trecentorum cubitorum erit longitudo Arcæ, & latitudo ejus quinquaginta cubitorum, & altitudo triginta cubitorum: in cubito summitatem ejus consummabis; & tres mansiones in ea facies & bitumine linies eam extrinsecus.* Ad hunc operosum molestumque laborem D Deus adduxit justum, ne super peccatores diluvium adduceret. Unde enim Noë ingentes arbores cæderet? unde ferrum, bitumen & cannabem colligeret? rursus unde fabros accerseret, qui ex arte illa componerent, vel istorum subsidio operarios pararet? postremum quis jubentem attenderet ea ætate, qua omnis caro corruperat viam suam? Jam si ipse cum suis familiaribus & vernaculis tantæ molis opus E suscepisset, quis hominis ausum conspicatus, non continuo insaniam risisset? Hæc tamen Noë adeo non pertimuit, ut primo statim anno ejus sæculi, quod ad pœnitentiam peccatoribus oblatum fuerat, operi manus admoverit, quod tamen non nisi postremo ejusdem sæculi anno ad tectum fastigiumque perduxit.

Quum porro Noë vitæ innocentia sui temporis hominibus virtutis & probitatis F documenta daret; & pro sua justitia centum per annos impendentis Diluvii metu ad bonam frugem eosdem revocare niteretur; illi nihilominus ejus consiliis, operave minime profecerunt; quin & quum aliquando prædicantem audirent, omnes animantes perfugium in Arca apud ipsum quæsituras, hominem insanire putarunt. Nec enim

enim fieri poſſe ajebant, ut aves & feræ, immenſis terrarum ſpatiis ab invicem disjunctæ, in unum locum velut ex condicto convenirent. Rurſum dixit ad eum Dominus: *Ingredere tu & omnis domus tua in Arcam. Te enim vidi juſtum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mundis tolles ſeptena paria; de animantibus vero immundis duo paria.* Mundas animantes appellavit, quas manſuetas & cicures dicimus; immundas vero dixit, quæ homini noxiæ & infeſtæ ſunt. Sub ipſum quippe earum exordium Deus animantium manſuetarum numerum ampliarat:

CAP. VI.

Frangent facta mentes, quas non fregere dicta. Ait Deus: *Adhuc & poſt ſeptem dies adducam pluviam ſuper terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus, & delebo omnia quæ feci.* Hoc ergo ipſo die videre erat, elephantes ab Oriente procurrere, ab Auſtro ſimias, & pavones, alias rurſus ab Occaſu venire beſtias, atque alias a Septentrione: leones deſeruere ſilvas, & ſpelæa immanes feræ; cervi & onagri ex ſaltibus proſilierunt, & quæ montes amant, animalia facto agmine ad Noë confluxere. Confluxere ſimul homines rei novitate exciti; nec tamen de agenda pœnitentia deliberabant; ſed jucundum otium & voluptatem ab inſueto ſpectaculo aucupabantur. Videbant leones Arcam ſubire, ſequi ſine metu boves, & utroſque idem tectum quærere. Lupos cum agnis incedere: accipitres aviculis immiſtos, columbas aquilis, atque in unam coëuntes turmam ad Arcam convolare.

Hæc ad impiorum correctionem agebantur. Quamobrem quum nec tot beſtiarum admirabilis concurſus, nec earumdem inter ſe conſenſus illis profuiſſet: *Dixit Deus ad Noë: adhuc & poſt ſeptem dies delebo omnem carnem quam feci.* Interea Deus illis ipſis, quibus ſæculum, dum Arca ſtrueretur, indulſerat, nec ideo pœnitentiam egerant, quibuſve ignotarum ferarum ſpectaculum exhibuerat, & admirando pacis fœdere junctas cum cicuribus animantibus immanes beſtias, nec inde timere didicerant; hoc etiam patientiæ ſuæ documentum adjecit, ut poſt ingreſſum Noë, coitionemque omnium animantium in Arcam, ejuſdem januam apertam manere juberet. Qua in re illud maxime admirandum accidit, ut nec leones ſuos ſaltus requirerent, nec genus ullum beſtiarum & volucrum mores ſuos repeteret. Sed nec minus obſtupeſcenda fuit hominum pertinacia;

A nacia; quibus, etsi omnia spectarent, quæ extra intrave Arcam gerebantur, a suis tamen moribus ut discederent, persuasum non est.

Cæterum Deus improborum hominum pœnam ad centum & viginti annos patienter distulit, primum, ut interim de pœnitentia deliberarent: rursum, ut justi qui cum illis usque adeo versati fuissent, eorum nequitiæ testes, & accusatores fie- B rent: postremum, ut illi ipsi viri boni vitam concesso eo spatio continuarent, donec definito sibi annorum cursu expleto, ex humanis decederent, suoque decessu occasionem interciperent impiis obtrectandi divinæ providentiæ, perinde ac si pios & insontes sontium & impiorum pœna involvisset. Et quoniam sceleratæ gentis crimen diuturna centum annorum examinatione satis probatum videbatur, Deus quod C reliquum erat, viginti annorum spatium detraxit: septem enim dies, quos post animantium ingressum hominibus indulserat, viginti annos, quos subtrahebat, signorum magnitudine & numero superabant. Enim vero si per septem dies cientibus ad pœnitentiam miraculis impii & scelerati homines contumacissime restitere, liquet, nec eos ad cor fuisse redituros, etiamsi ad reliquos viginti annos, nullo tamen D signo saniora consilia suadente, ipsis vivere licuisset. Peccatum ergo diminuit, qui tempus contraxit; & multis criminibus puros servavit, qui reos ante viginti annos ad supplicium duci jussit.

Quumque transissent septem dies, *anno sexcentesimo vitæ Noë, mense secundo septimodecimo die, rupti sunt fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt. Et inclusit Dominus Noë a foris*: ne scilicet E invalescente diluvio impia gens portas Arcæ oppugnare tentaret. *Et factum est Diluvium, consumtaque est omnis caro: remansit autem in Arca Noë, & qui cum eo erant.* Fontes autem Abyssi & Cataractæ cœli ad quadraginta dies ac totidem noctes apertæ manserunt, & Arca centum quinquaginta dies inter undas fluctuavit. *Post centum quinquaginta dies cœperunt aquæ minui. Requievitque Arca super montes Car-* F *doos. Mense vero decimo apparuerunt cacumina montium. Anno sexcentesimo primo mense primo prima die imminutæ sunt aquæ super terram. Mense secundo*, ipse est Jar, *septimo & vigesimo die mensis arefacta est terra.* Noë itaque & qui cum eo erant, trecentos & sexagintaquinque dies in Arca manserunt. Supputatione autem facta a septi-

A ſeptima die ſecundi menſis Jar uſque ad vigeſimum ſeptimum diem ejuſdem menſis ſequentis anni, habemus dies lunares trecentos & ſexaginta quinque. Animadverte ab ipſa Noë ætate diebus trecentis ſexaginta quinque definitum fuiſſe annum; ne forte dicas, Chaldæos aut Ægyptios temporum rationem computationemque aut inveniſſe, aut coordinaſſe.

CAP. VII.

B *Dixitque Deus ad Noë: egredere tu & uxor tua & filii tui & uxores filiorum tuorum.* Quos enim ab invicem ſeparatos introduxerat, ſine voce monens integre caſteque in Arca eſſe vivendum, nunc ſimul congregatos eduxit, præcipiens ut liberis operam darent, & orbem incolis vacuatum nova ſobole implerent. Sed & ipſas feras continentiam ſervaſſe Moſes inſinuat eodem circuitu verborum uſus: C *Animantia*, inquit, *ex omni carne educ tecum, & ſoboleſcant & creſcant & multiplicentur in terra.*

Noë cum ſuis ex Arca egreſſus, altare ſtatim excitavit, & ex omnibus animantibus mundis holocauſtum obtulit: omnes quippe volucres & quadrupedia munda ipſi obſequebantur. Eodem ergo die, quo ipſo præeunte illa ex Arca ſecuta ſunt, ex omni munda carne acceptabilem D hoſtiam Deo mactavit, quæ Diluvio finem ſimul impoſuit. *Odoratuſque eſt Dominus &c.* non utique nidore crematarum carnium delectatus, aut lignorum odoratorum ſuffitu, ſed offerentis pietate ac religione: intuebatur enim puram Noë mentem & devotum animum, quo ex omnibus & pro omnibus hoſtiam ſancte immolabat, & ait, illud utique, quod eum velle audire noverat: Dudum, ait, ob tuam juſti- E tiam mundi reliquiæ a communi naufragio ſervatæ ſunt, nec aquis merſa perierunt omnia: ſed & inpoſterum propter holocauſtum quod ex omni carne pro omni carne modo obtuliſti, *non adducam ultra Diluvium ſuper terram.* Sic Deo placuit, ſe ſuis verbis obſtringere, & homines metu Diluvii abſolvere; etſi intelligeret cogitationem cordis noſtri perpetuo ad malum intentam fore.

F Et quoniam ſementis, & meſſis anno Diluvii interruptæ fuerant, & perturbatus ordo rerum ac tempeſtatum, Deus placatus terræ reſtituit, quidquid iratus abſtulerat. *Omnibus*, inquit, *diebus terræ ſementis & meſſis, frigus & æſtus, æſtas & hiems, dies & nox non requieſcent.* Imbres enim quadraginta dierum noctem induxerant.

[illegible]

rant, & hiems ad integrum annum fuerat producta, donec in propria conceptacula defluentibus aquis, terraque naturali ſiccitati reſtituta, ver novum apparuit.

BEnedixitque Deus Noë & filiis ejus, & fœcunditatem impertiit, præcepitque, ut creſcerent & multiplicarentur: majeſtatem præterea eiſdem impoſuit, animantibus tum marinis tum terreſtribus verendam: præcepta ſimul indixit: *Carnem*, ait, *cum anima non comedetis*, ideſt carnem, quæ mactata non fuerit, neque ſanguine vacuefacta, qui nempe anima ejus eſt. Tria namque Deus cum Noë ejuſque liberis pepigit: primum, præcipiendo ne ſanguinem comederent: ſecundum, pollicendo diem Reſurrectionis, ſpondens ſe hominis ſanguinem a beſtiis quandoque requiſiturum. Tertium taxando parricidis pœnam capitis: *Sanguinem*, inquit, *veſtrum requiram a cunctis beſtiis, & de manu hominis*. Idque nunc facit & in poſterum facturus eſt. Nunc quidem, quia parricidis ultimum ſupplicium decrevit; quam etiam ob cauſam præcepit, ut cornupeta taurus lapidibus obrueretur; ſupremo autem mundi die ſub horam communis Reſurrectionis, a beſtiis vorata hominum corpora repetet. Quod autem ſubdit: *De manu viri & fratris ejus requiram animam hominis*; ipſemet executus eſt; quum a Caino pœnas cæſi Abelis exegit: idemque ſignificant, quæ ſequuntur: *quicumque effuderit ſanguinem hominis, per hominem ſanguis ejus effundetur: Ad imaginem Dei &c.* indicat etiam imperium vitæ, & necis homini quaſi Deo participatum.

Poſt hæc Deus ſanxit fœdus ſempiternum cum Noë, & cum reliquis ex Arca cum ipſo emiſſis, quo eos a diluvii metu liberavit. *Ecce*, inquit, *dabo arcum meum in nubibus, & erit pactum ſempiternum inter Deum, & omnem carnem ſuper terram &c.*

Hinc Moſes ad reliqua Noë geſta progrediens, narrat, quomodo vineam plantaverit, & vini potu mentis alienationem paſſus fuerit. Inde ſopor, & in ſopore fœda corporis nudatio: quam quum animadvertiſſet Cham, fratribus in foro publicavit. Hæc porro mentis alienatio non ex nimio potu manavit, ſed ex longa plurium annorum abſtinentia. Noë ſiquidem, diluvio jam imminente, ſubiturus Arcam, mirum eſt, ſi in illa ſumma rerum perturbatione, totiuſque generis humani naufragio vinum cogitavit: ſed nec

nec pereuntibus, ut illud in Arcam converherent, mandare potuit. Unde consequitur, nec anno post diluvium altero Noë vinum bibisse, quo tempore nec vineam plantaverat; septimo quippe die supra vigesimum secundi mensis, nec uvas quidem acerbas reperire fuit, nec aptum serendis vitibus tempus: hinc porro conjectare licet, anno ab alluvione tertio vineam satam fuisse ex acinis uvæ passæ, quæ pridem in arcam condita fuerat; atque proinde ante tertium, vel quartum a satione annum uvas minime protulisse: facta autem supputatione, sexennium interfluxisse reperies, quo intervallo ostensum est, justum vino prorsus abstinuisse.

Eam sane abstinentiam, quam temulentiæ causam fuisse dixi, brevem non fuisse arguitur vel ex loco, ubi dicitur Chamus rem fratribus nunciasse, scilicet in foro: nam ubi forum, si nulla urbs fuit? Dices, illam pridem a filiis Noë conditam fuisse: at incredibile est parvam hominum manum tantæ molis ædificium intra breve temporis spatium ad consummationem fastigiumque perduxisse. Quamobrem & urbis ædificatio, & ædium, atque viarum, forique dimensio & constitutio, sancti Senis abstinentiam utique diuturnam fuisse testantur: inde vino paulatim desuefactus, ut primum ejus usum resumsit, in mentis hebetudinem confestim dilapsus est.

Sed fratres, quibus communis parentis modestia, gravitas, & castimonia perspecta erat, noverantque Angelos, (quod postmodum Jacob patriarchæ concessum est) eidem dormienti, vigilantique adesse, nudatum ejusdem corpus contegere, putarunt sui officii esse; oculis vero suis permittere, nefas.

Evigilans Noë quum didicisset, quæ sibi fecerat filius suus minor &c. Ergo dormiebat, & vigilabat: nec enim suam nuditatem ignorare potuisset, nisi dormisset; neque scire petulantiam filii, nisi vigilasset. *Maledixit ergo ei dicens: maledictus Chanaan: servus servorum sit fratribus suis.* At qui fieri potuit reus Chanaan, etiamsi in lumbis Cham extitisse diceretur, quum illum patris nuditatem spectare non puduit? Ajunt nonnulli: Cham in propria persona maledicendum non fuisse; quia olim fuerat benedictus cum cæteris, qui arcam intrarunt, & cum nova benedictione inde emissi fuerant: etsi filii maledictionem in patrem quoque redundasse affirment.

Alii

[Syriac text illegible]

A Alii negant, hunc minorem filium fuisse Cham, idque ex Scriptura deduci putant: *Quum didicisset*, inquit, *Noë omnia, quæ fecerat ei filius ejus minor*. Cham enim nec minor inter fratres, nec ultimus, sed medius semper numeratur: hunc proinde minorem filium, ajunt, fuisse reipsa Chanaan, qui puerili levitate nuditati senis insultaverit; quam postmodum Cham, in forum prosiliens, fratribus non B sine risu publicaverit. Quamobrem etsi Chanaan neutiquam maledicendus fuisse videretur, ætate excusante factum; attamen nec immerito maledictioni subjectus fuit, nec alia de causa, quam ex præscientia, per quam sancto seni innotuit, nunquam perducturum fuisse suam puerum ætatem ad facinus per se execrabile, nisi eumdem provectior ætas maledictione dignissimum factura foret.

C Nec sine causa Cham benedictione, perinde atque maledictione caruit: si tamen maledictus fuisset, vel eo dumtaxat nomine, quod puero senem ridenti arrisisset; non utique immeritus pœnam illam tulisset; evasit tamen, ne a primo gentis authore Cham Chananæi omnes participarent pœnam, cum quo non participaverant culpam. Idcirco Chanaan solus maledicitur, quia avum suum Noë risit: Cham beneD dictione privatur, quia ridenti arrisit.

Postquam ergo Cham filii maledictione ipse quoque multatus est, Noë ad Sem, & Japhet conversus, amplissimas utrique benedictiones impertiit: *Multiplicet*, ait, *Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem. Sit Chanaan servus eorum*. Et Japhet quidem sobolis numero, & potentia auctus fuit ad Septentrionem, & Occasum, quæ ambæ mundi plagæ in paternæ E hæreditatis divisione illi obtigerunt. Sed & in tabernaculo Abrahæ nepotis Sem habitavit Deus: & Cham factus est amborum servus: Josue enim duce Semi nepotes Chananæorum terras vastarunt, & ejusdem gentis non modo vulgus, & abjectæ sortis homines, verum etiam optimates & proceres infimis servitiis manciparunt.

F CAP. IX.

His genealogiam Noë Scriptura subnectit, & in familia Japhet numerat generationes quindecim, & totidem cum ipso stipite capita. In familia Cham triginta generationes, & capita totidem cum ipso Cham, excepta gente Philisthæorum, & Cappadocum, qui postea ex prædictis familiis propagati fuerunt. In familia Sem

A Sem cum ipso pariter stipite novem & viginti : summatim conficiunt capita septuaginta duo. Singulæ istæ familiæ proprium sibi populum, & linguam fecerunt, & proprias unaquæque sedes post generalem secessionem occupavit . *Et fuit Nemrod robustus venator coram Domino* . Quia nimirum Deo obsecutus , prædictas familias vi & armis compulit , ut ad constitutas sibi sedes singulæ commigrarent . B *Idcirco dicitur* , *sicut Nemrod robustus bellator coram Domino*. Idest, inde natum est , ut viro quispiam principi benedicturus eam formulam usurpet: esto sicut Nemrod robustus venator , & bellis Domini clarus . Regnavit autem Nemrod in Arach, quæ Edessa, & in Achar, quæ Nisibis, & in Chalana , quæ Ctesiphon , & in Rahabot , quæ & Hadiab , & in Calaja , quæ Hethra , & in Rasa , alio nomine Ris-Haina , quæ ea ætate urbs amplissima fuit. C

CAP. X.

Erat autem universa terra unius sermonis : *& dixerunt* : *ædificemus urbem* , *& turrim* , *cujus summitas cœlum pertingat* : *& faciamus nobis nomen* , *ne forte dispergamur super faciem terræ* . Urbem condunt : at quorsum hæc muris, turribusque munitur, quum nullum ab hoste instaret bellum ? Item quorsum turrim altissimam moliuntur, D cujus fastigium cœlo inserendum esse jactant, quum certissimum a Deo promissum tenerent, quo ab aquarum alluvione securi reddebantur ? Et subdunt : *Ne forte dispergamur super faciem terræ* . Dicant, a quonam dispergendi fuissent, quum præter ipsos, nullos terra haberet accolas ? Quæ autem annectuntur : *Faciamus nobis nomen*, ostendunt ipsorum superbiam, & sceleratam conspirationem, urbem & turrim E ædificasse . Utriusque tamen structuram statim discussit mox secuta artificum , & fabrorum discordia , atque inde nata in varias terras secessio.

Descenditque Dominus ad videndam urbem, idest, vidit Deus fabricam, quam insani homines moliebantur. Et dixit: *Sic facere cogitaverunt* , *unde nihil minuetur ab eis ex iis* , *quæ cogitaverunt* : idest, quam F præsenserunt, timueruntque , dispersionis pœnam non effugient . Et quoniam non dispergemur , ajebant , contrarium planis votis malum ferent . *Venite descendamus*, *& confundamus linguas eorum* . Qui hoc loco loquitur, non unum alloquitur : inconsonum enim foret dicere , *venite descendamus &c.* si verba ad unum dumtaxat

xat fierent: Filium ergo, & Spiritum Sanctum Pater alloquitur, ut discas, neque primo, neque novissimo tempore linguarum notitiam sine Filio, & Spiritu Sancto hominibus fuisse communicatam.

Confundamus ibi linguas eorum, ut non audiat vir linguam proximi sui. Propria lingua infusa singulis antiquam omnibus communem è memoria discussisse videtur: nisi enim linguam, quam hactenus usurparant, obliti fuissent, nec opus quod susceperant, intermisissent: sola quippe oblivio primævi sermonis (qui apud unam dumtaxat familiam remansit) consilium ædificandæ urbis dissolvit: linguarum namque novitas omnem inter eos communicationem, & necessitudinem diremit, sublata mutui congressus, & colloquii consuetudine. Ea linguarum scissura animos pariter in studia contraria discidit; & paulo post bellum etiam civile, & intestinum accendit inter eos, qui externi belli metu munitissimam arcem moliebantur. Dum ergo alius alium impellit, facessitque; omnes varia exilia, & diversas terras quærere coacti sunt: quod ferme malum a principio vel maxime expaverant, & præcavere studuerant. Præcipuus tamen mutandæ sedis illis author & impulsor Nemrod extitit; qui etiam Babelem tandem invasit, atque in ea primus regnavit: neque enim communem hominum patriam solus obtinuisset, nisi cæteros inde deturbasset.

Hinc rursus ad Noë sobolem Moses redit, & Abrahæ genealogiam ab ipsa ultima origine deducit hoc ordine. *Noë*, inquit, *genuit Sem, & fratres ejus: Sem genuit Arphaxad: Arphaxad genuit Sale: Sale genuit Heber: Heber genuit Phaleg: Phaleg genuit Reu: Reu genuit Sarug: Sarug genuit Nachor: Nachor genuit Thare: Thare genuit Abram, & Nachor, & Aran: Aran genuit Lot & Melcham, & Jescam, quæ Sara*, cui hoc nomen egregia forma fecit. Ambæ sorores suis fratribus patruelibus postea nupserunt. Interea Thare natalis soli pertæsus, ex Ur Chaldæorum migrare constituit. Sustulit ergo Abram filium suum, & Lot nepotem suum, & Sarai nurum suam, & venit, & habitavit in Haran.

CAP. XI.

ET apparuit Deus Abram, & dixit ad eum. Egredere de domo patris tui, & vade in terram, quam monstrabo tibi, & faciam te in gentem magnam. Parentes ergo suos & affines reliquit, quotquot ab-

euntem sequi noluerunt : abduxit autem Lot, qui promissionem Abrahæ factam audierat, & pie probaverat; quamvis Deus eundem hæreditatis Abramo promissæ consortem esse nolebat : quemadmodum ab hæreditariis ipsius Lot terris Abrahæ nepotes postea exclusit. Sic Abraham Sarai & Lot secum deducens, Chanaanitidem intravit.

Facta est autem fames in terra; descenditque Abram in Ægyptum, & dixit Sarai: quum viderint te Ægyptii, & dixerint: uxor ipsius est; dic quod soror mea sis: & vivet anima mea ob gratiam tui. Tametsi sanctum Abram hac occasione velut hominem humano more atque sensu locutum fuisse existimandum sit; Saram tamen in ædes Regis abductam fuisse secreto Dei consilio credimus, primum quia quum sterilitatis probrum in maritum conjiceret, præsenti casu docenda fuit, vanam fuisse præsumtam de conjuge suspicionem; neque illum, sed ipsammet sterilem esse. Alterum, ut magno experimento probaretur ejusdem erga maritum amor; dum in ditione & potestate Regis posita, delatum ab ipso thori regnique consortium constantissime recusat. Postremum ut in matre futuri filiorum casus, velut in propria effigie describerentur, indeque monerentur posteri, ut quemadmodum mater Ægyptiacum regnum recusaverat, ita Ægyptiorum idola, & cepas, & allia sibi contemnenda intelligerent: præterea discerent, ipsorum libertatem ab Ægypti Rege multis plagis extorquendam fore: nam & mater ex domo Pharaonis nunquam dimittenda fuisset, nisi multiplici castigatione correctus impurus Rex, abeundi licentiam fecisset. Et merito pœna ad Pharaonis familiares ampliata est, quandoquidem feminæ formam Regi laudaverant, eaque commendatione ad illam abducendam stimulos injecerant. Et ipse Rex justissime castigatus fuit, ut qui feminam in matrimonium consentire, coëgisset, non utique consensuram, nisi certum marito, sibique, nuptias si abnueret, exitium imminere præsensisset.

CAP. XII.

ET *facta est rixa inter pastores Abram, & pastores Lot.* Rixosos servos Lot Sodomitis simili vitio infectis divina justitia sociasse videtur, ut eadem pœna utrosque simul involveret: quam tamen justus Lot evasit, divina ope ex medio impiorum abstractus. Cæterum etsi terra Chananæorum Abrahæ promissa fuisset, at-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A attamen nepoti suo Lot optionem permisit, ut quam mallet ex ea portionem, sibi haberet. Optavit ille campos Jordani fluvio adjacentes, universam scilicet Sodomorum terram, quam Jordanes ea tempestate alluebat.

Jamque abierat Lot, quum rursus apparuit Dominus Abram, dixitque ad eum: *Surge perambula terram in longitudinem, & latitudinem, quia illam tibi daturus sum.* B Hic designatur Crucis figura: tametsi terra, quæ in mysterio Crucis promissa fuerat Patribus, propter ipsam Crucem ad externos hæredes translata, illorum filios extorres egentesque reliquerit.

CAP. XIII.

Hic incidit bellum, quod Cadarlahomor Elamitarum Rex cum tribus aliis Regibus intulit Regi Sodomorum, C ejusque fœderatis Regibus quatuor, victor, Sodomorum urbem diripuit, & incolas captivos abduxit: quæ calamitas Lot etiam oppressit. Re comperta Abram vernaculos suos trecentos decem & octo armatos eduxit, conjunctisque copiis cum Hanir, & duobus aliis ejus loci dynastis, antiqua necessitudine sibi obstrictis, Elamitas hostes insequitur, commissoque prælio fugat; captivos, & prædam, quam D extulerant, recipit: Lot nepotem suum cum suis rebus liberat, & salvum Sodomam remittit. Cæterum quum ad dividendas manubias ventum est, Abram, quod videret res Sodomitarum a spoliis hostium secerni non posse, sed omnia fuisse permixta, atque confusa, omnia pariter recusavit.

Et Melchisedech Rex Salem protulit panem, & vinum, & ipse sacerdos fuit Dei E *altissimi, & benedixit ei dicens: Benedictus Dominus, qui tradidit hostes tuos in manus tuas; & dedit ei decimas ex omnibus.* Iste Melchisedech Sem fuit, qui regia dignitate fulsit; magnamque authoritatem adeptus est, postquam quatuordecim Tribuum pater evasit. Pontificatum quoque gessit, a Noë parente suo per legitimam successionem acceptum. Is porro non solum F Abrahæ æqualis fuit, sicut Scriptura narrat, sed ad tempora etiam Jacob, & Esau Abrahæ nepotum pervenit: eundemque Rebecca consuluit, & ab eo audiit geminos populos in utero ipsius gestari, & majorem minori fore subdendum. Nec enim credibile est, Rebeccam marito relicto, quem a cæde mirabiliter ereptum fuisse noverat, aut socero inconsulto, quem

quem frequentissimis visionibus doctum a Deo sciebat, ad alium quempiam, aut ad istum Melchisedech festinasse, nisi ab ipso Abrahamo, atque Abrahami filio summam ejus amplitudinem, & dignitatem didicisset. A

Sed nec Abraham Melchisedecho decimas obtulisset, nisi immenso excessu superiorem esse intellexisset. Præterea nec suspicari quidem fas est, Rebeccam alicui Chananæo, aut Sodomitæ animi sui arcana aperire voluisse; sive Abrahamum cuipiam istorum decimas offerendas esse, credidisse. Et quia Melchisedechum usque ad tempora Jacob, & Esau vitam protulisse probabile est, verisimiliter dictum est, ipsum esse Sem. Habitabat Noë pater ejus ad orientalem plagam; ipse vero inter duas tribus, suam nempe, & Chami familiam, consederat: inde velut maceries in medio posita, mutuam utrisque inter se consuetudinem congressumque prohibebat: verebatur nempe pater, ne filii occasione commeatuum & commerciorum, in idololatriam prolaberentur. B C

[Syriac text not transcribed]

CAP. XIV.

His itaque transactis apparuit Deus Abrahæ in visione, dixitque ad eum. *Merces tua erit magna nimis*. Utique propter eximiæ virtutis actus, tum vel maxime propter vindicatam non ita pridem captivis libertatem. Et dixit Abram: *Quid dabis mihi, quoniam absque liberis ego vadam? Et ecce vernaculus meus hæres meus erit. Eduxitque eum Deus foras, & ait illi: Suspice cœlum, & numera stellas ejus, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Credidit Abram Deo, & reputatum est hoc illi ad justitiam*: Et vero maximam: credidit enim Deo affirmanti rem factu difficillimam, & hominum vulgo incredibilem. Porro laudata Abrami fide Scriptura subdit: *Rursumque dixit ad eum: Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorrum, ut darem tibi terram istam, & possideres eam. At ille ait: Unde scire potero, quod possessurus sim eam*. Non defuere, qui dicerent Deum offensum fuisse ea responsione, velut hominis, qui divino auxilio minus confideret, & idcirco cum aliqua acerbitate Abramo respondisse: *Sciens scito, quod peregrinum futurum sit semen tuum in terra non sua*. Sed talia opinantes cogitent Abramum eodem tempore credidisse, posteritatem suam hominum multitudine arenæ maris parem fore: si autem hoc maximum credidit, ut ex uno homine, & femina sterili, devexæ- D E F

[Syriac text not transcribed]

A xæque ſoboles naſceretur, arenam maris numero æquatura, ſi hoc, inquam, Abram credidit; mirum eſt, ſi hæſitaverit in re minima, qui de re maxima non dubitavit. Non dubitavit profectò, qui juſſus eſt mactare vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, & turturem, & columbam: quod præceptum, noctu illi ſignificatum, die ſequente implevit: & a mane uſque ad veſperam B volantes in expoſita cadavera alites abigere perrexit, donec ſub veſperam immiſſus è cœlo ignis, acceptabile ſacrificium conſumſit. Tum demum Deus illi apparuit, & quæ ſupra lecta ſunt, locutus eſt. Jam ſi Deus Abrahæ incredulitate offenſus illa dicebat, profectò nec ipſius ſacrificium gratum ſibi fuiſſe, illapſu ignis ſignificaſſet; nec ſuum cum illo pactum hoc ipſo die nova amoris ſignificatione con- C firmaſſet; nec promiſiſſet ejuſdem nepotibus decem nationum imperium; ipſique poſt exactam cum ſumma atque diuturna proſperitate vitam, haud diſſimilem exitum. Omnia iſta præcipui amoris argumenta Deus Abrahæ eodem die exhibuit, eam dumtaxat ob cauſam, quia credidit, ejuſque fides reputata eſt ei ad juſtitiam. Quorſum ergo iſti ajunt, hominem, qui fidei merito ampliſſima præmia D eſt conſecutus, ob fidei defectum pœnam poſteris ſuis duriſſimam accerſiviſſe? Et quidem eodem die, quo fides ejus laudata fuit.

Abram ergo credidit opus ſupra omnem vim, ordinemque naturæ patrandum, quale profectò eſſe ſciebat, ut emortua vulva Saræ tanta ſobole exuberaret, quæ per ſe ſola terrarum orbi implendo ſuffi- E ceret. Deinde quum Deum ſibi Chananæorum terras pollicentem audiret, dicentem interpellavit; non quod de promiſſi fide, conſtantiaque ambigeret, ſed quia rationem, qua iſtuc conficiendum eſſet, a Deo doceri volebat. Videbat univerſam Chananitidem a ſuis Regibus rectam & gubernatam, opibus & armis inſtructam, & incolis refertam: audiebat illud negotium, nec ſecum, nec ſua ætate tranſigendum fore; ſed terram in præſen- F tia promiſſam, longo poſt tempore poſteris ſuis fore tradendam. Ergo diſcere cupiebat, quid tandem futurum eſſet, quando ipſius nepotes promiſſam hæreditatem adirent. Credibile eſt Abramum accepto Dei promiſſo cogitare cœpiſſe, utrum Deus eo rem perducturus eſſet, ut Chananæi ſe inteſtinis bellis mutuo conficerent:

rent : vel contra externis armis profligati, terram incolis vacuam relinquerent; vel ipsius Abrahæ posteri opibus & armis divites facti, terram invaderent, & cæsis indigenis eam sibi deinceps haberent : vel terra ipsa impiam & sceleratam gentem non patiens, habitatores suos subito hiatu absorberet: aut ipsi vel fame adacti, vel nova spe, metuve exciti, aut alia quavis incidente causa in alienas terras commigrarent. Stat igitur, Abramum non de promissi constantia dubitasse; sed ignarum, qua via istuc ad effectum perducendum foret, Deo pollicenti ea verba regessisse.

Interea Deus, quid sanctus Patriarcha rogaret, intelligens, illi non modo ea, quæ scire avebat, exposuit, verum etiam arcana ipsi penitus ignota patefecit. Et in hostia quidem, a qua obscœnas volucres abigebat, legere docuit futura suorum nepotum peccata, & meritas pœnas, quas tamen justorum inter eos degentium precibus avertendas ostendit : typoque ignis è cœlo labentis illi manifestavit, salutem tunc è cœlo mittendam fore, quum in ipsius posteritate justi defecissent. Vacca porro trima, & aries, & capra triennes præsagiisse videntur, vel Israelitas post tres generationes libertatem recepturos; vel triplicem hominum ordinem in eodem populo futurum, Regum scilicet, Sacerdotum, & Prophetarum : membra vero dissecta cæsarum bestiarum, Israelitarum gentem in Tribus scindendam præmonstrasse; & aves, quæ secandæ non erant, earumdem Tribuum concordiam summopere procurandam, docuisse.

Tum vero Deus, post ostensas eventuum futurorum imagines, Abramo illa subjecit: quæ dudum scire avebas, nunc discito: *Peregrinum futurum est semen tuum in terra non sua*. Nec enim posteri tui bello capti in terram non suam abducentur; sed commodatis ultro jumentis, & curribus vecti illuc migraturi sunt: ibique miseri miserrimam servitutem servient : scilicet nec unquam animum inducent, ut exitum, & libertatem reposcant, nisi postquam cœperint iniquam sævamque dominationem sustinere, & servitutem durissimam pati. *Populum autem, qui eos in servitutem redacturus est, ego judicabo. Et post hæc egredientur cum magna substantia. Tu vero colligeris ad patres tuos in senectute bona. Generatione autem quarta revertentur huc*. Illud autem, *nondum completæ sunt iniquitates Amorrhæorum*, significat, nec dum

[illegible]

[illegible]

dum peccata Chananæorum ad eum excessisse modum, ut in præsentia bello internecino consumti commeritas pœnas darent.

Subdit Scriptura, interea obdormisse Abramum subito sopore obrutum, quem similem credo stupori, qui Abimelechum alias invasit. Eo itaque somno oppressus est Abram, quum Deus dormienti adfuit, interpositoque pacto spopondit, decem gentes ejus posteritati se olim subditurum, & omnem terrarum tractum, qui a flumine Ægypti usque ad Euphratem porrigitur, ejusdem nepotibus hæreditario jure obtinendum cessurum.

CAP. XV.

Eodem anno Sara propriam sterilitatem ingenue fassa, viro ancillam obtulit: *Ecce*, inquit, *Deus impedivit me, ne pariam: ingredere ad ancillam meam, si forte consolationem accipiam ab ea*. Rem primum improbavit Sanctus Patriarcha, uxorem hortatus, ut istuc qualecumque malum æquo animo ferret, sustineretque paulisper, & expectaret; sed quum Sara minime acquiesceret, Abram mulieris importunitati cessit, duxitque, eadem tradente, Hagarem Ægyptiam, quam, verisimile est, Saræ donatam cum aliis ancillis a Pharaone, eandem Saram tunc sibi in uxorem destinante.

Hagar porro mater effecta, heram fastidire & despectui habere cœpit, sperans sobolem suam terræ promissæ dominam fore. Et quamvis Sara jure suo illam sibi repetere posset, vel ejus arrogantiam fastumque fuste compescere; cogitans tamen illam in præsentiarum Abrami conjugem esse, quæ dudum ancilla fuerat, abstinuit. Ne ergo dum mariti concubinam minus honorifice tractat, illum parvi pendere videretur, continuit manum, verbis nihilominus Abramum aliquando perstringens, quæcumque, ait, nunc contra jus, fasque patior, tibi culpam imputo. Et ego quidem te, nec cum Rege, nuptiarum optione data, commutavi; tu vero hodie mihi ancillam antetulisti. Equidem sperabam fore, ut Hagar quum se gravidam sentiret, mihi sibique gratularetur, plane evenisse, quod precabamur; sublevandi quippe doloris mei causa tibi illam tradideram; at illa pro beneficio injuriam retulit: & quod ægerrime fero, me cum suis sodalibus superbe traducit, ut jam omnes vernæ, velut familiæ probrum me habeant.

Hagar, quæ Abrami favore sese hactenus sustentaverat, ut vidit se ab eodem

[illegible]

dem derelictam, & heræ, quam pridem offenderat, deditam, rata se certissime, quod intulerat, laturam, fugit. Sed fugienti Angelus occurrit, & sic affatus est. *Revertere ad dominam tuam, & subdere illi: multiplicabitur semen tuum, & non numerabitur præ multitudine; eo quod audierit Deus afflictionem tuam*; eo quod tradideris animam tuam, ut redires, & servires dominæ tuæ. *Paries enim filium, vocabisque nomen ejus Ismael. Hic erit onager*; quia in eremo habitabit, & quasi onager cum cæteris hominibus non inibit pacem. *Manus ejus contra omnes*, ut ab omnibus aliquid rapiat, *& manus omnium contra eum*; & quia omnes populos concutiet, idcirco ab omnibus populis injuriam, quam intulit, referet. *E regione omnium fratrum suorum*, idest, filiorum Saræ, & Ceturæ, *figet tabernacula*. Divisæ quippe jam fuerant filiis Sem paternæ hæreditatis regiones.

Ex eo Angeli oraculo facile intellexit Hagar, Abramum plurimos filios laturum, nec tamen ex ipsa: videbat enim illum a communi thoro abstinere: noverat etiam Abramum eatenus ab ipsa liberos quæsivisse, donec eam gravidam factam sensit, quo comperto, ab ejus consuetudine se deinceps continuisse; nam ut Saræ solummodo morem gereret, ancillam duxerat: sperabat enim ejus dolorem tantisper ex Hagar fœcunditate interea remissurum, dum ex fructu proprii ventris plenum gaudium a Deo præstolatur. Dixitque Hagar: *Tu es Deus visionis*, qui pro tua benignitate appares eis, qui adorant te. Quod autem adjecit, dicens: *Visionem vidi, quia vidisti me*, in eo sensu accipiendum est, ut dicamus Angelum apparuisse primum Hagari, nec tamen locutum fuisse, ne fœminam præsenti specie perculsam novo metu concuteret. Quum vero ex ea animi trepidatione illa parumper se collegisset, verba quæ lecta sunt audivisse; postremum *vidisse visionem in visione*, idest Deum in Angelo: idcirco *appellavit puteum illum, puteum viventis, qui vidit me*. Hagar itaque domum Abrahæ postliminio reversa, heram adiit, & culpæ dimissionem exoravit, quam facile impetravit; postquam utrique visionem narrasset, dictaque Angeli retulisset, quibus significabatur filium ex ipsa nasciturum, separatas a fratrum ditione sedes occupaturum, eidem tamen confines. Sic Hagar nuncio, quem Saræ attulit, mœrorem, quo eam asperserat: detersit. *Peperitque Hagar*,

[illegible]

A *Hagar* ; *&* *Abram vocavit filium ſuum Iſmael*, ſicut a matre doctus fuerat.

CAP. XVII.

JAmque Abraham annum nonum & nonageſimum inierat, quum ei apparuit Dominus, dicens : *Eſto procul ab omni noxa in fœdere, quod tecum icturus ſum, & multiplicabo te, daboque in populos*, ideſt Tribus : quod etiam refertur ad filios Eſau, & Ceturæ, qui in populos B excreverunt : & *Reges ex te egredientur* : Reges innuit Juda, & Ephraim ſtirpe ſatos, necnon Idumæorum principes. *Et hoc eſt pactum meum, ut circumcidat omnis maſculus carnem præputii ſui*.

Dixitque Deus Abrahæ : *Dabo tibi filium ex Sara, & benedicam ei, & erit in populos. Et cecidit in faciem ſuam, & riſit, dixitque in corde ſuo : Centenario naſcetur filius? Aut Sara nonagenaria pariet? Et di-* C *xit : utinam Iſmael vivat coram te*. Non fuit dubitantis ille riſus. Quæ autem ſubjecit, ipſius amorem in Iſmaelem ſignificant. Quumque Deus Abrahamum ad annos quinque ſupra viginti ſpe futuræ prolis ſuſpenſum habuiſſet, ipſe viciſſim Deo fidem ſuam in omnibus revelationibus de eo negotio factis mirifice approbavit. Adeo ut tot fidei triumphos extuliſſe videatur, quot occaſione ſterilitatis D Saræ ſubiit certamina. Interea quoniam ſterilis naturæ vitium ſenectute auctum, ſummeque exaggeratum Abraham videbat, quum audiſſet Deum nihilominus ſuum de prole utrique naſcitura promiſſum confirmantem, dicitur riſiſſe in corde ſuo, quia lætus mirabatur Deum poſſe datam utrique fidem exſolvere. Talia cogitanti, mirantique Deus occurrit : & non eſt, ait, cur in hoc negotio hæreas ; quin E certo certius habeto tibi filium Saram parituram. Nec iſtuc putes a me dictum, quaſi velim tuam explorare fidem, utrum didiceris mihi aſſentiri pollicenti, quæ differam, & in tempus præſens omittam. *Super Iſmaele quoque exaudivi te : ecce benedicam ei, & multiplicabo eum*. Cæterum ſi Abraham in hoc facto de oraculo dubitaſſet, Deus profecto fidem ſuam jurejurando neutiquam obligaſſet : neque pro F Iſmaele eundem orantem exaudiſſet : neque filium ei recurrente anno naſciturum prænunciaſſet ; ſed illum contra reprehendiſſet, & culpa notaſſet. Quod autem ſubdidit, duodecim principes ex Iſmaele naſcituros, totidem gentes deſignat. Similiter Jacob duodecim Tribuum pater fuit. Hac ipſa die Abraham ſe, & filium ſuum Iſmael,

mael, & omnes vernaculos suos circumcidit.

CAP. XVII.

ET quoniam promissæ prolis largitor Deus condixerat Abrahamo annum proxime sequentem ad reddendum, quod promiserat; credibile est, inde hæsisse seni dubium, utrum determinatus dies, quo clausus Saræ uterus benedicendus & aperiendus foret, nova aliqua apparitione plene distinctèque sibi declarandus esset. Hæc ille fortasse animo volutabat, quum Dominus assidenti foribus Tabernaculi, æstuante jam sole, se spectabilem obtulit: dumque Abraham dato spectaculo totus inhiat, conspectuque sibi jucundissimo oculos explere cupit avidissime, Dominus extemplo videri desiit. Interea dum Abraham visa miratur, dumque secum ipse causam requirit, cur Deus ne uno quidem ipsum verbo dignatus, suis se oculis subduxisset, in conspectum venere viri tres, quibus, ea seposita cura, è tabernaculi ostio concitus occurrit: qua quidem festinatione ille usus est ex amore, quo in omnes promiscue hospites & peregrinos ferebatur.

Quum ergo Abraham ea solicitudine, qua hospitibus occurrerat, suam in peregrinos caritatem Deo plene approbasset; Dominus, qui paulo ante illi ad ostium tabernaculi apparuerat, rursus in uno ex tribus prædictis viris suam præsentiam prodidit. Quamobrem Abraham procidit in genua, præsentemque Deum adorans, oravit Angelum, in quo Divina Majestas se prodebat, ut domum suo ingressu sacrare dignaretur: *Si inveni*, inquit, *gratiam in oculis tuis*, *ne quæso transeas a servo tuo*. Nec Angelus difficilem se præbuit: respondit enim: *Sic facies*, *sicut dixisti*. Festinavit ergo Abraham ad Saram, præcepitque, ut tria sata similæ subigeret: ipse vero ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum pinguem. Tantam porro panum, & carnium copiam ideo obtulit, non ut Angelorum famem expleret; sed ut ex superantibus reliquiis universæ familiæ benedictiones dispensaret.

Laverunt, consederunt sub arbore: Abraham, quæ paraverat, attulit; nec tamen ipsis assidere est ausus; sed illis sedentibus adstitit famulantis in morem. In fine prandii hospitibus de Sara percontantibus, illa ex interiori thalamo tantisper progressa, post ostium tabernaculi constitit. Tanta illi cura pudoris, & modestiæ etiam in senectute fuit. Cæterum ex Abrahæ

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A Abrahæ ſolicitudine, indictoque præſentibus domeſticis ſilentio intellexere omnes, non eſſe homines eos, qui homini Dei pedes lavandos porrexerant. Mox Dominus ad Saram verba faciens, Abrahamum alloquitur: *Hoc*, inquit, *tempore ad te revertar*, *& erit Saræ filius*. Hæc vero etſi a marito præſente in ſpe futuræ prolis confirmaretur, riſit in corde ſuo, dicens: *Poſtquam vetula facta ſum*, *juvenis fiam?* B *Sed & Dominus meus conſenuit.*

Et ſane ſi forte Sara ſignum propterea petiiſſet, illi utique dandum fuit, tum quia noverat naturæ defectu ſe ſterilem eſſe, & vires ætatis vitio labefactatas concidiſſe: tum quia nullum hactenus ſimile factum aut viderat, aut audierat, quo in fidem ſpemque tanti miraculi erigeretur. Verumtamen, vel illa non petente, ex ipſa, & in ipſa datum eſt ei C ſignum. Continuo occurrit Angelus ridenti: *Quare*, ait, *riſiſti Sara*, *dicens*, *ego ne vetula pariam?* At illa quum præſens ſignum affirmare, atque approbare debuiſſet, impudente mendacio texit; ſed & ſi ſe riſiſſe illa negavit, quia timuit; Angelus tamen, ut eam admoneret, mendacem excuſationem fruſtra ſibi obtendi: *Non ita eſt*, reſpondit, *ſed riſiſti in corde tuo*. Ita cor tuum oris tui D refellit nugas.

Hæc Angeli ad affirmandam Saræ futuræ prolis ſpem prolocuti, Sodomam cogitare cœperunt: Saræ tamen eam expeditionem latere voluerunt, ne lætitiam ex nuncio futuræ prolis conceptam diluerent, nunciato pariter fratris præſenti diſcrimine, ob proximam ruinam Sodomitis eorumque ſociis impendentem. Saræ itaque rem occultarunt, ne non quieE ſceret a fletu; aperuerunt Abrahamo, ut ne quieſceret ab oratione; indeque nobis innoteſceret, Sodomæ nec unum repertum fuiſſe Juſtum, cujus gratia ea ſervanda foret.

Clamor Sodomæ, *& Gomorrhæ multiplicatus eſt*, *& peccata eorum aggravata ſunt nimis*. Clamor ille quinam fuerit, ſatis exponitur per peccata iſta, quæ infra dicuntur fuiſſe graviſſima. *Deſcendi ut viF deam*, *an clamorem*, *qui aſcendit ad me*, *fecerint*, *& compleverint*. *Etſi non*, *ut ſciam*. Peccata Sodomitarum Deum utique non latebant; dixerat enim eadem eſſe atrociſſima: ſed voluit inſigni facto Judices monere, ſuſpendendam eſſe omnem aſſenſionem, ne præcipitet, ſi forte præceſſerit: nec niſi poſt plenam, perfectamque

que caussarum notitiam sententias esse ferendas. Si enim ille, cui omnia patent, homines judicaturus, eorum crimina nec dum sibi satis comperta esse præseferebat; oppido quantum ipsos decet homines, ut simili officio functuri propriam inscitiam fateantur; ne videantur judicii ordinem velle pervertere, caussæque disceptationi sententiam præponere.

A [illegible]

CAP. XVIII.

Interea duo Angeli loco digressi, viam Sodomam versus ingrediuntur. Quo quum pervenissent, in ipso urbis introitu Loth invenere in limine assidentem. Sic enim solebat, ut advenientibus peregrinis in ipso vestibulo occurreret. Quare novis hospitibus de more obviam progressus, cuncta caritatis officia, quæ omnibus promiscue peregrinis præstare consueverat, effuso sinu exhibuit, cum luculentioribus etiam amoris, & observantiæ argumentis, quod divino lumine illustratus, intellexit, in altero Angelo illum latere, quem Abraham dudum in tertio agnoverat. Quamobrem humi provolutus, pronusque, præsens numen adoravit. Nec porro distat a vero, Angelos Sodomitis sub pulchra, & eleganti specie spectandos se obtulisse. Dixerat enim Deus: *Descendi, ut videam*: idest descendi, ut tentem illos. Quod si ea Angelorum apparitione Sodomitæ ad exaggerandum execrabile vitium abusi non fuissent, credibile est, eos, etsi scelerum hactenus admissorum veniam consecuti non fuissent, ruinam tamen, quæ ipsos paulo post oppressit, fuisse evasuros.

Instabat itaque Loth, sollicitabatque hospites, ut quantocyus domum se reciperent, veritus, ne occurrentes Sodomitæ in eis scandalum paterentur. At illi contra nectebant moras; videri enim ab oppidanis studebant. Et apud Abraham quidem cunctandum non fuit, quia non venerant mores ejus probaturi, sed probatos remuneraturi: nec vero apud Loth in præsenti festinandum, ad quem missi fuerant, ut Sodomitarum animos explorarent. Quare quum instaret Loth, ut ocyus in suas ædes diverterent, responderunt: *minime, sed in platea pernoctabimus*. Nihilominus quum Loth hospites suos vehementius adhuc urgeret, tandem induxit, ut è publico foro domum suam succederent.

Cœnatum est: jamque ad quietem se componebant, quum audiunt, Sodomitas facto agmine obsedisse ædes: & solici-

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A citare Loth, ut hospites, quos sub noctem receperat, prodat. *Dixeruntque*, subdit Scriptura, *ubi sunt viri, qui introiverunt ad te nocte: educ illos, ut cognoscamus eos*. Hic observa Dei dispensationem. Non enim permisit, ut domum Loth accederent interdiu, quando Sodomitæ Angelorum pulchritudinem spectare, eademque decipi facile potuissent; sed jussit expectare noctem; quando incumbentibus B jam tenebris occultata hospitum forma oppidanis laqueum vix facere poterat; ut sublato hoc incitamento tentatio fieret levior. At illi præsente Dei providentia nihil profecerunt, sibique damnum atra in nocte intulerunt, quod claro die passuri fuissent. Quum ergo Sodomitæ sanctum Loth orantem, obsecrantemque audire non sustinerent; neque acquiescerent deprecanti injuriam hospitum, filiarum C oblata pudicitia: quin insolentius insisterent, minitantes se in illum acerbius, quam in hospites, sævituros; jamque foribus infesto agmine incumberent: *Miserunt manum*, subdit Scriptura, *viri*, *& introduxerunt ad se Loth*, *clauseruntque ostium*: *& eos*, *qui foris erant*, *percusserunt cæcitate*. Nec tamen sceleratorum hominum petulantiam compescere potuerunt, quin ostium domus quæritare pergerent. Tum D vero Angeli ad Loth conversi: *Generos tuos*, ajunt, *& filios*, *& filias tuas*, *& quæcumque habes*, *educ de loco isto*, *quia vastaturi sumus locum istum*. Generos sub filiorum vocabulo designat, quia ipsius filias ducturi erant. Interea Loth ab Angelis digressus generos convenit; nec tamen ejus exitum reditumve adverterunt Sodomitæ eodem loco congregati. Sed quum illi discessum minime probarent, E arbitrati senem insanire; Angeli *apprehenderunt manum ejus*, *& manum uxoris*, *ac duarum filiarum ejus*, *& eduxerunt eum*. Quodque mirandum accidit, quum eos conspicuo agmine palam deducerent, a Sodomitis tamen circumstantibus, aut occurrentibus nec visi, nec agniti fuerunt.

F Et quoniam quidem fœminarum sexus Sodomæ tentatus non fuerat, quæ postmodum inde fugerunt, præcepto probandæ fuerunt, quod & factum est. In ea fuga, quum Loth in vicina urbe Segor perfugium quæreret, atque proinde salvam esse optaret, respondit Angelus: *In hoc quoque verbo suscepi faciem tuam*, *ut non subvertam urbem Segor*. Futurum est enim, ut tibi propter filiarum ignominiam tra-

tradatur. Jamque Loth urbem Segor intraverat, *quum Dominus pluit super Sodomam sulphur, & ignem a Domino de cœlo*, idest Angelus, in quo Dominus suam prodebat præsentiam, pluit a Domino, qui in cœlis est, sulphur, & ignem super Sodomam. Per eam occasionem uxor Loth prævaricata præceptum, quod ad ipsius probationem ad breve tempus indictum fuerat, *versa est in statuam salis*. Stetit, suaque statione tentationem geminavit conjugi, & natis suis. At illi, nec eo casu victi sunt, ut a præcepto Angeli descisceret.

In ea porro rerum perturbatione puellæ stationem in deserta urbe Segor sibi minime tutam arbitratæ, patrem, ut ad proximum montem duceret, orarunt. Hic quum minime dubitarent, quin orbis præterito incendio totus deflagrasset, eum prope in modum, quo ætate Noë aquis submersus fuerat; dixit soror natu major ad minorem: *Ecce pater noster senex est, neque vir superest in terra, ut ad nos ingrediatur: inebriemus ergo patrem nostrum vino, ut servare possimus ab eo semen*. Sic tertius a nobis inchoabitur mundus, perinde atque secundus a Noë, & primus a primis generis nostri parentibus Adamo & Heva. Nec apud oppidum Segor vinum deerat: hoc enim affatim suppeditabant ejus suburbana, justo Loth, & ejus posteris postmodum concessa: sed incolis virilis sexus interea extinctis, spes omnis propagandæ sobolis simul excidisse videbatur. Eodem quippe die, quo Angelus Lotho condixerat, se civitatem Segor haudquaquam subversurum, ejusdem oppidi solum repente subsidens, patefacto vastissimo hiatu, hausit habitatores suos, fundos intactos reliquit: ut nimirum judicem Deum, quem incolæ suis flagitiis exasperaverant, eorundem interitu placaret; & servatis prædiis compensaret justo Loth damnum Sodomæ eo incendio acceptum, mœroremque ex præterita jactura conceptum utcumque dilueret.

Interea puellæ causari spectra, quorum proinde infestationem, ut fugerent, noctem, ajebant, insomnem sibi esse ducendam. Perpetuo quippe matrem in statuam salis pridem conversam ob oculos versari, hic occurrere Sodomitas populante incendio circumventos, illic fœminarum sequaces flammas fugitantium clamorem, & puerorum miserabilem ploratum pulsare aures. Quin ergo vigilas, pater? Quin filias alloquio sublevas? Quin omnes

[illegible]

A omnes mœrorem mero depellimus, & horrendæ noctis horas compotando fallimus? Ut ergo, ſenem vino, ſomnoque gravatum profunde ſtertere, virgines animadverterunt, ſenior adrepſit clam, & colono dormienti ſuſſuratur ſemen: nec ille furem, furtumve advertit, aut ſenſit. Ergo fraudem, quam ipſamet excogitaverat, lepide proceſſiſſe cernens, juniorem facile perſuaſit, ut ipſa perinde nupta ad B horam fieret, celebs perpetuum manſura. Fecit quod rogabatur: caute tamen, adeo ut pater nec ipſius congreſſum intellexerit, neque digreſſum.

Poſt dies quum ambæ ſe gravidas ſentirent, natu minor majorem incuſare cœpit, & factum dolere. Atqui, ajebat, multo ſatius erat, ſterilitatem pati, quam probroſæ mortis ignominiam ſuſtinere: fuitque oppido magis optandum, filias ſine prole cum C patre vivere, quam ſine illis patrem. Jam vero quamnam facto excuſationem obtendemus? Aut qua via, patrem reas perſequentem, & ad ſupplicium depoſcentem effugiemus? Siccine, dicet, quæ pudicitiam Sodomis vindicaverant, in monte prodiderunt? Quid amodo ſtatuendum, quidve conſilii capiendum ſupereſt? Nec enim vento gravidas nos eſſe mentiri poſſumus, quum prope partus immineat. Hæc ſorores inter D ſe ancipiti cura verſabant; quum re comperta, pater utramque ſic interpellat: vos utique prægnantes dudum animadverti; dum furtim ventres obſervo tumidos; ſtuprum ſuſpicor: agitedum prodite auctorem, tempus, & modum. Cui filia natu major: juvenes, inquit, quos generos tibi deſignaveras, matrem exoraverant, ut domum noſtram furtim ventitare, noſque identidem alloqui, te abſente, ipſa præ- E ſens, & audiens permitteret. Annuit illa: nam etſi natura nobis illos ſponſos faciebat, fratres tamen effecerat caſus, quum nullos, pater, præter illos haberes filios. Poſt dies accidit, ut ſubito nuncio incitata mater, domo excederet: arripuere occaſionem juvenes: & qui eatenus nos ſororum loco habuerant, hac, quam vides, injuria invitas, reluctanteſque affecerunt. Quod quum reſciviſſet mater, F impuros adoleſcentes cum probro, & ignominia expulit, eiſdemque domum noſtram perpetuo interdixit. Nos contra illatum ſtuprum dolentes ſolabatur. At utique mœchi non ſunt, ajebat, imo futuri propediem conjuges: terra proinde a propriis colonis ſemen accepit, etſi pudicitia veſtra vi oppugnata, expugnata fuerit.

rit. Fabulam admisit pater, filiasque absolvit, conscius memorque salacitatis Sodomitarum. Si enim, ajebat, alter in alterum scelerata libidine insaniebant, neque ipsos Angelos reveriti sunt, nil miror, ut juvenes sponsatas sibi puellas violaverint.

Peperitque major filium, & vocavit nomen ejus Moab, qui parentis Loth merito in populum postmodum excrevit. *Minor quoque peperit filium, & vocavit nomen ejus Ammon*, hoc est filius populi mei, seu patris mei: numerus itaque filiorum criminum numero respondit. Et quoniam duobus Angelis a patre posthabitæ fuerant, recte duo illis peccata remittuntur. Nec tamen deinceps aut patri, aut alteri viro sui corporis copiam fecere: non inquam patri, quia pater: nec alteri, quia vir pubertatis suæ necdum obierat: nec si obiisset, aliis; Cogitabant enim honesto etiam conjugio sibi esse abstinendum, quæ antea se illegitimis nuptiis polluissent. Sic exercitas festinato & præcipiti judicio libidines subsequens continentia purgavit.

CAP. XIX.

POst hæc Abraham ad Palæstinos profectus est. Quum vero incolarum nequitiam veritus, Saram esse sororem suam dictitaret, dicenti fidem habuit Abimelech Rex Geraræ, & illam nuptiarum obtentu in regiam deduci jussit. Sed quia Sara in Pharaone tentata fuerat; tum præcipue quia Isaac in ventr gestabat, & Abraham precibus instabat, concessum est, ut è Palæstini Regis thalamo inviolata rediret. Abimelech siquidem feminam opprimere dum parat, subito sopore oppressus, non secus, ac Adam in Paradiso, audiit Deum dicentem: *En morieris propter mulierem, quam tulisti: habet enim virum*. Cui Abimelech: *Num*, respondit, *gentem justam interficies? In simplicitate cordis mei, & munditie manuum mearum feci hoc*. Tum Deus: *Ideo cohibui te, ne eam tangeres; quominus peccares in me*.

Postridie summo mane Rex Abrahamum ad se accitum præposteræ simulationis arguit, cujus causa parum abfuerat, quin in gravissimum scelus imprudens ipse prolaberetur. Cui Abraham: metus, ait, hunc dolum suasit. Sororem dixi, ne ejus causa perirem. Nec tamen dictum distat a vero: vere enim soror mea est, filia patris mei, & non filia matris meæ. Filiam dixit patris sui, quæ erat germani fratris filia: negavit autem esse

[illegible]

[illegible]

A esse sororem ex matre; quia Aran filius Tharæ non duxerat Abrahæ sororem, sed aliam, quæ posthabita prole, apud suos consanguineos, Thare migrante, remansit, nec filios secuta est abeuntes, Loth, & geminas filias Saram, & Melcham. Tum vero Rex ad Saram conversus: *Ecce*, ait, *mille argenteos dedi fratri tuo*; teque muneribus donatam eidem restituo; *quia operuisti oculos omnium meorum*, *& coram omnibus me arguisti*. B Quasi dicat. Domesticos, & familiares meos pudore suffudisti, quando me ipsis audientibus objurgasti. Credibile est, Saram, quum Deum sibi propitium intelligeret, & soporem Regi repente immissum vidisset, haud veritam fuisse, Regem ipsum alta voce, palamque arguere his vel ejuscemodi verbis: iniquus es, Rex, qui uxorem tuam injuria provocas, alienam beneficio, C speque nuptiarum: neutrum enim justum est. Cæterum, nisi dicamus, Saræ juvenile robur, & formam post Isaac conceptionem rediisse, incredibile est, Regem Abimelech, vetulam nonagenariam deperisse. Extemplo orante Abraham sanavit Deus Abimelech, & uxorem, ancillasque ejus, & pepererunt. Ab ea quippe hora, qua Abimelech Saram sibi abducere statuerat, usque ad ejusdem restitutionem, D prægnantes mulieres, quotquot in Regia Abimelech morabantur, festinato partus dolore excruciari cœperant, nec tamen fœtum edere, levarique potuerant.

CAP. XX.

Impletum est Saræ tempus pariendi, & peperit Isaac, & lactescente mirabiliter effæto corpore mater aluit; stato postmodum die circumcidit. Quumque adultus a lacte amovendus esset, Abraham E eodem die solemne epulum instituit, cujus occasione Ismael cum Isaac ludens deprehensus, Saram vehementer offendit: animadvertit enim pueri mores ad matris ingenium formatos; eademque arrogantia Ismaelem supra Isaac sese efferre, qua mater heram despicari solebat. Secum proinde deliberans: si in vivis agente me, ajebat, hunc in modum Ismael filium meum accipit; utique verendum est, F ne, me summum obeunte diem, hæreditatem cum filio meo dividat; & forte duas etiam partes, quasi primogenitorum jure sibi addictas, occupet. Hæc mente revolvens, filii jura tueri statuit quæ propria neglexerat, concessa pridem marito citra omnem animi ægritudinem ancilla Hagar. Ne ergo ancillæ filius filii libe-

liberæ hæreditatem per fas nefasve sibi præriperet, Sara Abrahamum accepta occasione compellans: *Ejice*, ait, *ancillam istam*, *& filium ejus*: nec enim justum & æquum est, ut concubinæ filius filio promissionis in paterna hæreditate societur. Neque tibi fas est, Deo contraria statuere, ut quem ille ab hæreditate repulit, tu hæredem instituas. Hæc oratio quum Abrahamum non parum turbasset; ut qui nec fratres ab invicem dividere vellet, nec Ismaelem exhæredare; pro Sara tamen intercessit Deus, & Abrahamum ea de re deliberantem interpellans: *Omnia*, inquit, *quæ dixerit tibi Sara*, *audi vocem ejus*, *quia in Isaac vocabitur tibi semen*, *sed & filium ancillæ faciam in gentem magnam*, *quia semen tuum est*. *Surrexit itaque Abraham diluculo*, *& tulit panem*, *& aquam*, *& puerum*, *deditque Hagar*: *quæ quum abiisset*, *errabat in solitudine*. *Vocavitque Angelus Hagar de cœlo*, *dicens*: *exaudivit Deus vocem pueri*: *porro manus tuas obfirma in eo*, *quia in gentem magnam faciam eum*. *Aperuitque oculos ejus*, *quæ videns puteum aquæ*, *implevit utrem*, *deditque puero bibere*.

Interea Abimelech, ejusque militiæ Dux Phicol Abrahami potentiam suspectam habere cœperant: videbant quippe, Deum peculiari providentia res ejus curare: nam & olim pugnanti contra Reges victoriam concesserat, & nuper Chananæorum terras despondcrat, inde metus suspicantibus, ne Abraham, Chananitide in potestatem redacta, res etiam Palæstinorum turbaret. Quocirca minime cunctandum rati, confestim ad amicitiam secum jungendam eundem invitarunt.

CAP. XXI.

T*Entavit etiam Deus Abraham*, *& dixit ad eum*: *tolle filium tuum*, *& vade in terram Amorrhæorum*, *atque ibi offeres eum in holocaustum super unum montium*, *quem monstravero tibi*. Hujus tamen præcepti executio in tertium diem sapienter prolata fuit, ne inconsulta ratione ex fortuito mentis stupore suscepta videretur. Summo itaque mane Abraham ligna composuit, filiumque secum deducens viam ingressus est; jussi simul duo juvenes sequi. Saræ autem profectionis causas minime aperuit; nec enim istud a Deo mandatum fuerat: tametsi credibile sit, matrem, filii immolationem sibi cum patre communem fieri optasse; sicut utrique commune fuerat de illius nativitate oraculum. Quid quod & Abraham merito suspi-

[illegible]

[illegible]

A suspicari poterat, ne domestici, re comperta, in ipsum insurgerent, ejusque consilium disturbarent, aut certe quæstubus tabernaculum implerent. Nec forte minor ab indigenis in vicinia commorantibus metus erat, ne puerum ad necem rapi indigne ferentes, factam vim vi repellerent, & insontem ab interitu vindicarent; aut si id minime succederet, ejus immolationem in dies protraherent. Et sane B si Abraham geminos adolescentes, quos viæ socios habuit, consilii tamen conscios esse noluit, quanto magis illum cavisse oportuit, ne ejus rei notitia in vulgus efflueret? Jamque montis clivum subierant, quum Isaac patrem interrogat, ubi esset victima sacrificii; cui Abraham futura præsagiens: *Dominus*, respondit, *sibi providebit*: idemque innuerat paulo ante servis, quos ad radicem montis relinquebat. C

Quumque alligasset Isaac, posuit eum in altari super struem lignorum; & arripuit gladium, ut immolaret eum: & utique fecisset, nisi Angelus Domini prohibuisset. Ne autem suspicaretur Abraham, sacrificium ob aliquod vitium Deo non placere, subjecit statim Angelus: hic enimvero manifestam fecisti tuam in Deum pietatem: testatur puer, quo tibi nulla charior res est, quo erga rerum omnium D Dominum animo sis. Duo autem Abrahamum in hoc sacrificio commendant: primum quod filium mactaverit, etsi hoc minime perfecerit: alterum, quod crediderit, puerum mortuum revicturum, Deo extinctum ad vitam mirabiliter revocante: non enim de divini illius oraculi veritate dubitavit: *Quia in Isaac vocabitur tibi semen*.

E *Viditque Abraham arietem arbori hærentem, quem assumens, obtulit holocaustum pro filio suo*. Arietem quidem illic antea non fuisse, Isaaci interrogatio ostendit: sed nec arborem extitisse, ligna testantur Isaaci importata humeris. Mons ergo arborem protulit, fudit illa arietem, ut aries arbori hærens, & pro Isaaco postmodum mactatus, diem præsignaret illius, qui ligno suspensus est quasi agnus, & F pro toto mundo mortem gustavit. *Dixitque ad eum secundo: per memetipsum juravi, dicit Dominus, quia multiplicabo semen tuum; & benedicentur in semine tuo* (qui est Christus) *omnes gentes terræ*.

CAP. XXII.

Post hæc Sara è vita migravit in urbe Hebron, annum agens vigesimum septi-

ſeptimum ſupra centeſimum, ejuſque cadaver humatum fuit in ſpelunca emta a filiis Het.

CAP. XXIII.

JAmque inierat annus ab obitu Saræ tertius, quando *dixit Abraham ad ſervum ſuum ſeniorem : pone manum tuam ſuper femur meum, & adjurabo te, ut non accipias uxorem filio meo de filiabus Chanaan*. Per pactum Circumciſionis adjuratur ſervus, quia Deus illam noſtri corporis partem pacti fœderis ſigno notaverat, ut eo abundantiorem cæteris membris honorem haberet, quo illam homines ſub ipſa pene mundi utriuſque crepundia ante poſtque diluvium infandis flagitiis turpius dehoneſtaverant: tanto, inquam, honore partem illam circumdedit, ut homines per ipſam ſacramentum peterent, atque dicerent. Eo, quem Herus volebat, more quum ſervus juraſſet, ſe, quæ jubebatur, integerrima fide executurum, *abiit ex omnibus bonis ejus portans ſecum. Profectuſque perrexit in Meſopotamiam ad urbem Nachor*. Ut eo ventum eſt; quum feſſus ad fontem extra oppidum conſediſſet, Deum precabatur, ut quod reliquum erat, ipſe uxorem hero deſtinatam certo ſigno monſtraret: quod quum impetraſſet; inſtitit tamen quæritans, utrum puella ejus eſſet familiæ, ex qua herus uxorem filio deligi juſſerat. Quum autem intellexiſſet, virginem filiam eſſe Bathuelis filii Nachor, actis Deo ſummis gratiis, in parentum ejus ædes invitatus ſucceſſit. Cæterum Bathuel & Laban quum didiciſſent, ſervo narrante, ipſius cum Abrahamo pacta conventa, ſimulque intuerentur, votis ab illo ſecus fontem conceptis Deum annuiſſe, nullum jam deliberationi ſupereſſe locum cenſuerunt; quare ad ſervum converſi: *A Domino*, inquiunt, *egreſſus eſt ſermo tuus*, & ſermo Domini tui. *En Rebecca coram te eſt: tolle eam, & proficiſcere*. Hic, quod unum reſtabat, virginis animum explorant. At illa, tum quod intellexerat, ſervi fidem Abrahamo obligatam, tum quod ipſamet præſens teſtabatur, ejuſdem preces Deum ratas effeciſſe, exhibito protinus, quod ille optaverat, ſigno, contradicere non eſt auſa: adeo perſuaſum habebat, ſuum diſceſſum Dei conſilio fuiſſe definitum. Hunc in modum Rebecca paterna domo abſtracta in Chananitidem migravit, nupſitque Iſaaco anno a matris deceſſu tertio: & quidem eo ſucceſſu, ut gaudium ex illo conjugio ſuſceptum mariti dolorem, quem ex

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A ex matris obitu per triennium sustinuerat, continuo dispulerit.

CAP. XXIV.

ET quoniam celibatus, & virginitatis propositum nulla peculiari lege sancitum fuerat; & Abrahamo prædixerat Deus, Reges & populos ex ejus stirpe nasci turos, monitumque adjecerat: scio, inquit, quod Abraham præcepturus sit filiis suis, & filiis filiorum suorum, ut cu- B stodiant præcepta mea: tum ne concupiscentia anteactæ vitæ innocentiam minima quantumvis labe inficeret; Abraham post Saræ obitum duxit concubinam; eo scilicet consilio, ut proles ex eo conjugio suscepta, & paulatim, ut fit, sobolescens, per orbem longe lateque se funderet, unaque veri Dei religionem, & cultum propagaret. Quamobrem liberos, quos ex Cetura tulit, muneribus donatos orientem versus C concedere jussit, easque regiones sibi subigere. Per hunc vitæ cursum rebus humanis functus Abraham, vivere desiit ætatis suæ anno septuagesimo quinto supra centesimum, & in commune cum Sara uxore sepulcrum illatus est.

Benedixit autem Deus Isaac, deprecatusque est Dominum pro uxore sua, eo quod esset sterilis, qui exaudivit eum: post annos nimirum viginti, *& dedit conceptum* D *Rebeccæ; sed collidebantur in utero ejus parvuli: perrexitque, ut consuleret Dominum, qui respondens ait: duæ gentes sunt in utero tuo*, Hebræa, *&* Idumæa. Quemnam autem Prophetarum consuluerit, diximus supra, ubi de Melchisedecho egimus. Continuo ingruentibus partus doloribus, adproperare reditum coacta fuit; peperitque Esau, & Jacob.

Adoleverant ambo, quum Jacob ani- E madvertens fratrem primogenitum propria jura parvipendere, divinis fretus promissis, eadem sibi vendicare statuit. Dixerat enim Deus: *Major serviet minori*. Coxerat die quadam Jacob lentes: simul accidit, ut Esau domum a venatione reversus, fatigatusque prope assideret: inde conspicatus pulmentum, dixit fratri: *Da mihi rufum hoc de rufis*, idest lentem de lentibus tuis. *Cui dixit Jacob: da mihi pri-* F *mogenita tua, tibique omnia accipito*. Dedit quod rogabatur Esau, firmataque jurejurando venditione, oblatum a fratre obsonium comedit, & abiit. Ut vero constaret, Esau non adactum fame, jura primigenia vendidisse; Scriptura adjecit, eadem non magni ab eo habita fuisse. Non igitur, fame impellente, illa pro-

prodegit; sed quia eadem parvi pendens, credidit se nihil accipere, nihil dare. A

CAP. XXV.

O*Rta autem fame super terram abiit Isaac ad Abimelech Regem Palæstinorum in Gerara. Sevit autem in terra illa, & messuit in ipso anno centuplum: benedixitque ei Dominus, & locupletatus est homo, & ibat proficiens, atque succrescens vehementer*. Ea res terruit Abimelech, qui ex præsenti novi advenæ felicitate B futuram Regni sui ruinam conjectabat. Venit itaque cum Phicol duce militum ad Isaac, *dixitque ad eum. Vidimus tecum esse Dominum; sicut fuit cum Abraham patre tuo*: testantur istuc, præter alia argumenta bene multa, aucti in centuplum agrorum tuorum proventus: *& idcirco diximus: Sit fœdus inter nos, & te, ut non facias nobis quidquam mali*, quum opibus, & sobole auctus fueris; *sicut nec nos fecimus, quod te læderet*, quum abjectus in C egestate vitam duceres. *Juraverunt ergo sibi mutuo, & abierunt in pace.*

CAP. XXVI.

S*Enuit autem Isaac, & caligaverunt oculi ejus, dixitque ad Esau: venare mihi venationem; & para mihi pulmentum, ut comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar*. Esau venatum abierat; D quum Rebecca, ne is primogenitus institueretur contra Dei sententiam; dixerat enim Deus: *Major serviet minori*; suggessit filio Jacob, ut Primogenituræ jura, fratri a patre promissa, sibi ipse vendicaret. Quumque ille præsens periculum objiceret; ne patre factum indignante, ipse maledictionem pro benedictione reportaret; pulsare nihilominus illa juvenem institit; ut quam metuebat maledictionem E in ipsius caput rejiceret, modo imperata faceret. Fecit Jacob; & coctum pulmentum, ut a matre doctus fuerat, intulit patri, & dixit: *Pater mi. At ille respondit: Quis es tu? Dixitque Jacob: Ego sum Esau; feci, sicut præcepisti mihi*. Hæsit ad hæc Isaac dubius: vox enim Jacobum prodebat. Quare veritus, ne una cum benedictione primigenia jura ab altero in alterum fratrem imprudens transferret; F *accede*, ait, *ad me, ut tangam te*. Ita dubiis manus tangentis indiciis syncero vocis testimonio præscribentibus, Jacob benedictionem obtinuit, eaque accepta statim excessit. Venit post hæc Esau, coctosque cibos intulit; patrem ut comederet, rogavit. Expavit ad hæc Isaac, me-

[illegible]

[illegible]

A memor tamen, alium Eſau nomine benedictionum theſaurum exhauſiſſe, reſpondit: quis igitur ille fuit, qui dudum captam venationem attulit mihi, *benedixique ei, & erit benedictus?* Suas nihilominus benedictiones Iſaac revocare noluit: primum, quia intellexit, eo errore impletam fuiſſe Domini voluntatem, Rebeccæ oraculum conſulenti ſignificatam: iterum, quia ipſemet præter cætera, quum benediceret B Jacob, illud adjecerat: qui maledixerit tibi, ſit ille maledictus. Timuit itaque ne, ſi malediceret Jacob, cui ante benedixerat, ea maledictio non illum afficeret, ſed in proprium caput recideret. *Quibus Eſau auditis ululavit ululatu magno*: non quod ſpirituales benedictiones amiſiſſet; ſed quia terræ benedictæ ubertate & feracitate ſe fuiſſe privatum intellexit: neque quia juſtificari amplius non poſſet; ſed quia C amiſſum in fratres dominium ſe recuperaturum deſperaret. Nec demum, quia vitam immortalem non eſſet conſequuturus, ſed quia ſpe Chananitidis obtinendæ excidiſſet.

ad Heb. 12. 17.

Odit ergo Eſau Jacob, eo quod ipſi benedictionem ſurripuiſſet, eumque interficere cogitabat. Quo comperto Rebecca, ne fratres inter ſe dimicantes mutuo ſe conficerent, ipſaque uno die duobus filiis D orbaretur, ſuaſit Jacob, ut ad Laban quantocyus profugeret. Conſilium probavit Iſaac, qui præſente matre, Jacobo benedicens præcepit, ut Haran profectus, inde ſibi uxorem quæreret.

CAP. XXVIII.

His cum mandatis Jacob Haran contendit: jamque aliquod viæ ſpatium emenſus fuerat, quum obtendentibus jam tenebris ſub dio pernoctare coactus eſt. E Subſtitit ergo in loco, in quo illum nox oppreſſerat, ubi culcitram & pulvinarium humus & lapis præbuerunt, cui mater in tabernaculo molli lectulo cubitum perſtruebat. Ibidem dormienti ſcala repræſentatur uſque in cœlum ſublimis, viſique per eam deſcendere, & aſcendere Angeli, & Dominus ſtare ſuper illam. Scalarum ſpecies ideo oblata eſt, ut Angelorum aſcenſus & deſcenſus explicaretur. Ange- F lorum autem per ſcalas diſcurſus, & occurſus, dormienti monſtrabat, quæ providentia rebus ejus excubaret, quantave ſolicitudine Angeli, quibus de illo mandatum fuerat, ejus ſalutem, non modo quum ipſe ſibi vigilaret, ſed etiam eo nihil cogitante atque ſtertente, curarent, & quidem ſummo ſtudio & contentione, adeo

ut in ea cura unice versari, & velut perpetuo ascensu descensuque distineri viderentur. Sic Deus suam erga Jacob providentiam occultam latentemque manifesta scalarum visione patefecit. Is autem, qui quum dormiret Dei præsentiam non senserat, experrectus visum recogitans, contuensque curam, quæ in ea præsertim solitudine rerum suarum gerebatur, admirabundus: quasi in domo Dei dormiebam, ajebat, & quasi ante fores cœli cubabam. Nihilominus Deus, ut Jacobo clarius ostenderet, ad ipsius unice custodiam Angelos discurrere, atque proinde in ipsius solummodo gratiam, quas viderat, ire redire vias, rem disertis verbis declaravit, subdens: *Ecce tecum sum, quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, nec dimittam te, nisi complevero universa, quæ dixi.*

Dixitque Jacob: *Vere Dominus adest in loco isto*, custos meus, *& ego nesciebam*. Oleum autem, quod lapidi Jacob superfudisse legitur, seu secum ipse attulerit, seu ex vicinia comparaverit, sacramentum venturi Christi, idest, Uncti manifeste adumbravit. Appellavitque nomen loci Bethel, idest, domus Dei, sicut paulo ante nominarat. *Votum autem vovit* super lapide, dicens: *Si fuerit Dominus mecum, & dederit mihi panem, & vestimentum, lapis iste erit mihi Domus Dei: cunctorumque, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*. Hoc scilicet sacramento Ecclesia præsignabatur in lapide, ipsique promittebantur gentium ad eam conversarum oblationes.

Cap. XXVIII.

Postridie Jacob cæptum repetens iter, quum iterum fatigatus ad puteum consedisset, occurrit Rachel pecora agens, paupere cultu, pede nudo, vultuque titionem referens; adeo nativum colorem ferventissimi solis æstus adusserat, atque fuscaverat. Intellexit Jacob, ab eo sibi præparatam ad puteum Rachelem pauperem, qui pulchram Rebeccam Isaaco ad fontem obtulerat. Mox ipsa præsente, quo specimen quoddam ætatis & roboris daret, prægrandem lapidem, putei nimirum operculum, quod plures viri robustissimi vix efficere valuissent, amovit solus, vires subministrante nepote, quem in lumbis gerebat. Quumque puellam hoc signo adjunxisset Deo, sibi etiam osculo despondit.

Hanc ut haberet, ad septennium Labano operam suam locavit, quo expleto pater Liam pro Rachele fraudulenter genero substituit: & quamquam hoc ille quæ-

[illegible]

A quæſiverit, ut Liæ conſuleret, quæ ob formæ defectum toto eo ſpatio ſponſum invenire nequiverat; præcipua tamen cauſa, cur ea arte ſibi utendum putaret, fuit proprius quæſtus, reique familiaris augendæ ſtudium. Expertus enim præterito ſeptennio, quo Jacob pro Rachele ſervierat, admodum utilem ſibi ejus operam, ſperabat utique, magno rei ſuæ emolumento futurum, ſi altero ſeptennio pro Lia ſervire, B cogeretur. Quare etſi genero injuriam ſibi factam objectanti patrium morem primo loco obtendit: *Non eſt*, ajebat, *in loco noſtro conſuetudinis*, *ut minorem ante majorem tradamus ad nuptias*: poſtmodum tamen veram cauſam aperuit: *Imple*, inquit, *convivium hujus*, *& dabo tibi etiam Rachel pro opere*, *quo ſerviturus es mihi aliis ſeptem annis*. Quæ Labani dicta quum incolæ loci, teſtes ab illo rogati, affirmarent, C Jacob tandem ceſſit, factumque ratum habuit. Accedebat præterea metus, ne repudiata Lia in paterna domo maneret; & proles apud Idololatras educata, patrio errore imbueretur. Ne ergo uxorem offenderet, prolemque perderet, Liam retinuit: ſed & Rachelem duxit, ne datam illi nuptiarum fidem mutaret: ſponſa enim viri, ipſius uxor eſt. Sed enimvero ſi Laban poſt traditam genero Rachelem cum D eodem egiſſet, ut pro Lia ſeptem adhuc annos ſerviret, exiſtimo eum nec ad ſeptem dierum laborem illius gratia inducendum fuiſſe: Liam enim Jacob non quærebat, non quod diſpliceret puellæ forma, ſed quia duarum uxorum maritum eſſe non placebat.

[illegible]

CAP. XXIX.

P*Eperit autem Lia Ruben, & Simeon, & Levi, & Judam, ceſſavitque parere. Rachel autem ſterilis erat.* Sed quia intellexerat a E marito, Abrahamo orante pro Sara, & Iſaaco pro Rebecca, utramque præter naturæ modum fecunditatem impetraſſe, propriam ſterilitatem marito velut rem ipſius minus curanti attribuens, cum lacrymis nec ſine indignatione aliquando illum aggreſſa eſt: *Da mihi*, ajebat, *liberos*, *alioquin moriar*. Cui ſubiratus Jacob, eo quod dixiſſet: Da mihi liberos, quando minus F inepte dixiſſet: ora ut dentur mihi liberi, reſpondit: Patres & majores ſuos iſtuc qualecumque malum pia religione tuliſſe, nec a Deo medelam impetraſſe, niſi poſt magna vota & preces ad plurimos annos productas; Abraham quidem poſt centeſimum annum, Iſaac vero poſt vigeſimum.

Quamobrem Rachel cogitans, eo in negotio patientiam ſibi eſſe apprime neceſſa-

cessariam atque constantiam; nec enim tempus fixum certumque designabatur, marito respondit. *Ingredere ad ancillam meam, ut pariat super genua mea & consolationem ex illa accipiam*. Restitit ille. At quum mulier instaret, perpetuoque virum pulsaret, Abrahæ exemplum etiam objiceret, qui Saræ uxoris amore precibusque inductus ancillam Hagar duxerat; & inde quereretur, se ab eo minus amari, qui ancillæ suæ nuptias respueret; Jacob uxoris importunitatem molestissimam non ferens, Balam externam fœminam duxit, qui Labani filiam ducturus venerat; utque ancillarum filii cum filiis liberarum ex æqua portione hæreditatem paternam participarent, ancillas cum liberis sociavit.

Quum autem Bala Dan, & Nephtali peperisset; Lia, quæ parere desierat, maritum flagitare cœpit, ut suam pariter ancillam sibi matrimonio copularet: Repulsa a Jacob quod plurium filiorum jam mater effecta esset, nullatenus acquievit. Nec enim sibi ferendum esse ajebat, ancillam suam Rachelis ancillæ subesse: nec sibi Rachelis servam comparem fieri, nisi perinde ancilla sua sorori conjuga fieret. Jacob, ne Liam contristaret, utve discordiarum semina extingueret, pacemque domesticam firmaret, Zelpham duxit, ex qua Gad & Aser suscepit.

Accidit interea, ut Ruben mandragoras ex agro matri Liæ deferret. Mandragora fruticis genus est, poma malis similia ferens, odorata, & esculenta. Hoc munere illa sibi Jacob ad noctem conduxit, lætitiam fide condiens. *Et exaudivit*, subdit scriptura, *Deus preces ejus, concepitque & peperit Issachar, & ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo*. Si porro Deus Jacobi cum Zelpha conjugium non probasset, nullum utique præmium Liæ pro Zelpha reddidisset. Concepit itaque Lia, & peperit eo anno Issachar, deinceps Zabulon, ac Dinam. *Recordatus quoque est Deus Rachel, & peperit Joseph: dixitque. Didici, quia Deus, & non vir meus incrementum dabit mihi*.

Post hæc Jacob a Labano petere institit, ut sibi liberos, & uxores, pro quibus operam suam illi præstiterat, redderet, & abeundi potestatem faceret. Laban non quod generum amaret, imo quia suis ipse commodis, rebus aliorum neglectis, impense studeret, respondit: *Experimento didici, quod Deus benedixerit mihi propter te*. Ergo quamcumque pro servitio tuo mercedem ipse taxaveris, libenter

[illegible]

[illegible]

A ter reddam. Labano assensus est Jacob, quia necdum a Deo illi abeundi venia concessa fuerat. Sed enimvero Deus, qui Jacobo affirmaverat, *ego descendam tecum, & reducam te*, prospiciens, mercedem a Labano minime solutum iri, ejusdem pecoribus Jacob locupletavit, excogitato consilio, quo Laban jure offendi minime posset. Dum enim ipse varios aditus ad suum compendium tentat, fie- B bat, ut ipsomet disponente, res genero bene cederet, Deo mox multiplicante oves varias, & maculosas, si quidem ille pretium hujusmodi pecoris Jacobo statuisset. Quo etiam admonebatur huic Deum impense favere, atque adeo velle, ut ab ejusdem injustissima vexatione desisteret.

CAP. XXX

SEd postquam filii Laban patris imbuti nequitia, contra Jacob insurrexere, C affirmantes, illum, a quo ipsos magnis divitiis auctos fuisse plane constabat, ex paterna substantia luculentum sibi patrimonium comparasse; & ipse Laban, qui pridem ingenue fassus fuerat, se ab experto nosse, Deum rebus suis in gratiam Jacob benedixisse; erga eundem cum animo vultum quoque mutavit, totusque desiit esse, qui fuerat. Tum vero Deus Jacobo apparuit, & reditum quantocyus D maturare jussit. *Revertere*, inquit, *ad terram patrum tuorum*. Quamobrem accitis ad se uxoribus Lia, & Rachele, factas sibi a Labano injurias ipsis exposuit, recessum suasit. Vester, ajebat, pater, cui cum omni contentione, summaque fide hactenus inservii, meam mercedem mutavit decies: Quod tamen mihi minime obfuit, ipsius consilia dissipante Deo, qnodque mihi moliebatur, malum in ca- E put ejus revolvente: nam quando mihi pro mea mercede pecora varia, & maculosa se daturum paciscebatur, sperans pecoris ejusmodi proventum exiguum fore, tum vero mihi idem copiosissimus obveniebat: sique, mutato consilio, pecora alba, aut nigra mihi anteponebat, ratus, foeturam plerumque non eum colorem laturam, tunc contrarium accidebat; plurimique pacti coloris agni nascebantur. F Tum Rachel, & Lia: *non est*, ajunt, *pars nobis in domo patris nostri*. Omnia quippe bona sua inter mares divisit; nos autem foeminas vendidit, pretium ipse consumpsit in usus suos, tuas interim vires attrivit assiduo quatuordecim annorum labore, quanto nimirum nostras tibi nuptias pactus fuerat. Quaecumque igitur tibi

tibi a Deo præcepta sunt, exequere; paratissimas nos habeto; sequemur, quando te Dominus in patriam redire jusserit.

Discessere, rapuitque Jacob cor Laban, Rachel Deos. Jamque Galaaditidis juga tenebant, quum Laban magnis itineribus eadem via eos insequutus, in conspectum venit. *Apparuit autem Dominus Laban in somnis dicens: cave ne quid asperum loquaris adversus Jacob, sive magnum, sive modicum*. Animi tamen ille sui acerbitatem omnino dissimulare non potuit: Sed, *valet manus mea*, ait, *reddere vobis malum*: sed Deus patrum vestrorum mihi, ne hoc auderem, heri vespere cavit. Tu vero filias meas furatus, atque furum in morem repente dilapsus, cur Deos quoque meos abstulisti? Hic porro patuit, Rachelem haud immerito a Jacob adamatam fuisse, & cæteris uxoribus antelatam; siquidem & illa Deum, quem ipse colebat, patriis Diis antehabuit, eique unice adhæsit: illos porro dum furatur, violat, testaturque vanas esse imagines, & inutile paternæ domus impedimentum. Sed & quum a patre eo loci quærerentur, illos in sellam sibi composuit, inseditque, eo etiam die, quo menstruo profluvio laborabat.

At non eadem mens Labano fuit, cui etsi Deus verus hesterno vespere se spectabilem præbuisset, postero nihilominus mane falsos Deos, quos hactenus coluerat, repoposcit: quære antea palam fassus fuerat negavit, beneficia sibi in gratiam Jacob a Deo collata, auctamque ejusdem intuitu rem familiarem: jactavitque, sua esse pecora, & omnia, quæcumque in proprio censu Jacob in præsenti numerabat. *Nihilominus*, ait, *Veni, & ineamus fœdus, ut sit in testimonium inter te, & me*. Novo fœdere concordia firmanda erat post natum dissidium, & plurimam altercationem. Et Jacob quidem in Labanum invectus acerbissime, demum adjecit: *afflictionem meam, & laborem manuum mearum respexit Deus*, qui hesterno vespere apparuit tibi. Laban contra, pecora, ajebat, mea sunt, & quodcumque vides, meum est. Lis tandem dirempta est, decretumque, ut præteriti temporis acta omnia cassa, missaque fierent. Tum vero Jacob sublatum, quem sors obtulit, lapidem in medio statuit; illico socii, suo quisque aggesto lapide, ingentem tumulum excitarunt. Ut agger ille a pluribus excitatus plures item testes repræsentaret, qui una voce arguerent

[illegible]

[illegible]

A rent eos, qui pactum, præsente tanta testium multitudine, firmatum violasset. Quare Jacob subjecit: *Ecce testis erit tumulus iste*. Quasi diceret: accipe totidem testes, quot hunc lapidum acervum collegere: isti nimirum reum redarguent, qui pactis conventis non steterit, aut quovis insultu eadem violaverit. Ut autem planius constaret, aggerem illum ad sanciendam pactorum fidem constructum fuisse, B utque fidem illam sibi inposterum sancte servandam esse ambo intelligerent, jurarunt pariter ambo, Jacob quidem timorem patris sui Isaac; Laban autem: *Deus*, inquit, *Abraham*, *& Deus Nachor judicent inter nos*.

CAP. XXXI.

Jacob a Labano relictus, ab Angelis exceptus est: quo signo Deus Jacob docebat suam circa ipsum providentiam, ac si diceret: si Laban mihi ad vesperam monenti nequaquam auscultasset, ab Ange- C lis, quos ad tuam custodiam excubare vides, ipse cum universo suo comitatu postero mane trucidatus fuisset. Jacob itaque sicut quum Mesopotamiam peteret, Angelos sibi præsentes aspexit; ita inde recedens, eosdem sibi adesse, manifesta visione doctus est, ut disceret, quam oppido verum esset, quod Deus illi olim prædixerat: *Ego descendam tecum*, *& reducam te*. D Præterea ne Jacob Esau fratris occursu consternaretur, Angelorum castra ipsi ostensa sunt, ut intelligeret, plures stare pro ipso, quam pro Esau contra ipsum. Suos nihilominus ad illum nuncios misit, qui moram suam excusarent. At quum postmodum nunciatum est, fratrem cum quadringentis viris prope esse venturum, expavit Jacob; & quamquam ad Deum continuo profugisset, orans, ut memor pacti, quod peten- E ti Mesopotamiam dixerat, sibi in præsenti discrimine adesset; nihilominus munera ad Esau præmisit, quasi injuriam deprecaturus, quod jura primigenia olim fratri abstulisset.

Sub ejus diei noctem apparuit Jacobo Angelus, & luctabatur cum eo. Vicit autem Angelum, & ab Angelo victus est, ut infirmitatem suam hinc disceret, illinc vires & robur; fortis enim simul & infir- F mus in hoc facto visus est: infirmus quidem, quia ad Angeli attactum illius coxa sua sede disjecta est: fortis, quia Angelus missionem ab illo petiit. Utque Jacob sciret, quantum temporis ambos ea luctа tenuisset, subdidit Angelus: *Jam ascendit aurora*. Poposcit Jacob benedictionem, ut ostenderet, pugnam non ex odio, sed

ſed ex amore natam: dedit Angelus, ut declararet ſe minime eo offenſum, quod ſecum certare Jacob auſus fuiſſet, ex argilla & luto fictus homo.

Præſtitit ergo Deus omnia quæ Jacobo pollicitus fuerat. Nam & illum ad opulentiam non mediocrem provexit, & domo abeuntem comitatus eſt, & redeunti adfuit, viam munivit, viaticum ſubminiſtravit, & a Labani furore & ab Eſau inſidiis eundem eripuit. Quod tamen Dei beneficium minus expendiſſe viſus eſt Jacob, quando decimas, quas extorris & profugus Deo deſponderat, & modo ſolvere voti religione cogebatur, ſubito metu perturbatus collegit, & Eſau obviam venienti tranſmiſit. Quamobrem eo, quem dixi, conflictu, immutatum ſenſit femur ſuum, qui ſuum verbum mutavit. Adeo ut victor ille Angeli, qui totus ignis eſt, modo claudus debilitatuſque, citra dolorem tamen, coram Eſau vix conſiſteret.

CAP. XXXIV.

HAc via Jacob Chananitidem ingreſſus eſt, habitavitque juxta oppidum Sichem. Inibi accidit, ut Dinam ipſius filiam deperiret Sichem filius Hemor, factaque manu raptam virginem opprimeret. Quumque inde puellæ conjugium optaret ac peteret, rogati fratres, diſſimulato ſororis probro, callide reſponderunt, eas ſibi nuptias placere, ſi modo Sichimitæ Circumciſionis ritum ſuſciperent: quod quum illi feciſſent, fratres eo die, quo acerbiſſimus vulneris dolor eſſe ſolet, patre ignaro, nec opinante, & inſcio, oppidum invadunt, cæſiſque maribus, feminas abducunt, cætera diripiunt.

CAP. XXXV.

P*Oſt hæc locutus eſt Deus ad Jacob: ſurge & aſcende Bethel, facque altare Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſau fratrem tuum. Jacob vero dixit ad filios ſuos abjicite Deos alienos*, quos tuliſtis de Sichem. *dederunt ei ſculplilia, & inaures aureas, quæ erant in auribus ſimulacrorum ſuorum, eaque ſubter Terebinthum infoderunt*, ne poſteris ſuis fierent in ſcandalum. *Venit etiam Jacob ad Iſaac patrem ſuum in Hebron*. Et poſt tres & viginti annos *mortuus eſt Iſaac centum octoginta annorum, & ſepelierunt eum Jacob, & Eſau filii ſui*.

CAP. XXXVII.

INter hæc Joſeph cum filiis concubinarum, pecorum curam ſuſcepit, quorum perverſos mores quum ferre non poſſet, detulit

[illegible]

A tulit patri: nec mirum si illorum odium contraxit, quorum crimina propalavit. In ejusmodi curam dum incumbit, vidit somnia duo, alterum manipulorum, alterum solis & lunæ atque undecim stellarum: visusque sibi est videre ad pedes suos illa accidere adorantium in morem: quæ duo insomnia fratrum invidiam vehementius concitarunt. Non defuere tamen, qui illa riderent: scilicet Rachel, ajebant, quæ jamdudum rebus humanis decessit, recuperata B vitæ usura, filium adorabit. Sed quum dictum sit, virum & uxorem unum corpus esse; quandoquidem Jacob, qui per solem designabatur, Josephi sceptrum adoravit, Rachel, quam luna significabat, eundem adorasse recte dicitur, in suo scilicet conjuge; etsi per se ipsam hoc minime præstare potuerit.

Eo adhuc vigente odio fratrum adver- C sus Joseph, a patre missus est ad greges, ut de illorum salute nuncium referret: remisere fratres tunicam cruore infectam, quæ Josephi casum patri nunciaret. Jam ut facti atrocitatem indignitatemque occultarent, fratrem, quem cisterna clausum tenebant in deserto, extinctum lugebant domi; quem seminudum Arabibus vendere cogitabant, Chananæis discerptum a feris simulata tristitia vultus, menticban- D tur; quem ferreis catenis vinctum pedes manusque, negociatoribus tandem dederant, in alienas terras procul abducendum, in domestico otio lugubri lamentatione prosequebantur. Sic Joseph fratrum astu circumventus, a paterna domo raptus est, & in Ægyptum deportatus, ibique iterum venditus, paucos intra dies dominum bis mutavit.

[illegible]

CAP. XXXVIII.

E SUb idem tempus Judas tres suscepit filios, Her, Onan & Selam: Her Thamarem uxorem sibi adjunxit. *Fuitque Her nequam in conspectu Domini*, idest, a cultu Dei & pura religione remotus: quam ob causam acerba morte a Deo sublatus est. Viduam duxit Onan, quia amabat: quod tamen priorem ejus maritum odisset, semen eidem suscitare nolebat, detestabili etiam ad id usus artificio: & quoniam F hunc similis perinde pœna sustulerat, inde patri injecta suspicio est, ne forte ob crimen uxoris conjuges ambo periissent. Idcirco Thamar in paternam domum secedere jussa est, & futuras cum Sela, tunc temporis impubere, nuptias sperare. Sed quum, eo adulto, conjugioque jam maturo, Judas nurum revocare domum, detrectaret,

ctaret, Thamar factum ægerrime tulit. Non ego quidem, ajebat, nuptarum oblectamenta consector, sed vero benedictionem cupio Israëlitis insitam. Jam quid agam, ut hæc duo ipsis persuadeam? & continentiam quidem me amare in promptu est ostendere, recusato cum Sela conjugio; non ita fidem. Quin igitur nuptias cum illius parente pertentem? quando istæ quidem thesaurum mihi, ut spero, dabunt, præsentis inopiæ damna reparaturum; subsequens vero celibatus me in ejusmodi connubio voluptatem neutiquam aucupatam fuisse, monstrabit. Ista cogitantem subiit metus, ne si socer fraudem deprehendisset, ipsa meditati criminis pœnam daret: præsertim quum non ignoraret, illum occasionem quoquo versu captare, vindicandæ mortis duorum filiorum, quos ab ipsa interfectos suspicabatur. Interim venit in mentem antiqui illius Eliezeris consilium; arripuit illico, Deumque rogare instituit, ut exitum sibi ab iis tricis expediret, exhibito quod petebat, signo: Summe Deus, ait, equidem credo me in hoc negotio nullo carnalis desiderii crimine sapientiæ tuæ judicio damnari. Te siquidem testem appello me in Hebræorum populo nihil appetere, præter sacramentum ipsis creditum. Dum istuc persequor, viam inivi, quam tum vero majestati tuæ placere intelligam, si, quod supplex oro, in proximo congressu socero meo alia videar, tantum ne peream; sique rursum in ore ejus inveniatur verbum fornicationis. Hoc nempe signo doceri rogo, tuo consilio definitum esse, ut per filiam incircumcisorum, concessus populo circumciso thesaurus posteritati transmittatur. Sic igitur precor socero meo, ut simul videat me, simul mei corporis sibi copiam fieri petat.

Sic precata, locum rei gerendæ opportunum petiit; quo quum Judas venisset, meretricem ibidem sedere ratus, præter morem ad eam divertit, (Thamaris scilicet oratio hominem eo deflexit.) Femina subito soceri occursu exterrita, obduxit ori velum; reduxit tamen, simul ut audiit dicentem verba signi, quod ipsa paulo ante poposcerat, agnovitque Deum velle quod agitabat. Quid enim? etiam pretium a domino thesauri audacter expetiit. Dedit ille baculum, anulum, & velum. Sustulit mulier, domumque a congressu reversa, in arca reposuit, tres olim habitura testes Tertii (Mediatoris) qui per eam a progenie in progeniem traducebatur. Tri-

[illegible]

[illegible]

A Tribus post mensibus nunciatur Judæ, Thamarem ex stupro uterum gestare. Is porro quum habita inquisitione, nulla ratione factum excusari posse crederet, nurum flammis adjudicavit. Hæc in urbe Hebron agebantur: re comperta, convenere cives, euntem ad rogum prosequuturi. Interim Thamar certos facti indices protulit, cognatos rogavit, ut socero repræsentarent, suoque nomine hæc verba referrent: *De viro, cujus hæc sunt, concepi.* B Judas arrhas, quas dederat, contemplatus, mulieris fidem demiratus est: porrexit nempe simul manum, ut pretium, quod pro incesto solverat, reciperet, simul animum ad solutionis tempus provocavit; victusque conscientia facti, ait: *justior illa me est*: quasi diceret: Nurus mea eo justior me est, quo nequiores fuere ambo filii mei, atque egomet, qui post promissas viduæ tertias cum altero filio Sela C nuptias, ob suspicionem temere & injuriose susceptam, datam fefelli fidem. Sic nimirum Judas, qui nurum debitas nuptias petentem injuste repulerat, postmodum meretricantem absolvit. Post hæc etiam revocavit: scilicet, quam post initas cum duobus filiis nuptias viduam ejecerat, postquam geminam prolem ab eadem tulit, domum recepit; thalamo tamen exclusit, D quæ ex duplici conjugio nurus erat: neque porro alteram illi superinduxit, quia duos ex illa liberos susceperat.

[illegible]

CAP. XXXIX.

Joseph ductus est in Ægyptum a Madianitis. Emitque eum Putiphar Eunuchus princeps satellitum Pharaonis. Emtus emtorem continuo ditavit, aucta mirum in modum re ejus familiari; ejusmodi scilicet gratiam Josephi pater hospiti suo Labano olim E retulerat. Hic hera adolescentis amore insanire cœpit. Postquam igitur illecebras & lenocinia minus procedere sensit, nec ullo artificio expugnari posse juvenem, ut in stuprum consentiret; data occasione in thalamum fraudulenter induxit, ut cogeret. Elusit tamen adolescens astum celeri fuga, relicto pallio in manu prensantis feminæ. Tum vero illa simul præsente exasperata contemtu, simul verita, ne, si hoc F factum brevi efflueret, servorum ipsa ludibrium & fabula fieret; continuo vociferari cœpit. Accurrere domestici, testes futuri, non eorum, quæ impudica mulier facere volebat, sed quæ dicere cogitabat.

Cæterum Joseph, etsi per eam occasionem fugere, & in paternam domum se recipere forte potuisset; fugam tamen non

non probavit, qua imminentem calamitatem facile avertisset; sed jactationem illam patienter ferre statuit, inspecturus, quem tandem exitum habitura forent somnia, quæ viderat. Herus domum reversus, uxoris adversus Joseph querimonias audiit: aderant testes, domestici omnes, quin & Josephi vestis, in interiore thalamo reperta, eundem delati criminis reum clamare videbatur. Sic innocens Joseph ficta causa oppressus, confestim ad carcerem rapitur sine pallio, qui sine tunica in cisternam alias detrusus fuerat in deserto.

CAP. XL.

At enimvero qui quum in Putipharis domo serviret, servorum delicium fuerat, in publicam custodiam deportatus, magnum sociis calamitatis levamentum attulit. Ibidem duobus Pharaonis servis somnia exposuit, prædicens, alterum quidem e carcere ad crucem brevi ducendum; alterum contra palatio officioque suo restituendum, & Pharaoni calicem pro more porrecturum. Pincernarum princeps hic erat, quem proinde rogare instititit, ut interpretis sui olim memor, ejusdem negotium, ea qua valebat apud regem gratia, transigeret. Quas quidem preces potissimam causam fuisse reor, ut apud Pincernam beneficii & benefactoris memoria intercideret ad biennium.

CAP. XLI.

Et factum est post duos annos, & Pharao vidit somnium. Duo fuere Pharaonis somnia, primum spicarum, alterum vaccarum: & in singulis duplex species: & eorum quidem interpretamentum non fuisset difficile, si in gratiam Josephi Ægyptiis sapientibus Dei nutu occultum non fuisset. Cæteris itaque in hac aqua hærentibus, pincerna Pharaoni post biennium suggessit, ut Josephum e carcere educeret. Per hunc modum vinculis exemtus Joseph, conditionem habitumque mutavit. Capillum, quem mœror summiserat, totondit lætitia, & sordidum amictum, quem luctus induxerat, gaudium decussit.

Confestim ad Pharaonem deducitur. Hic Regem sua somnia narrantem audiit, eorundem præsagitionem edocuit, metuque futuræ famis trepidum opportuno consilio juvit. *Provideat*, ait, *Pharao virum sapientem, & præficiat universæ terræ Ægypti, ut frumenta fertilitatis tempore proventura pro annis sterilitatis mox sequuturis recondat, ne consumatur Ægyptus fame.* Illud autem *provideat Pharao virum*, de se dicebat, nomen tamen modeste reticuit. Nec tamen alium

A B C D E F

A alium, cui officium committeretur, designavit, ut qui bene noverat, alterum frustra quæsitum iri, cui vires ad avertendam tantam calamitatem sufficerent pares.

Magnam Joseph ex hoc facto sapientiæ existimationem apud Regem adeptus est, tum propter insomniorum interpretationem, tum propter consilii opportunitatem. Idcirco nec Pharao dubitavit, ut Interpretem universæ ditioni suæ præficeret; B & anulum insuper, quo regias gazas obsignari mos erat, eidem crederet. Anulus igitur, quem nulli Ægyptio gestare hactenus permissum fuerat, toto inspectante populo, Rex Josepho cessit, ejusque digito inseruit: summamque potestatem simul cum his insignibus illi concessam declaravit. *Ego Pharao*, inquit, *præcepi: absque tuo imperio non movebit quisquam manum, aut pedem in tota terra Ægypti*. Nec dubium, C quin Rex, qui generali lege universos Josepho parere volebat, militiæ etiam duces, & regni proceres ejusdem imperio subjectos esse voluerit.

Aderat Josephi herus, rerum, quæ gerebantur, testis, stupuitque, servum repente provectum ad dignitatem regali quidem solii majestate minorem, auctoritate tamen & potestate parem. Illico tantæ rei nuncius domum ad uxorem revolat, ea scilicet D festinatione, qua uxor ad ipsum alias procurrerat innoxium juvenem delatura: ingressusque domum, & recta conjugem petens: Joseph, ait, ille tuus quondam servus, noster nunc factus est dominus: ille, inquam, quem pridem nos pallio exuimus, a Pharaone purpura decoratus est: quique nostris ædibus ejectus hactenus in carcere jacuit, regio jam curru vehitur: & quem catena strinxit ferrea, aureus ornat tor-E ques. Quid jam? Ego ne Josepho appaream, ad quem nec oculos quidem attollere ausim? Sine causa times, respondit illa, quem non læseris. Infamiæ notam, quam Joseph domo nostra rejectus, sustinuit, jure ne, an injuria inusta sibi fuerit, ipsemet novit optime, sed & qualis qualis ea fuerit, hanc a me sola profectam. Perge modo: dissimulatoque metu Josephi cur-F rum assequere; ovantemque deducito cum cæteris satrapis; ne absens de ejus fortuna tristari videaris. Interim disce, Joseph non eum esse, quem reris, scelestum & improbum servum. Vera narro, etsi dictis contraria meis. Josephum ipsa amabam; accusavi tamen, quum amarem: quumque suo fulgore me cœcasset, oculis capta meis, in ejus pallium invasi. Justus ille est: non ergo tibi

tibi, quam non fecisti, injuriam referet, sed mihi. Quin imo nec mihi quidem, si modo recogitet, eam quam narrabas felicitatem, nunquam sibi obventuram fuisse, si in carcerem conjectus non fuisset, ficta causa oppressus: inde enim Pharaoni innotuit, & vocatus in aulam, ejus somnia est interpretatus. Nos igitur ut ut Josepho nil profuerimus, aditum certe ad hanc gloriæ & fortunæ altitudinem patefecimus; quandoquidem acceptæ injuriæ occasione adeptus est summam potestatem, & secundum a Rege locum.

Putiphar uxoris probavit consilium: & licet longe aliud animo agitaret, gratulantis vultu ad Josephi currum se adjunxit: nec idcirco ullam a Joseph molestiam usquam tulit. Quum enim Joseph rerum suarum cursus & exitus perpetuo circumspiceret, facile intellexerat a Deo dispositum fuisse, ut ab hero in carcerem detruderetur, quo ex humili loco mox eductum in throno Pharaonis collocaret: quemadmodum olim permiserat fratribus in deserto, ut fratrem in cisternam mitterent, indeque catenatum abigerent in Ægyptum.

Jamque inierant fertilitatis anni, & futuræ famis præscius Joseph frumenta pro ratione annui proventus singularum urbium ad publica horrea undique comportari curaverat; quum evoluto fertilitatis septennio, subiit prævisa famis tempestas. Apparuit per eam occasionem Josephi in orphanos & viduas misericordia, quæ sane omnes Ægypti pauperes sollicitudine curaque quotidiani victus exemit. Et si quidem ea fames in solam Ægyptum incubuisset, timenda utique non fuisset, prostante annona, quam Joseph large & copiose comparaverat. Verum quia similis calamitas finitimas terras pariter invaserat, cogebatque ab Ægypto alimenta petere; idcirco frumenta ipsis etiam indigenis cariore pretio direndanda fuerunt. Generalem autem ubique famem fuisse, indicant illa verba: *Omnis quoque terra veniebat in Ægyptum, ut emerent a Joseph: invaluerat enim fames per universam terram.*

CAP. XLII.

Quum igitur eadem annonæ difficultas Jacobi etiam familiam premeret, convocatos ad se filios hortabatur, ut posito metu frumenta sibi ex Ægypto prospicerent. *Audivi*, inquit, *quod triticum venundetur in terra Ægypti: descendite & emite nobis, ut vivamus & non moriamur*. Et hæc quidem patris adhortatio indicat filiorum in

in præsenti discrimine trepidationem. Illud vero: *audivi, quod triticum venundetur in Ægypto*, innuit nullam alibi extra Ægyptum tritici copiam fuisse: & quod sequitur: *Emite nobis, ut vivamus & non moriamur*, Jacobi familiam, & reliquos Chananæos magna annonæ penuria laborasse ostendit, adeo ut de salute propemodum cuncti desperarent.

Ea causa filios Jacob impulit, ut profectionem in Ægyptum maturarent. Quo quum venissent, & ad Josephi conspectum fuissent admissi, prostrato humi corpore, fratrem venerabundi adorarunt. Agnovit ille suos, eosque tandem advenisse gavisus est: vehementer enim diuque sollicitum ejus animum tenuerat eorumdem periculum; quum nullus dubitaret, quin Israëlitæ, perinde ut cæteri Chananæi, velut in sartagine positi, fame torrerentur. Hoc interim personam dissimulans, atroci oratione fratres aggreditur. *Exploratores*, inquit, *vos estis*. Cui fratres: Atqui nec Ægyptiorum linguam callemus: proinde nec possumus eorum consilia ex insidiis clepere, aut eadem coram confabulando, ut fit, per ambages & verborum tormenta exprimere; nec nostram sortem patriamve fictis fabulis ementiri: præsertim quando vel ipsæ, quas adveximus merces, testantur, Chananitidis accolas nos esse, & inde venisse. Quid? nec credibile est, tot capita, nam fratres sumus duodecim, in hanc conspirasse nequitiam, nec vero ulli nostrum displicuisse notam, & nomen exploratoris. Jam nec huc clanculum adrepsimus; aut latibula statim invasimus; recta scilicet ad aulam venimus; admissi, vultu sereno animi securitatem indicante, coram te constitimus. Quid igitur nos tibi exploratores finxit homines lingua, moribus, cultuque corporis ad concipiendam hujusmodi fraudem ineptissimos? Quamquam generis nostri nobilitas ubique notos & claros fecit, facit & numerus, etsi hic non omnes adsumus: alterum namque fratrem domi apud communem parentem reliquimus, alter decessit.

Joseph nihilominus in eodem gradu constantiæ perstitit, maluitque suorum somniorum exitum opperiri. Nec enim hucusque impleta fuerant. Undecim namque stellas prosterni ad suos pedes alias somniarat, videbatque ex præsenti numero, eventum præsagio minime respondere. Proinde adhuc dissimulandum existimavit, ne forte si fratribus intempestive se proderet, ipse suorum somniorum exitum pervertere velle, vide-

deretur. Quare iterum fratres severe interpellat: At vos, ait, esse fratres, ita demum persuadebitis, si fratrem natu minimum mihi adduxeritis. Continuo omnes in carcerem duci jubet, & sub custodia detineri ad triduum, ut nimirum vel primoribus labiis gustarent dolorem illius, qui ejusmodi incommodum plures per annos toleraverat, & quidem ipsorummet culpa.

Interea Joseph dum visa somnia secum ipse expendit, animadvertit, somniasse sebis solummodo a fratribus adoratum, semel sub specie manipulorum, & iterum sub imagine stellarum; indeque conjectabat, post secundam adorationem instare tempus, quo fratribus se ipsum manifestare oporteret. Hæc secum animo volutans, interim, dimissis reliquis, Simeonem in vinculis retineri jussit; tum quia ab eo rescire volebat, qua tandem ratione fratres Jacobo in causa Joseph satisfecissent; tum quia prospiciebat plurimum parenti negotii facturos Simeonis filios, & uxorem; ut quantocyus Beniaminum fratrem ad se mitteret. Fortasse etiam Simeon asperius quam cæteri, in Joseph invectus fuerat, quum a fratribus vinciretur, & postmodum Ismaëlitis venderetur.

Nec tamen inde suspicari fas est, Joseph acceptam injuriam referre voluisse, quem certum est, post sui manifestationem singulos fratres cum magna amoris significatione deosculatum fuisse. Sed credendum est, Joseph, præcipuo sceleris auctore in ea, quæ alteri procuraverat, vincula, conjecto, fratres admonere voluisse, justam utique nunc pœnam ipsis pro inexcusabili crimine reponi. Quod & ipsi agnovere, & fassi sunt: *Merito hæc patimur*, ajebant: *videntes enim angustias fratris nostri, dum deprecaretur nos, & non misertis sumus ipsius.*

Audiit Joseph Ruben ista submurmurantem cum fratribus, ipsisque acerbe retexentem, quæ ipsemet egerat pro Joseph, ne is in cisternam mitteretur; nec oppido lacrymas tenere potuit, non quod doleret præteriti temporis ærumnas, sed quia cogitabat, ex quali statu, quam miserabili, quam dolendo, ad qualem felicitatem Dei beneficio provectus fuisset.

Fratres, promisso vadimonio, nec tamen sine viatico dimissi, rediere domum, patrique præteriti itineris exitum exposuerunt, & adversos casus: quomodo ab Ægyptiis male accepti fuerant, & infami exploratorum nota inusti, extremum supplicium vix effugerant: concessum quidem reditum fuisse, sed non nisi

[illegible]

A nisi post facta pro Benjamino comparendi sistendique se apud præsidem sponsione. Hæc quidam narrabant: reliqui onera excutere aggressi, stupent singulis repositam in summo sacco pecuniam, Ægyptiis frumentariis dudum numeratam. Indoluit pater filiorum infortunio, magisque Simeonis periculo, quem in vinculis relictum fratres nunciabant. Flagitantibus tamen filiis & quotidie urgentibus, ut B Benjaminum dimitteret, constanter negavit se facturum, veritus, ne, qui fratrem sustulerat casus, hunc etiam opprimeret.

CAP. XLIII.

SEd enimvero quum absumto omni commeatu, fame universi premerentur, iterum patrem solicitare cœperunt, ut Benjaminum abire permitteret. Miserere, ajebant, Simeonis, quem filii & uxor perinde atque extinctum miserabi- C liter lugent. Næ tua tanti non est, filii natu minimi conspectu ad paucos dies privari, quin pluris æstimandum sit, filios parente, conjugem marito perpetuo orbari. Precibus tandem fatigatus senex, imo fame compulsus, Benjaminum ægre quidem, dimisit tamen, & fratres sequi jussit. Et quamvis abeuntibus cum paterno affectu bona precaretur, se tamen in eas angustias ab ipsis redactum conquestus D est. Rachelem, ajebat, jamdiu mors sustulit; sublata matre, nunc filiis culpa vestra carere cogor. Attamen justum patris dolorem lenire conatus est Judas, Benjamini dimissionem sua fide jubens: *Nisi reduxero*, inquit, *Benjamin*, *& reddidero eum tibi*, *ero peccati reus in te omni tempore*.

In Ægyptum profecturi, dona ferenda præfecto compararunt, stacten, terebinthum, & alias regionis rariores mer- E ces. Mox viam ingressi, Ægyptum post dies tenuerunt, & ex constituto vadimonio apud Josephum comparuere. Tum ille œconomo mandat, ut hospites domum cum honore introducat. Extemplo servi jumenta exonerare, oneraque & sarcinas comportare cœperunt. Ea novitate exterriti fratres, periimus, ajunt, periitque Benjamin patri, nec reditus nobis spes ulla superest, aut paternam revisendi domum. Patuit mo- F do fraus, pecuniis in summo sacco repositis occultata. Hoc nempe agebatur, ut si forte intentatam de exploratione calumniam depulissemus, succederet alterum ex capite furti crimen, ob quod perpetuæ servituti adjudicandi essemus. Quod reliquum est, œconomus præoccupandus est, ipsique recepta pecunia rependenda, antequam furto

[illegible]

furto ablatam a nobis fuiſſe criminetur. Sic fiet, ut ab explorationis ſuſpicione Benjamin, præſtito vadimonio, nos liberet, & ſpontanea pecuniæ delatio a furti crimine abſolvat.

Ergo œconomum petunt, &, Hem, ajunt, adſumus, qui pridem huc appulimus, frumenta mercaturi; quo in negotio quum pecunia a nobis numerata imprudenti errore in noſtris ſaccis repoſita fuerit, eandem tibi integra fide redhibemus: non enim juſtum eſt, merces ſibi habere, ſimul & pretium. At œconomus hoſpites ſuos metu tantum non exanimatos animadvertens, meliora ſperare juſſit. *Pax*, inquit, *vobiſcum*, *nolite timere*: nec enim ob pecuniam, quam numeratam habeo, vos huc duximus, ſed veſtra comperta fide, veſtra etiam conſuetudine frui optamus. Non ergo furti, quod non feciſtis, cauſam dicturi, has ædes intratis, ſed Præfecti hoſpites hodie futuri, & convivæ: Herum ſcilicet habemus integerrimum, & ſuum cuique jus tribuere ſolitum: ſuo igitur more utitur, quum factarum vobis altera vice injuriarum memoriam abolendi cauſa, hunc in præſenti honorem rependit.

Interim advenit Joſeph: continuo fratres, quæ advexerant, dona proferunt: ſimul venerabundi procumbunt ad pedes pavidi, trementeſque: quo tamen pavore tantiſper eos relevavit Joſeph, dum clementer reſalutat; mox etiam plane liberavit, dum comiter alloquitur, ſciſcitatur de patris ſalute, rogans an ſoſpes, an bene habeat: mox Benjaminum intuitus, percontatur, num ipſorum is quoque frater? Continuo illi benedixit: *Deus*, inquit, *miſereatur tui fili mi*. Hæc & hujuſmodi verba Joſeph ad fratres faciebat Ægyptiaco ſermone, quæ per interpretem ipſis ſignificata, omnem, ut dixi, metum ſuſtulerunt.

Commota ſunt autem viſcera Joſeph ſuper fratre ſuo, & cubiculum ingreſſus flevit, quum lætiſſimum convivium cunctis inſtrueret. Aderat hora prandii; accubuere, Joſeph ſolus, Ægyptii ſuis ſinguli locis, ſeorſim ab utriſque fratres, quibus Joſeph, perinde ac ſi per ſcyphum ex arte divinaret, ſingulorum ætatem, locum diſtinxit, accubitum ordinatim diſtribuit, ut natu minores majoribus gradatim ſuccederent.

Interim mirari ſubit, quomodo Joſeph a fratribus agnitus non fuerit, neque ex eo, quod & viaticum abeuntibus ſubminiſtraverat, & ſoluta frumenti pretia redhibuerat; neque ex eo, quod Simeonem vinciri, & Benjaminum adduci mandaverat; nec

[Syriac text illegible]

[illegible]

A nec quum de salute senis parentis sui tanta cum solicitudine quæritaret: neque occasione judicii, in quo apud ipsum Joseph impactum sibi crimen purgare compulsi fuerant: neque quum postmodum eos in proprias ædes honorifice exciperet, & Benjamino suavissime blandiretur: nec postremum, quum illorum nomina, velut vocabula sibi notissima, libere recitaret. Nam etsi ad summum illud honoris fastigium evectus, B statum mutaverat, & habitum, & acerba fere oratione, quasi indignabundus, & irato similis, ad eos utebatur; aspectus tamen & oris species, & lineamenta; somniorum præterea præsentem fortunam portendentium recens memoria, ad ejusdem agnitionem facile eos perduxissent, nisi Deus fratrem fratribus occultasset, ut ejus somnia in ipsismet impleret; qui idcirco fratrem vendiderant, ut divinarum prædictionum C eventum disturbarent.

[illegible]

CAP. XLIV.

Hunc in modum fratres a Joseph excepti, & lauto convivio recreati, quum se ad reditum accingerent, præcepit Joseph, ut pecunia pro frumenti pretio a fratribus numerata, singulis redhiberetur; occulte tamen, & in saccos clam ipsis illata: in sacco autem Benjamin scyphus etiam conderetur. Hujusce technæ plane ignari, D omnes abiere; quum œconomus citatis equis eos insequutus, inopinos occupat; vehementerque in eos invectus, omnia, quæ herus dictaverat, maledicta in eorum aures refudit.

Ea res perculit omnes ad stuporem usque; propria tamen innocentia freti: apud quemcumque, respondent, scyphus repertus fuerit, dispereat, quisquis ille est: nosque universos tum vero servos habeto. Ex- E templo jumenta exonerant, expediunt saccos, & excutiendos œconomo offerunt. Involat is primum in saccum Ruben, deinceps reliquos majorum fratrum explorat, labore sibi illisque molestissimo, perindeque inutili: quamobrem anxius mœstusque secum identidem obmurmurabat, certum eam ob causam sibi imminere exitium. Afflictum utique sublevare satagabant fratres: quare scyphum, ajunt, quem hic frustra quæras, F domi conditum fortasse reperies: inde igitur repetito. Nunc quod superest, juniorum saccos, si placet, excutito. Oeconomus quasi hominem pigeret istud petentibus negare, alterum adhuc saccum pertentat; statueratque, postremum, in quo scyphus positus fuerat, præterire, nisi Benjamin illum obtestari cœpisset, ut suum etiam

etiam saccum excuteret. Eo itaque manum perfunctorie quidem atque incuriose intulit, scyphumque haud dubie ipsum, quem quærebat, confestim extulit.

Attonitis hæsere viri animis, incerti quid in ancipiti negotio statuerent: & Benjaminum quidem crimine furti absolvi non posse videbant: scyphus enim in ejus sacco repertus, indidem palam extractus fuerat: sed nec eum damnari fas esse, clamabat pecunia, quam ignota manu in suis saccis semel & iterum repositam ipsimet repererant. Ergo inopinato subitoque casu perculsi, discissis vestibus, obortis lacrymis, conciti procurrunt ad ædes, unde summa cum animi lætitia dudum discesserant. Quos tamen Joseph intuitus, simul Ægyptiacam iram induit, trucique oratione magis perculit. Quid istuc, ait, quod a vobis factum? Hoccine est, quod dudum jactabatis, vobis nullum in præsenti negociatione culpæ hærere crimen? Et vestram quidem nos etiam innocentiam prædicavimus, quum amice honorificeque acceptos ad epulas etiam socios haberemus: nunc illud est, quod omnes Ægyptii vos sannis petent: non enim ignorant, furatos vos fuisse scyphum, ex quo auguria capere solent; nec utique vos latebat, virum in hac summa dignitate constitutum augurali scientia præditum esse. Hoc autem unde noverant, nisi ex eo, quod Joseph ipsis spectantibus egerat, quando ex pulsu scyphi locum singulorum ætati convenientem ordinatissime distribuit.

Hæc Joseph. Cui Judas: *Deus*, respondit, *invenit iniquitatem servorum tuorum*. Non hanc, ajo, cujus accusamur, sed aliam, cujus pœnas, utique non immeriti, rependimus. De reliquo quid ego tibi dicam? non ille modo, in cujus sacco inventus est scyphus, duro premendus erit servitio; sed omnes quotquot adsumus, dominio tuo in posterum subjectos puta. Apage, respondit Joseph, procul istuc ab Ægyptiorum moribus, qui jus justumque colunt, quibusque tanta munditiæ nitorisque est cura, ut communem vobiscum, qui Hebræi estis, mensam habere nolint, ne forte vestra quali quali consuetudine polluantur. Quare sicut jus & æquitas vetant lædere, a quibus læsi non fuimus; ita provocant, ut illatas injurias justa animadversione vindicemus. Qui ergo scyphum abstulit, hunc servituti addictum volo: quæ, opinor, illi proderit oppido magis, quam libertas: hæc enim avaritiæ fecit mancipium: faciet illa, ne in posterum furari libeat.

Hæc

[illegible]

CAP. XLV.

A HÆc Joseph: quem tamen Judas mox vehementi & gravissima oratione ita commovit & flexit, ut non modo fratrem, quod sperabant, ipsis redderet, sed &, quod minime cogitabant, illis se manifestaret: remotis tamen arbitris, dimissisque qui aderant Ægyptiis. Nam etsi de ficto crimine eos judicaturus, arbitros minime excluserat, nunc tamen verum crimen proditurus, nullum testem admittendum esse censuit. B Externis itaque tantisper secedere jussis, illud enimvero secretum mirantibus, remotoque interprete, alia jam lingua, sua scilicet, hebraica, sua voce, suisque verbis, fratres blando vultu intuens: *Ego sum*, ait, *Joseph frater vester*. *Non poterant respondere fratres nimio terrore perterriti*. Metuebant scilicet, ne post criminis declarationem eos ad supplicium duci juberet. Quum igitur attoniti hærerent, veritus, ne si se C quoque ab ipsis venditum memorasset, hoc ad Ægyptios, qui in vestibulo hæserant, perfluerct, compertaque eorum impietate, existimationi detraherent, subdidit: *Accedite ad me*. Tum vero moderata summissaque voce eos affari cœpit. *Ego sum*, inquit, *Joseph, quem vendidistis in Ægyptum*: contuensque eos his verbis perturbatos & pudore suffusos, necdum audere oculos in ejus vultum intendere, ea perturbatione il- D los relevare satagit. *Neque vobis*, ait, *durum esse videatur, quod vendidistis me: pro sustentatione enim universæ terræ misit me Deus ante vos: adhuc enim restant quinque anni famis, quibus nec seri poterit nec meti*: Quia præteritum fertilitatis septennium, satis ostendit me vera præsagiisse. *Festinate ergo, & ascendite ad patrem meum, & dicetis ei. Deus fecit me Dominum non meorum solummodo fratrum, sicut mea mihi somnia* E *portendebant; verum etiam Ægypti principem: quod illa utique haud quaquam pollicebantur; & nunciate illi universam gloriam meam in Ægypto*, ut pro me Deo gratias agat pro omnibus quæ mihi acciderunt in Ægypto. Hæc proloquutus ruit in amplexus, primum fratris sui Benjamin; flevere ambo, & alter alterius cervicem complexus, perfudit lacrymis: mox reliquis fratribus dispensat F oscula amoris plena. Ea benevolentiæ syncerissima testificatione, velut obliterata veterum simultatum memoria, respirarunt fratres, & animis confirmati cum fratre fidentius agere cœperunt.

Tum vero patefactis Prætorii foribus continuo intrarunt Ægyptii proceres, & militiæ principes, faustissimum diem Josepho gratulaturi. Audiit factum Pharao, & summa

ma quidem cum animi voluptate; mirifice quippe Regem delectabat, quod non vernam sibi in patrem cooptasset, præsidemve regno, nobilitati atque magistratibus dedisset vile mancipium, immo virum nobilissimum ex Abrahæ genitum stirpe divinis benedictionibus veneranda.

Joseph itaque fratres reditum in Chananitidem maturare jussit, indeque patrem in Ægyptum quantocyus deducere: atque eam ob rem vestes, & currus suppeditari mandavit, adjecitque pro munere parenti ferendos optimos Ægypti fructus, monens ne contenderent in via. Jurgium autem quod cavere monebantur, erat, ne alter alterum incusaret, puta dicendo: Tuis, improbe, consiliis actum est, ut Joseph in cisternam mitteretur: & alius in alium insurgeret: Tua certe, inquiens, obstinatione & pertinacia tandem evictum est, ut Joseph ferrea catena vinctus, nudusque Ismaëlitis venderetur. Si ego, ajebat Joseph, quum haberem contra vos multa, omnia condonavi, justum utique & æquum est, ut vos, posita omni simultate, alteri alter jus suum remittat, ne forte dum invicem jurgiis probrisque incessitis, hodiernum diem vobis utique lætissimum, infaustum reddatis.

Læti igitur fratres, quod Josephum reperissent, solicite cogitabant, quomodo apud patrem de illius venditione se purgarent. Quum ergo ad Jacob venissent, & quæ in Ægypto gesta fuerant, eidem renunciassent, senex currus & munera contemplatus, eos vera nunciare non dubitavit: quare tam læto nuncio mirum in modum exhilaratus: *Sufficit mihi*, ajebat, *si Joseph filius meus adhuc vivit*. Quumque illi Josephi gloriam, & in administranda republica prudentiam prædicare pergerent, pluraque etiam interfererent de severitate, qua ipsos tractaverat, quantave mala in prima, & graviora etiam in secunda in Ægyptum expeditione tulissent: intercessit Jacob, interpellavitque. Ita ne vero, inquit, nusquam vobis venit in mentem, ut ab eo disceretis, quam ob causam in Ægyptum migrasset? At illi se mutuo respectantes, quum non occurreret, quid reponerent, hæsere tantisper, donec Judas sic dicere orsus est. Culpam nostram patri nostro hodie confitemur. Audierant mei fratres sua insomnia narrantem Josephum: illico homines rudes, & imperiti conjectarunt, inde maximam domui nostræ portendi calamitatem: quasi vero nobis sub jugum missis, tu etiam pater Josephi potestati subjicien-

jiciendus fores. Quare deliberaturi convenimus, visumque, unius servitute communem libertatem esse redimendam. Quæcumque ergo contra Joseph acta fuerunt non ea certe adscribenda invidiæ sunt, quasi vero ægre ferremus, illum cæteris anteferri, imo pietati tribuenda, qua admonebamur, tuæ atque Benjamini libertati quovis impendio consulere. Hem Benjaminum præ omnibus a te amari cernimus, nec tamen ipsi illum odimus, quia nimirum nunquam audivimus jactantem, se nostrum quandoque dominum fore. Quare remitte, quæso, injurias, quibus Joseph hucusque a nobis affectus est; præsertim quum inde factum sit, ut ad tanti honoris fastigium dudum provectus fuerit. Hæc pro elevando fratrum crimine Judas loquutus, patri satisfecisse visus est: cui proinde senex: omnem, respondit, præteritarum injuriarum memoriam extinctam putate gaudio, quod, nunciata salute Joseph, mihi modo attulistis.

CAP. XLVI.

JAmque Chananitidem relinquere, atque Ægyptum petere Jacob decreverat, quum apparuit illi Deus; & quoniam filiis suis ab Ægyptiorum maleficiis, moribusque vehementer metuebat, ea cogitatione anxium confirmavit, jubens omnem metum deponere. *Ne metuas*, ait, *descendere in Ægyptum*. Et quum contra suspicaretur, ne nepotes Ægypti deliciis & feracitate illecti, perpetuum ibidem domicilium sibi statuerent, promissasque patribus terras postmitterent, subdit Deus: *Ego descendam tecum, & reducam te*. Postremum, quia timebat, ne interim Joseph moreretur, adjecit: *Et Joseph filius tuus ponet manus suas super oculos tuos*. His oraculis confirmatus, in Ægyptum Jacob migravit: sequutæ sunt eum animæ septuaginta: quo numero Joseph, & ambo ejus filii computandi sunt. Occurrit autem ei Joseph magno cum comitatu, & apparatu rhedarum, & curruum, *irruensque super collum ejus*, *flevit*, collacrymante pariter Jacob.

CAP. XLVII.

INterim Joseph convocatis fratribus suggessit, ut Pharaoni suam conditionem haudquaquam dissimularent, sed libere faterentur, rem utique pecuariam se facere more majorum; sic enim facile impetratum iri a Rege terram Gessen. Satagebat quippe Joseph fratres a consuetudine illorum, qui boves & oves adorabant, seducere. Cui Pharao: in uberrima, respon-

pondit, regni parte patrem & fratres tuos sedem domiciliumque seligere jubeto. *Post hæc introduxit Joseph patrem suum ad Pharaonem, benedixitque Jacob Pharaoni, & egressus est foras.*

Gliscente interim fame, Ægyptii primum, numerata pecunia, frumenta a Joseph mercabantur; postmodum vero, ea consumta, annonæ pretium obtulere pecora, & armenta: postremum fame premente suos agros Josepho addixere. Emit ille universos, excepta terra Sacerdotum, quibus constitutum erat a Pharaone pro quotidiano victu certum annonæ demensum. Anno famis septimo Joseph Ægyptiis frumentum ad sementem suppeditavit, pactus pro regio ærario quintam redituum partem; pactumque transiit in legem. *Quumque appropinquarent dies mortis Jacob, dixit ad Joseph, pone manum tuam sub femore meo.* More scilicet majorum: sic enim Abraham servum suum Eliezer juraturum hanc cæremoniam adhibere voluit, velut pacti in Circumcisione fœderis protestationem: eodem ritu usus nunc Joseph promisit quod petebatur, se facturum; petebat autem Jacob, ut post obitum in sepulcro majorum suorum Abraham & Isaac conderetur: juravit Joseph, id se curaturum; eoque jurante *Jacob adoravit ad summitatem sceptri ipsius.*

[illegible]

CAP. XLVIII.

Quum autem audisset Joseph, quod ægrotaret pater suus, assumpsit duos filios suos, ut benedictionem ab eo acciperent, antequam moreretur. Dixitque Jacob: Deus Omnipotens apparuit mihi in Luza, quum reclinato supra lapidem capite obdormissem, *benedixitque mihi, & ait. Faciam te in populos*, hoc est in Tribus. *Ephraim ergo, & Manasses, sicut Ruben & Simeon, mei erunt. Reliqui autem, qui nascentur tibi, filii tribuum Ephraim, & Manassis vocabuntur. Adduc eos ad me, ut benedicam illis. Commutans autem manus, posuit dexteram super caput Ephraim minoris fratris, sinistram autem super caput Manassis, qui major natu erat.* Crucis nempe signum expressit, ut mysterium illius repræsentaret, a quo primogenitus Israel in Manasse designatus, diminuendus erat. Populus autem gentium, cujus Ephraim natu minor personam gerebat, erat amplificandus. *Benedicens itaque illis, dixit: Deus benedicat pueris istis, & invocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum.* Hoc est: appellentur filii Abraham, Isaac, & Jacob. Quum autem Jo-

[illegible]

[illegible]

A Joseph id ægre ferret; patrisque dexteram transferre conaretur super caput Manasse; restitit Jacob, & ait: nec tamen hic benedictione carebit: *Erit enim in populum, & magnificabitur: sed frater ejus major erit illo*. Utque certam, ratamque esse prælationem minoris supra majorem ostenderet, subjecit: *In te benedicetur Israel, & dicetur: faciat te Deus, sicut Ephraim, & sicut Manassen*.

B Et ait ad Joseph: *Dedi tibi partem unam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhei in clypeo, & arcu meo*. Idest, quam emi centum ovibus, mea industria, & labore quæsitis. Porro Jacob Rachelis in partu extinctæ acerbum fatum idcirco hoc loco commemorat, quia filiorum ejus incrementa dicere parabat.

ܒܘܪܟܬܗ ܕܝܥܩܘܒ.

[illegible]

C BENEDICTIONES JACOB.

CAP. XLIX.

VOcavit autem Jacob filios suos, & ait ad eos: Congregamini, ut annunciem vobis, quæ eventura sint vobis in diebus novissimis. Confestim convenere omnes, tum in gratiam Joseph, qui cæteros prævenerat, tum ob debitam parenti, eidemque proxime decessuro reverentiam: ædibus namque, & contuberniis divisi D habitabant. Ægro assidebat Joseph, circumstabant ex ordine fratres. Expectabant omnes non benedictionem, aut maledictionem; sed suæ quisque sortis præsagium, quidve sibi, suisque posteris ætas futura allatura esset, intenti captabant.

Tunc aperuit Jacob os suum, & dixit: *Ruben tu primogenitus meus, mea virtus, & principium roboris mei*. Hinc conjectare licet Jacobum illibatam vir-E ginitatem ad octogesimum quartum ætatis annum pertulisse, quando Liam uxorem sibi adjunxit. *Mea virtus, & principium roboris mei*. Idest, tu prima soboles, fratres tui subsecundaria germina sunt virtutis, & fortitudinis meæ. Sive, tu quidem genitus es integris juventutis meæ viribus: cæteri hebescente, mutatoque vigore ætatis nati. Vel, si a meis moribus non exorbitasses, primam & F potiorem partem primigenio jure tibi debitam consequutus fuisses. *Diffluxisti velut aqua*, quæ irriguum suum deserens, agros non suos rigatura oberrat. Quibus verbis verisimile fit Rubenum tunc cælibem non fuisse, quum patris thalamum violavit; eoque reprehensibiliorem fuisse ejus intemperantiam; ut qui propria uxore non

non contentus, aquas furtivas appetivisset, nulla ad bibendum extimulante siti. *Non stabis*. Idest, non permansurus es in numero Tribuum: ad quæ respexisse videtur Moses, quum Rubeniticæ Tribui benedicens: *Vivat*, ait, *Ruben*, *& non moriatur*, *& sit in numero fratrum suorum*. *Ascendisti cubile patris tui*: probabile est, Rubenum Balam oppressisse dormientem, certe invitam, & idcirco illam a Jacobo maledictam non fuisse. *Vere maculasti stratum meum*, sive quia turpi opere patris thorum polluerat, sive ipsam fœminam eo nomine designat. Hæc ad Ruben. Ad ejus fratres, quæ sequuntur.

Deut. 33. 6.

Simeon, *& Levi fratres*, *vasa furoris a natura sua*. Idest, suo, non meo sensu, aut voluntate immanem illam conspirationem inierunt, ut Sichimitas ad Circumcisionem primum inducerent, deinde necarent. *In Congregatione eorum*. Idest, in conjuratione illorum ad perdendos Sichimitas, & consequuta eorumdem in oppidum Sichem irruptione, *non est imminuta gloria mea*: quia Deus populos circum in vicinia habitantes immisso pavore frenanavit, ne me ignominia afficerent, acceptamque injuriam vindicarent, etsi non deerat potestas, nec voluntas. *In furore suo occiderunt viros*: Non utique in justitia & ex æquitate: nam jus & justum sceleris dumtaxat auctorem Sichemum deposcebat ad pœnam; ipsi contra in omnes sæviere cives, & integrum oppidum everterunt. *In voluntate sua suffoderunt murum*: idest, urbis ædificia diruerunt. *Maledictus furor eorum*; quia in Sichimitas immaniter exarsit: *Et indignatio eorum*, *quia pertinax*: plures enim intercessere dies, ex quo Sichimitæ filios Jacob de nuptiis sororis interpellaverant, atque ex pactis conventis ritum Circumcisionis admiserant, & a subsequuta incisione dolorem eo tempore acerrimum patiebantur: ea tamen mora Simeonis, & Levi iracundiam mitigare non potuit. *Dividam eos in Jacob*, idest, alterum ab altero separabo. Quæ maledictio summæ conjunctionis vincula laxavit; quibus hactenus arctissime astricti fuerant, adeo ut ea, quæ secreto inter se deliberaverant adversus Dinæ stupratores, cæteris ejusdem fratribus communicare noluerint. *Dividam eos in Jacob*, idest, inter filios Jacob, *& dispergam eos in Israel*, idest, inter filios Israel. Hic recole jurgium, postea natum inter amborum nepotes, Phineen nempe Levitam, & Zamri ex Tribu

[illegible]

bu Simeon. Enimvero sicut Levi, & Simeon conspiraverant ad cædem Sichimitarum propter feminam: ita Phinees propter feminam una cum ipsa femina Zamri confodit. Nec modo Simeonis, & Levi nepotes animis & sensibus ab invicem discessere, adeoque nihil eis vetus necessitudo profuit: sed etiam per agros reliquarum Tribuum dispertiti, dispersique fuerunt. Et Levitæ quidem propriam, & distinctam sedem, qualis cæteris Tribubus assignata fuerat, nullam habuere: Simeonitæ vero quum angustiores, quam ferret numerus, sedes sorte accepissent, indeque in alias terras sese explicare cogerentur, loca quædam in confiniis hæreditatum fratrum suorum occuparunt.

Juda, te laudabunt fratres tui: eo vel maxime, quod illos a cæde fratris sui Joseph inhibueris: quod ni fecisses, Joseph utique duarum Tribuum pater factus non fuisset; imo vero, eo pereunte, simul periissent reliquæ Tribus. Quum igitur fratres tuos a parricidio prohibueris, & fame laborantes Josephi opera sublevaveris; merito laudabunt te propter duo bona, qui tua industria, & virtute duo mala fugerunt. *Manus tua super cervicem inimicorum tuorum*. Hæc porro ad effectum perducta sunt, quando nepos Judæ David inimicas nationes, quæ a mari magno usque ad Euphratem longe lateque se fuderant, subjugavit. *A cæde fili mi ascendisti*, vel quia Judas cogitationem occidendi Thamar, & geminam ejus prolem abjecit; vel quia fratribus, cædem Joseph deliberantibus, minime consensit. *Curvavit se, & accubuit*: subintellige, in sua hæreditate: ut Leo accubuit, ait: at nequaquam ut defectus annis, & desertus viribus Leo, imo vero quasi catulus Leonis, ætate integra, atque firmissima. Et hæc quidem sic habeto, si ea verba, *accubuisti, ut Leo*, ad hæreditatem Judæ obventuram referas, ut sensus sit, illam nulla vi, nullo casu posteris Judæ auferendam fore. Sed Jacob de regno loqui videtur, quo Judæi spoliari nunquam potuerunt, eo etiam tempore, quo vehementer vexati, afflictique fuerunt: idcirco, quod sempiternum istuc imperium proprio domino interim in ea gente condebatur, atque reservabatur: utque nobis constaret, Patriarcham Jacob loquutum fuisse de regno per Judæ stirpem ad Christum transmittendo, non vero de ipsius Judæ Tribu; Scriptura ejusdem Jacob verba subjecit: *Non deficiet sceptrum*, idest

idest Rex, *neque scrutator*, idest Propheta futurorum præscius, *donec veniat*, non utique David, qui quum antea ignobilis, & pauper esset, a regno dignitatem & opes accepit; sed Jesus filius David regni conditor, & verus dominus. Horum ergo verborum hic sensus. Non deficiet Rex, neque Propheta de stirpe Juda, *donec veniat is, cujus est regnum*. Quibus hoc non placet, ostendant, ante Davidem alios regnasse ex prosapia Judæ genitos, qui regnum Davidi tradendum ipsi interea tenuerint. Si autem ante Davidem nullus ex Tribu Juda Rex fuit, planum fit, per Davidem, ejusque nepotes condendum traducendunque fore regnum ad filium, & dominum David, cujus est potestas, & imperium. Licet ergo ab illis verbis, *Juda te laudabunt fratres tui*, usque ad ultimam periocham, *Non deficiet sceptrum, neque scrutator*, ad Judam, ejusque posteros referenda sint, deque Davidis, ejusque stirpis regno dicta intelligantur: quæ tamen sequuntur, *donec veniat ille, cujus est*, de filio Dei certissime exponenda sunt; neque ullo modo referri possunt ad Davidem, aut Davidis posteros. Quin imo prædicta verba: *Donec veniat &c.* innuunt, Jesu Christi decessores, non Reges, sed proreges extitisse, qui interea temporis venturi Regis vicem obtinerent. *Ipsum autem expectabunt gentes*: idest, Ecclesia ex gentibus collecta. *Ligabit ad vitem pullum suum, & ad palmitem filium asinæ suæ.* Synagogam, vitem appellat, quo etiam tropo prædicatur a Davide. Prædicit autem Christum pullum suum ad vitem ligaturum, quatenus Synagogæ annexum erat ejus regnum, & per eandem traducebatur. Idque pariter insinuant illa verba: *Non deficiet sceptrum de Juda, donec veniat, cujus est regnum*. Quum autem Dominus noster advenisset, ad veram etiam vitem pullum ligavit. Ut, quemadmodum alia vaticinia absolute perfecteque compleverat, hoc etiam mysterium, quod Judæis olim per speciem fuerat præmonstratum, ac traditum, reipsa exhiberet. Porro qui id Christum præstitisse ajunt, cogitant in aditu templi assurrexisse vitem, ad quam Dominus templum ingressurus, pullum asinæ, quo vectus fuerat, alligaverit; vel autumant jumentum illud viti illigatum fuisse in Castello, unde fuit a discipulis abductum: idque ex illis Christi verbis conjectant: *Invenietis pullum ligatum: solvite illum, & adducite: & siquis vobis dixe-*

Psal. 79.

Marc. 11. 2.

A *xerit : quid facitis ? Dicite , quia Domino necessarius est . Dealbabit in vino vestimentum suum* , ideſt corpus ſuum ſuo ſanguine lavabit , *& in sanguine uvæ operimentum suum*, ideſt corpus illud, quo divinæ perſonæ majeſtas tegebatur. *Splendidiores oculi ejus vino*, quia clarior eſt veritas cogitationum ejus vino defæcato. *Et dentes ejus lacte candidiores* , quia pulchra & pura eſt labiorum ejus doB ctrina.

Issachar vir fortis in medio semitarum accubans . Gedeon hic eſt , qui miſſis litteris populum ad bellum contra Madjanitas concitavit ; & cum trecentis militibus innumeras hoſtium copias fortiter adortus eſt , conſertoque prælio fudit . *Vidit autem locum habitationis suæ esse bonum* : ideſt conſideravit terras , quæ ipſi ex communi hæreditate obtigerant: C comperitque eſſe oppido feraces ac fertiles , & lacte atque melle manare . Et quidem Iſſacharis hæreditas fratrum hæreditate melior non fuit, ejus tamen, in referenda gratia , voluntas utique promtior fuit . *Supposuit humerum suum servituti* , non utique gentium , ſed Dei : *factusque est servus ad pendendum tributum*: ideſt : ad ſolvendas decimas pecorum, & proventuum ſuorum filiis Levi.

D *Zabulon ad oram maris habitabit* : ideſt , juxta portus , & navalia , terras ſcilicet mari adjacentes : negociatio quippe Zabuloniticæ Tribus futura erat circa mercimonia maritima . *Terminus ejus usque ad Sidonem* , quæ & ipſa mari alluitur.

Dan judicabit populum suum . Samſonem deſignat , qui per annos viginti judex Iſraëlitis præfuit . *Sicut alia Tribus* E *Israel* : ideſt , ſicut & alii fratres ejus, quos Jacob ex liberis uxoribus ſuſcepit. *Dan coluber super terram* : ideſt, terræ ſuperficiem radens, altera corporis parte ſerpens , altera arduus & excelſus , cujuſmodi angues per deſerta Sinai vagari ajunt . *Aspis super semitas* : ideſt , quemadmodum viatores vaſtam ſolitudinem ingreſſi a colubris , per circumfuſam arenam paſſim reptantibus, ſibi perpetuo meF tuunt : quique militari via incedunt, perinde Aſpides ejuſmodi loca obſidere ſolitos , pavidi circumſpectant : ſic Samſonem ubique ſibi infeſtum ſentient Philiſtæi , ſive deſerta oberrent , ſive viam tritam ingrediantur. *Mordens ungulas equi, dejiciensque retrorsum ascensorem ejus* : famem inſinuat , qua Samſon Philiſtæos affli-

flixit, quum immiſſis in agros incendiariis vulpibus, ſegetes jam maturas inflammavit: quo incendio incolæ annui proventus ſpe deturbati, perinde atque miles equo dejectus, ad terram afflicti dicuntur. *Salutare tuum expectabo Domine*. Hæc vel ad Philiſtæos pertinent, ſi quidem ea, quam dixi, clade affecti expectarunt ſalutare Dei, quod utique fecerunt, quando ab Arca Dei, quam apud ſe detinebant, ſeveriſſime caſtigati fuerunt: ſive Jacob loquitur in perſona Danitarum, vel potius generatim omnium Tribuum, oſtenditque, ſalutem illam eſſe expectandam, quam Jeſus verus Salvator cunctis gentibus allaturus erat: cæteros proinde ſalvatores illius eſſe meras umbras.

Gad per turmas egredietur: deſignat Gaditarum auxilia fratribus ſuis ſubminiſtrata, quando comparato exercitu quadraginta millium armatorum, viam in terram promiſſionis primi ingreſſi ſunt, ſequente turba ſexcentorum millium peditum, cum promiſcuo vulgo puerorum, & mulierum, & pecorum gregibus. *Et ipſe trahet calcaneum*: ideſt, eadem Gaditarum Tribus in prima acie pugnabit. Sequentur aliæ Tribus, velut infima pars corporis, caput.

Aſer terra ejus bona, quod Moſes aliis verbis expreſſit: *Aſer tingat oleo pedem ſuum*. Videtur eadem uberrima, & feraciſſima fuiſſe. *Et præbebit cibos Regibus*: deſignat puriſſimum oleum, & vina varia, quibus Aſeritarum regio abundat.

Deut. 33. 29.

Nephtali nuncius velox, non qui audita referat, ſed qui *pulchra promat eloquia*. Hæc recte accomodantur Duci Barach, qui Iſraelitas Siſaræ adventu conſternatos rei bene geſtæ nuncio erexit.

Filius educationis Joſeph: ideſt, a pueritia optime educatus, & inſtitutus. *Fons ſaliens*, ad dexteram, lævamque in geminam prolem diffuſus. *Ædificium ſuis ſubnixum fulcimentis*: primum fulcimentum erat Dei adjutorium, in quo Joſeph ſpem ſuam poſuerat. Accedebant primogenituræ jura, poteſtas propemodum regalis, & valida fratrum corona. *Aſcendit murum*: ideſt, ad perfectæ virtutis faſtigium evaſit. *Contenderunt*, *oderuntque eum agminum Ductores*, ideſt Tribuum patres. Alii legunt: *Viri partitionis*, *ſeu diviſionis*, ſed idem eſt ſenſus: nam fratres hæreditatem inter ſe partiuntur, & dividunt: iidemque Joſephum oderunt, & vendiderunt

[illegible]

runt Ægyptiis. *Conversus est arcus ejus in fortitudine*, quia factus est fratrum suorum dominus, ipsisque præfectus fuit. *Et dissoluta sunt brachia manuum ejus*. Quia sicut inutilis est arcus fortis, si brachium perinde forte non sit; sic, etsi Josepho ad perdendos fratres nec vires, nec potestas deessent; deerat tamen voluntas, & appetitio vindictæ, quam hoc loco brachiorum robur designat: fraterna enim caritate dissoluta sunt brachia manuum ejus *a manu fortis Jacob*: Idest, ne in fratres sæviret, illum cohibuit metus Dei, quem noverat patris sui Jacob potentissimum adjutorem fuisse, & futurum omnium Hebræorum pastorem, in deserto cibum illis è cœlo, potum ex petra subministrando. *Deus patris tui auxiliabitur tibi*, adversus hostes prælianti, qui, ne fratribus injurias acceptas referres, cohibuit. *Et Deus Elsaddai benedicat tibi benedictionibus cœli desuper*: Imbribus, & copioso rore arva perfundens, & annuos proventus multiplicans benignis cœlestium corporum influxibus. *Benedictionibus Abyssi infra jacentis*. Res quidem omnes è nihilo primum eductæ fuerunt; nubes vero ex marinis aquis concrescunt, quas divina sapientia sale condivit, ne perpetuo stagnantes corrumperentur: tum jussit in nubes sublimari, & per hunc modum dulcescere: indeque diffundi in rorem, & pluviam ad potum animantium, atque ad vegetationem plantarum, & omnium fere terræ geniminum. Benedictiones itaque cœli, rorem & imbres important. Benedictiones autem Abyssi, sunt fluvii & fontes, è terra prosilientes; quos proinde Jacob optat copiose affluere terris Joseph. *Benedictiones uberum, atque viscerum*, significant matrum pro carissimis infantibus vota; quum ab ubere pendent, fervensque ex mammis lac sugunt. *Et viscerum*: hic patrum benedictiones adjungit, easdemque amoris plenas, quas scilicet parentes natis, quos ferunt in corde, ex corde precantur. *Benedictiones Patris tui confortatæ sunt super benedictiones Patrum meorum*: idest, benedictiones, quas ego tibi hodie impertior, benedictiones superant, quas a patribus accepi: nam tu quidem a patre visus & agnitus, benedictionem ex fide suscipis: ego vero non ita, sed mutuata persona, & nomine mutato, etsi ex fide, benedictionem tamen clepsisse visus sum. Pater enim pro sua parte me meo fratri servum addicebat eo die, quo illum dice-

cebat dominum fratrum suorum. Excellunt ergo meæ mei patris benedictiones, si non virtute, certe benevolentia & amore. *Usque ad spem collium æternorum*: idest: usque ad illas benedictiones, quas Isaac consequutus est in collibus, ubi immolandus stetit, mihique postmodum participavit. *Fiant super caput Joseph*, ut sicut hodie decus est, & gloria fratrum suorum apud Ægyptios, ita corona illorum in posterum fiat, & in ipsorum hæreditate regnet.

Benjamin lupus rapax excubans ad prædam in medio hæreditatis suæ: mane comedet prædam: significat manubias, quas Benjamitica Tribus captura erat ab Indis, & ab Assyriorum Rege Sennacherib, atque a populo Gog. *Et vespere dividet, quas ceperat opes*, atque bello partas in otio pacis dividet cum Tribu Juda, utpote in eadem urbe Jerosolymis commorante, spolia scilicet ex prædictarum gentium castris direpta.

Jam nunc, quoniam literalem sensum benedictionum Jacob dedimus, mysticum etiam tradere conabimur: etsi nec literalem sensum hactenus pro dignitate tractavimus, nec mysticum nos perfecte assequuturos confidimus. Quare si earum benedictionum prostantem in verbis sensum pro nostra tenuitate exili stylo persequuti sumus, nec profecto copiosius, neque luculentius mysteria sub illis latentia exponemus.

Ruben virtus mea, & principium fortitudinis meæ, diffluxisti sicut aqua, non permanebis. Quemadmodum Ruben filiorum Jacob natu maximus justa cum execratione abjectus est, ea tamen maledictio postmodum a Mose Jacobi filio abolita fuit: ita Deus contra Adamum propter mandati prævaricationem mortis sententiam tulit; sed advenit postmodum Dei filius, & hominem prostratum, oblata resurrectionis spe, erexit; atque sententiam, quæ illum è paradiso ejectum sequebatur, cassavit.

Simeon, & Levi fratres, vasa furoris: ambo diaboli, mortisque figuram prætulerunt. Quemadmodum enim atroci iracundia acti, oppidum diruerunt, & ex avaritia Sichimitarum bona diripuerunt: ita diabolus, extimulante invidia, quod illi aperta vi Sichimitis exitium intulere, ipse occulta molitione hominibus attulit. Mors vero eorumdem corpora invasit & rapuit, ea plane licentia, qua illi Sichimitarum fortunas depopulati fuere. Attamen, quos diabolus per peccatum occulte peremerat, Do-

Domini Euangelium suscitavit; & quos mortis imperium premebat, benedicta Filii Dei promissio erexit. *Zabulon* oræ maritimæ habitator populos repræsentat Prophetarum contubernio & consuetudine nobiles: & sicut illorum finibus adjacet Sidon, sic istorum confinia obsidet peccatum: huc spectat, quod legitur: *Quid vero censemini Tyre, & Sidon?* (*Joel.* 3. 4.)

Issachar vir fortis, accubans inter semitas, justitiæ homines prævaricatores, at errata sua poenitentia corrigentes venatus est ad vitam. *Vidit habitaculum suum bonum esse, terramque suam esse bonam*, idest vidit Ecclesiam suam bonam fore, & habitationem sanctam; humerumque crucis ligno submittens, debita nostra dissolvit.

Dan judicabit populum suum, sicut & quædam ex Tribubus. Si ergo Danitis dare jura populo suo concessum est; quam oppido potiori jure natus ex stirpe Juda, cujus est regnum, judicaturus est omnes gentes? Hic nempe factus est coluber contra antiquum serpentem, & aspis contra diabolum, quemadmodum æneus serpens olim erectus fuerat contra serpentes. (*Num.* 22. 8.) Et quia parva est salus hominis; ut magna esse videatur, Jacob in spiritu de communi omnium hominum salute subdidit: *Salutare tuum expectabo Domine*.

Gad per turmas egredietur: turmas dicit illa quadraginta millia pugnatorum, qui filios Israel præcedebant. Hæc umbra: veritas patuit in duodenario Apostolorum coetu, quando cunctis gentibus præire jussi sunt, eosdemque deducere ad agnitionem veritatis. (*Jos.* 4. 13.) Egressi ergo per turmas suas, commissis pluribus cum latrone præliis, libertatem humano generi asseruere, quam ille suis latrociniis oppresserat.

Aser, bona est terra ejus, & præbebit cibum Regibus. Ecclesia hæc est, quæ peccatorum remissionem & vitæ pharmacum parat non Regibus modo, sed etiam militibus regum populisque subjectis.

Nephtali nuncius velox dans eloquia pulchra. Quum enim Dominus in partibus Zabulon, & Nephtali doceret, auditores inde digressi bona nuncia circumtulerunt, & eloquia pulchra repetentes, ecce, ajebant, quem expectabamus, adest.

Filius educationis Joseph. Quemadmodum Jacob primogenito suo Ruben substituit Josephum, ipsumque præcipue amavit, eidemque totus adhæsit: ita Adamo primogenito, qui Deum ad amaritudinem pro-

provocaverat, alter suffectus est filius in senectute natus, idest, in fine mundi, universum mundum labantem sustentaturus; cui proinde velut columnæ totus orbis inniteretur, & in eo omnium hominum spes salusque consisteret. *Fons saliens, ædificium suffultum*: idest, filiorum & fratrum corona munitum. Intuere hic genus humanum, cujus ruinas Prophetæ & Apostoli Christi virtute fulserunt. Fuit etiam Joseph fratribus murus, ad arcendam in summa annonæ caritate famem: simili providentia Christus, genus humanum sanctis mœnibus cinxit, & adversus errores munivit. Josephum odere principes Tribuum, & Dominum seniores populi. *Mansit in fortitudine arcus ejus*: quia ambo inimicos fregere suos, suoque imperio subegerunt. *Dissoluta sunt brachia manuum ejus*: quia neuter pharetram sagittis implevit, aut telum contra fratres suos intorsit. *Propter fortem*, idest propter ipsum Filii nomen, qui ab Apostolo, Petra sequens Israëlem in solitudine, appellatus est.

Benjamin lupus rapax: Paulus hic est, qui contra lupos lupus fuit, & animas diabolo eripuit. *Vespere dividet spolia*, idest in supremo die mundi, ipse quoque amplissimam pro suis laboribus mercedem accipiet.

Postquam Jacob hunc in modum filiis suis benedixisset, decessit, annum agens quadragesimum septimum supra centesimum. Cadaver Joseph solemni cum pompa extulit, exequias prosequentibus Ægypti proceribus, & universa Israelitarum familia, illudque in sepulcrum patrum intulit. Inde, peracto funere, in Ægyptum revertit. Interea fratres Josephum sibi adhuc infensum suspicati placare satagebant. *Pater tuus*, ajebant, *præcepit nobis, antequam moreretur, ut diceremus tibi. Dimitte quæso iniquitatem fratrum tuorum, atque peccatum, & malitiam, quam exercuerunt in te*. Eam fratrum trepidationem, metumque ingemuit Joseph, mox etiam depulit, blandissime eosdem sic affatus: *Nolite timere fratres mei*: nam etsi pater vester mortuus est, vestri tamen patris Deus profecto vivit; eoque vivente ratum atque certissimum mihi est, nulla vos unquam molestia afficere. Eo maxime, quod ille optimus malum a vobis meditatum, mihi in bonum verterit, ut simul potentissimi populi, regnique amplissimi præfecturam contulerit. Enimvero non committam, ut pereant, quorum opera factum est, ut plurimi non perirent. Quod reliquum est, oro vos, ut sicut

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

A ſicut ego rerum veſtrarum in Ægypto curam hactenus geſſi, ita meum vos corpus poſt obitum meum curetis, ut illud apud Ægyptios perpetuo manere neutiquam patiamini. *Et adjuravit eos, dicens: Recordabitur veſtri Deus, & aſcendere vos faciet in terram, quam juravit Abraham: aſportate oſſa mea ex hoc loco.* Vehementer equidem ſemper optavi, ut ſi illa terra potiri vobiſcum non liceret, liceret ta- B men ex eadem ſupremo mundi die vobiſcum reſurgere. Sic demum Joſeph exactis annis centum & decem vivere deſiit, ejuſque cadaver in loculo conditum in Ægypto manſit.

Hæc porro Deus, qui per Filium ſuum de nihilo cuncta creavit, ſub mundi primordia non ſcripſit: idcirco, quod nec ſcripto indigebat Adam, cui aliunde rerum principium compertum erat; nec C ejus poſteri, qui eandem notitiam a majoribus acceptam, & per ſucceſſionem patrum traditam retinebant. At enimvero poſtquam omne genus humanum generali quadam defectione a Deo deſcivit, & rationis lumine hebeſcente divini etiam opificii memoria intercidit, Deus clariſſimis veriſſimiſque monumentis populo Hebræorum ſcripto traditis conſtare voluit iis, qui mutaverant naturam, naturæ origines. Deo D itaque dictante, Moſes ſcripſit in deſerto, quæ in Paradiſo Deus ipſe Adamum docuerat.

Deum, & Chriſtum, ejuſque Spiritum Sanctum laudent ſemper & celebrent priorum mundi ſæculorum homines, qui hæc ſacramenta ſine ſcripto didicerunt: atque mediæ ætatis populus, qui eadem literis conſignata legit, audivit, & credidit: extremi item temporis E gentes, quæ ejuſdem populi Scripturas ſuſceperunt: jam nunc mirentur & iſti, qui victimarum ſuarum nidore delectati, illas contumaciter repudiarunt. Amen.

F

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI, *ET* JACOBI EPISCOPI EDESSENI

INTERPRETATIONUM IN GENESIM COLLECTANEA

Excerpta ex Catena Syriaca Severi Monachi Edesseni.

A

[illegible]

B

[illegible]

MOSIS GENUS, ET PROPHETIÆ TEMPUS.

MOses Propheta in Ægypto ex Levitica Tribu natus est: a filia Pharaonis adoptatus, educatusque, omnibus Ægyptiorum disciplinis eruditus fuit. Postmodum a Deo ad familiare colloquium de medio Rubi vocatus, virgam & potestatem accepit; jussusque est populum suum ab Ægypto educere, & a tyrannide Pharaonis vindicare. Obiit in monte Nebo, anno ante Dei in carne adventum millesimo quadringentesimo octogesimo quinto, quum annos quadraginta prophetasset.

C

[illegible]

CAP. I.

IN *principio creavit Deus cœlum, & terram*: hoc est primum omnium rerum aspectabilium, condidit Deus cœlum, & terram. Interjecta particula, את, quæ in hebraico textu hoc loco legitur, idem valet, quod syriacus articulus ܠ: nec enim legendum ܝܬ *Joth*, aut exponendum est, ut substantiam, seu naturam significet cœli & terræ. Sensus hujus exordii est. Quoniam homines, priscarum gentium superstitione imbuti, creaturas, & quæcumque metuebant, Deos esse arbitrabantur, puta solem, lunam, ignem, cœlum, & sydera, eaque proinde semper fuisse, nec ulla Conditoris opera indiguisse: Moses divini Spiritus afflatu doctus, illud in primis agendum sibi intellexit, ut in ipso sui operis vestibulo homines discerent, Universum fuisse conditum, ejusque opificem unum esse Deum, non plures, sicut Ethnici hac in re delirabant.

D

[illegible]

E

[illegible]

Terra autem erat Tuh-buh: hoc est, deserta, & vacua. In alio codice legitur: *Terra erat invisibilis, & incomposita*: invisibilem dixit, propter aquarum alluvionem, quæ terram a senis lateribus undique operiebant, & in modum epidermidis fœtum in utero obvolventis, circumsidebant. *Et incomposita*: quia necdum aquis emerserat, ac proinde nec hominibus

F

[illegible]

[illegible]

bus, aut animantibus excipiendis accommodata, nec apta ferendis ſtirpibus, herbis, plantiſve. *Tenebras* autem, quas dicit aquis incubuiſſe, ſpiſſum denſumque vaporem intelligo, qui ex abyſſo aquarum emiſſus, atque in modum obſcuræ & atræ nubis addenſatus, primam illam noctem attulit: quare eadem nubium fuit: quia necdum conditum fuerat firmamentum, quod noctem efficeret, & univerſum obumbraret. Nam quum hoc poſtmodum factum fuiſſet, infimas mundi partes, ad inſtar cujuſdam velaminis, obnupſit, & illis claram cœleſtemque lucem eripuit. Diſce porro, tenebras non fuiſſe naturam aliquam, aut rem factam, ſicut reliquas univerſi partes, ſed meram corporum umbram, quæ ſcilicet ex interpoſitione corporis cœleſtis, videlicet firmamenti, circumfundebatur, & ſuperficiem abyſſi occupabat. Ex humiditate ergo aquarum, ut ajebam, illa primæva nox coaluit, quum lux iſta, diſpultrix tenebrarum, necdum erupiſſet. Quod autem dixi tenebras non eſſe ſubſtantiam, aut naturam, aut rem factam, pronum eſt tibi proprio experimento cognoſcere: nam & ipſe tibi noctem pro libito ſub ipſum meridiem creare potes: ſi nimirum tentorium ex ſpiſſo panno figas, obſtructiſque diligenter rimis omnem lucis fulgorem excludas; ſi deinde iſtud conclave ſubeas, atram noctem tibi ipſi feciſſe comperies. Lucem vero non ita tibi parare poteris aliam ab ea, quæ a Deo creata fuit, & quædam res, & natura eſt.

Spiritus Dei incubabat ſuper faciem aquarum. *Spiritus Dei*, hic eſt Spiritus Sanctus Dei Patris, qui ab eo ſine nota temporis procedens, eidem ejuſque Unigenito Filio æqualis eſt in eſſentia, efficientiaque: cuique proprium, ſingulare & verum nomen Scriptura diſtinguens, Spiritum Dei appellat: iſque dicitur incubaſſe aquis; ut nimirum illis virtutem prolificam inderet, & univerſim aquas, terraſque ad arbores, beſtias, & volucres procreandas excitaret. Indicandum autem fuit Spiritum Sanctum incubaſſe, ut opus creationis illi cum Patre & Filio fuiſſe commune, ſciremus. Dixit Pater, fecitque Filius: conſentaneum ergo fuit, ut ſubderetur, Spiritum Sanctum ſuam interpoſuiſſe operam, quod per incubationem ſatis oſtenditur. Inde docemur, omnia per Trinitatem conſummari, perficique. Tene ergo, quod jam dictum eſt, Scripturam, dum opificium Dei deſcribit, non hunc

hunc Spiritum creatum, & liquidum significasse, ac si cum ipso Deo aquarum superficiem afflaret; sed proprie Spiritum Sanctum designasse, ut nimirum hinc disceremus, Spiritum Sanctum aquas vitali quodam calore fovisse, imo velut infuso ardore ad ebullitionem concitasse, & per hunc modum ipsis impertiisse foecunditatem. Habes in gallina quoddam hujus rei specimen: incubat enim ova sua, excitatoque per ipsam incubationem calore foecundat. Interea Spiritus Sanctus nostri baptismi sacramentum adumbrabat, præsignabatque, fore aliquando, ut ejusdem divini Spiritus illapsu foecundatæ aquæ filios Dei procrearent.

Dixitque Deus fiat lux, & dividat a nocte diem: vocavitque Deus lucem diem, & tenebras noctem. Hic rursus animadverte, tenebras non esse rem aliquam, aut naturam: quare nec earum creationem memorat, nec locum in ordine rerum designat, sed eas aëri accidere, quum, exoriente die, solis luce collustratus, & cum ea permixtus varios induit colores; ea vero abeunte opacatur, & incumbit nox, non aliunde quam ex occasu lucis: ita vides ignem ardere, mox extingui, & aquas modo in grandinem, modo in glaciem, & nivem concrescere, & vinum variare, & ex atro perspicuum, & clarum fieri.

Die autem secundo *dixit Deus: fiat firmamentum, & dividat aquas, quæ super cælum sunt, ab aquis, quæ sunt sub cælo.* Firmamentum appellat aërem hunc capiti nostro impendentem, qui a sua distantia, & elevatione solidi corporis speciem induit: situm autem fuit, clausumque intra totum spatium, quod a terra ad illam supremam, & ardentem regionem panditur. Firmamentum porro nomen illi hæsit ex duplici capite: tum quia solidi corporis speciem præfert: tum quia in spissam densamque substantiam comprimitur. *Divisitque Deus aquas superas ab inferis*, illas nimirum super coelum, hoc est, firmamentum extulit, eum in modum, quo atræ nebulæ globos sublimari videmus: atque in aëre suspendi, & immobiles manere jussit.

S. Jacob. Edess.

Quidam docuerunt, firmamentum esse corpus quoddam a summo Opifice ex substantia aquæ expressum: & quemadmodum si aër intra utrem cogatur, eundem comprimi densarique videmus, & soliditatem quandam induere ipsis sensibus obviam: Sic, ajunt, Deus in ortu re-

[illegible]

A rerum ex aquarum elemento istud, quod firmamentum dicimus, decerpsit: corpus scilicet spissum, subtile & defæcatum; atque ita distribuit, ut aquas quidem terræ superfusas superet, & circumquaque obsideat; cæterum supposuit aquis, quæ summa tenent, & cum illa aëris parte miscentur, quæ humida est, & nubes generat; atque ad sui Artificis nutum perpetuo diffundit pruinas, imbres, grandi-
B nes, & nives. Idem superiorum corporum calorem temperat, tutaturque homines, animantes & plantas ab æthere illo calidissimo, qui sub sole funditur, & ab ipsomet sole, qui totus ignis est. Hoc inquam firmamentum est, quod cernimus, & modo opacatur, & nigrescit, modo serenatur, & nitet. Coloris istud quidem expers est; coloris tamen speciem nobis parit ejusdem altitudo & distantia: quod
C etiam in alto mari cernere est: indeque fit, ut ab altitudine, perinde atque immensa latitudine, deficiente oculorum acie, ejus substantiam explorare nequeamus, nedum evadere ad superiorem ejusdem regionem, atque intueri aërem illum aqueum ipsi impositum. Jam quod tute affirmare licet, ajo, ex altitudine utriusque constare colorem, quem cernimus, modo obscurum & atrum, modo clarum, & niti-
D dum, qualem, ut supra notavi, exhibet altum mare: hoc est, quod cœlum perinde dicimus, appellatione omnibus gentibus & linguis communi: idemque est firmamentum, quod Deus medium locavit inter aquas terram obsidentes, & aërem illum aqueum ipsi firmamento superpositum, quem propter naturalem humiditatem & mollitiem, aquam Scriptura passim appellat.

E Est ergo aëris definitio: corpus quoddam medium inter ignem, & aquam, affectionum utriusque capax, ab aqua participans humiditatem, calorem ab igne: subtile per se & agile, & coloris expers: aqua levius, minus igne. Affectiones ergo hujusmodi illi aliunde sunt: quare nec per omne spatium sui simile est: facillime enim, aptissimeque suscipit ignis & aquæ substantiam, seu naturam; & cum
F utroque miscetur, & confunditur, ut in eorum naturam migrare videatur. Quocirca tres patitur affectiones, sive mutationes. Ima quippe pars & vicina terris, atque procul ab ea, quam supra dixi, aquea regione, clarior, ac siccior est, quamvis terrenas receptet exhalationes, & subtili tenuique pulveri admisceatur. Sti-

Stipatur autem, & comprimitur a proprio situ: in medio quippe locatus est, clausus & cinctus, idemque per modum zonæ claudens, & cingens duo elementa, terram scilicet & aquam: adeo ut extra hos limites excurrere nequeat, propria constitutione coërcitus, quominus aut ipse extra illa vagetur, aut ista supra illum ascendant, aut extra oberrent: adeo ut semper velut certo limite illa duo contineat, & exitum prohibeat, in modum, si placet, corporis solidi atque firmissimi. Talem enim operi suo Artifex indidit naturam, & sedem constituit. Hanc dico causam, cur cœlum, & firmamentum in divinis Scripturis frequenter appelletur. Altera pas aëris media dicitur, & naturæ aquæ magis affinis, quacum etiam admiscetur, & quoddam corpus componit mediocriter frigidum & humidum: cæterum plenius & crassius, magisque spissum, si imis, summisque conferas. Huic scilicet succedit tertia, & summa regio aëris, quam credimus admisto igne perpetuo fervere: eademque maximæ est tenuitatis, & siccitatis, omnisque prorsus humoris expers: indeque a Græcis Αἰθὴρ, *Æther* appellatur, aër videlicet ardens, qui nisi fixo limite, eoque sane maxime necessario, ab Opifice contineretur, vicina corpora cremaret, simulque omnem humorem absumeret. Idcirco inventæ sunt aëriæ aquæ ex coitione vaporum, humidarumque exhalationum, quas perpetuo sursum impellunt flumina, stagna, lacus, fontes, & maxime maria. Sic ætheris vis coërcita est, quominus omnia plane corpora inflammaret, & corrumperet.

In hexaëmer.

Et dixit Deus: congregentur aquæ in locum suum, & appareat arida. Id factum tertio die. Voluit quippe Deus terram emergere ex abysso aquarum, quibus hactenus operta & obsessa fuerat, quo fieret utilis fovendis seminibus, progignendis herbis, & stirpibus, hospitalisque hominibus & reliquis animantibus: neque vero talis fieri poterat, nisi primum humor ille siccaretur, quem necesse erat ab incumbentibus aquis continuo terram pervadere, atque corrumpere: & quidem humiditatis excessum nunc etiam frugibus obesse videmus. Divisis eum in modum aquis, mox Deo jubente terra nativam figuram sphoericam, planamque reliquit, forisque in tumulos protuberavit, & intus in cavernas recessit: assurrexere montes, & valles subsidere. Tunc, aquis ab ejus superficie defluentibus, & in proprium

[illegible]

prium locum coëuntibus, terra cum montibus imas quoque valles prodidit. Loca ergo, quæ aquis prominere cœperunt, excipiendis hominibus & cæteris animantibus deſtinata fuere, ſationique aptata. Aquæ vero ſic in maria congregatæ fuerunt, ut nihilominus terram ſubirent, ſimulque pervaderent, & alicubi etiam ſuperarent. Aperuitque Deus intra terræ viſcera meatus, & venas, & alveos, viamque dedit aquis, & ventis; præcepitque, ut per eoſdem poros frigidi, calidique vapores in ſubſidium ſtirpium, ſeminum, animantium, & volucrum, pro temporum varietate redderentur: tum præcipue, quum brumali tempore, ſole ad auſtrum declinante, frigidiſſimi venti flare incipiunt, & nix, glacies, procellæ, & turbines terram quatiunt, ſolariſque caloris vis obtunditur: neve hiemis frigus arbores, ſemina, & plantas torreret, atque homines & beſtias necaret; ſubterranei ignes excitati fuere in iis, quos dixi, meatibus. Præterea quoniam per hiemem calor ad intimos terræ ſinus contrahitur, huic etiam via inventa eſt, quo per poros & diverſa terræ ſpiracula ad ſumma remearet; diffuſuſque per venas arborum, vim frigoris mitigaret. Rurſus calidi vaporis æſtu, quem è terræ viſceribus diffundi diximus, fontes calorem concipere videmus, atque præter morem calidos halitus mittere: indeque patet, calorem ex intimo terræ ſinu erumpere, & uſquequaque diffuſum, frigoris vehementiam temperare. Huic additum aliud etiam ad arcendum frigus remedium pecori, ex proprio ſtercore in magna copia ſtabulis ingeſto. Aves quoque deprehenſæ ſunt ſuper fluminum alveos, ac fontium ſcaturigines, & ſtagna pernoctare, calidoſque inde vapores captare. Ferunt eos, qui Arctoas regiones incolunt, ultra montes, quos Septentrionis papillas vocant, frigidioribus hiemis menſibus ad ripas fluvii, quem Ignis amnem appellant, confluere; geminos autem eſſe montes, in quibus glacies in lapidum duritiem concreſcat. Cæterum ultra iſtorum montium fines habitatores nullos eſſe, quum trans fluvium Ignis occurrat Oceanus, mare illud ingens, quod univerſam terram circumambit, & reptilium atque volucrum impatiens eſt, ſicut quidam Græci ſcriptores prodidere, opinati, velut mœnibus urbes, ita terræ orbem Oceano muniri.

Jac. Edess.

A *Vocavitque terram, aridam, congregationesque aquarum vocavit maria*. Maria in plurali numero effert. Quocirca animadvertendum est, quod a viris doctis proditum est, aquas in maria quatuor distributas fuisse, neque omnes in unum confluxisse alveum, neque ad unam mundi partem fuisse contractas; sed in plura, ut ajebam, maria, lacus quoque, & stagna, fluviosque fuisse dispertitas. Jam primum notatur mare, quod Adriam vocant, quod ex Occasu diffunditur ab ultimo terræ habitabilis limite, quem Græci Oceanum appellant, & ad ortum solis per mediam terram habitabilem latissimo sinu procurrit. Ejus longitudinem ad quinque circiter mille milliaria excedere ajunt; latitudinem ad quadringenta: terminaturque Amano monte, cui adjacet Antiochia, alluitque oras Ciliciæ, Syriæ, Phœniciæ, atque Palæstinæ. Alterum mare Pontum Euxinum dicunt, quod ab ortu ad occasum protenditur usque ad Mysiæ regiones Thraciæ finitimas: habetque longitudinem ad milliaria mille trecenta, latitudinem ad trecenta. Tertium est mare Hyrcanum, seu Caspium, a reliquis separatum, quod ab occasu in ortum porrigitur ab extremis Armeniæ, Albaniæque partibus usque ad fines Sogdianorum: ejusque longitudo censetur ad octingenta supra milliaria pertingere, patetque in latitudinem sexcentorum milliariorum. In hoc mare exonerant sese ingentia flumina a locis Borealibus Sarmatarum, Scytharum, & Turcorum, magnam humoris copiam ipsa regionum natura subministrante. Nullas habet insulas ob aquarum altitudinem, ex eo, quem dixi, fluminum affluxu maximopere auctam. Quartum Erythræum: ex quo derivatur sinus Arabicus, per quem transiere Israëlitæ, cujus longitudo ad quadringenta & mille milliaria producitur, latitudo ad quadringenta. Huic succedit sinus Elamitarum, seu Persicus, qui ex Boreali parte Erythræi panditur, & procurrit occasum versus usque ad Babyloniorum oras. In hunc sinum devolvuntur Tigris, & Euphrates; ejusque longitudinem procedere ajunt ad mille & quadringenta milliaria, ad septingenta latitudinem. Erythræum ergo mare cum suis appendicibus universim obtinet centum & octoginta gradus longitudinis terræ habitabilis ab Oriente ad Occasum, latitudinis duos supra centum; a terris scilicet Chusæorum, seu Æthiopum usque ad Sinas ultimi Orientis

A tis populos; ab ortu ad occasum, mille & octoginta circiter milliaria in longum, in latum quasi bis mille & septingenta. Quare dimidium fere terræ habitabilis occupat.

Postquam ergo die tertio ad summi Opificis nutum in sua conceptacula defluxere aquæ, tellus emicuit, simulque arida fuit, & appellata est: aptata etiam ad generationem suorum geniminum, pu- B ta frugum & stirpium; hominumque atque animantium habitationi accommodata. Eodem die, aquis è terræ superficie depulsis, arbores, & poma simul prodierunt. *Producat*, dixit Deus, *terra omne lignum* &c. Dixit, dictoque vim genitivam, & formatricem terræ indidit perpetuo duraturam. Idem semen fuit, quo terra gravidata peperit omnia.

C

D

CREATIO LUMINARIUM SOLIS, ET LUNÆ.

E QUarto die, subdit Scriptura, *fecit Deus duo luminaria magna, ut lucerent super terram: luminare majus*, solem, *ut præesset diei, & luminare minus*, lunam, *ut præesset nocti: & stellas*. In his porro luminaribus contraxit, & circumscripsit Deus totam lucem, quæ tribus ante diebus per universum latissime diffusa, vagabatur. Illos namque dies priores luce utique distinctos fuisse oportuit: F at illa nec discretis horarum terminis definiebatur, neque diem in certa spatia dividebat; sed in modum lucidæ nubis suspensa, nec horarum numerum designabat, nec ortum, nec occasum proprio motu afferebat, neque ullam ab orbe cœlesti impressionem patiebatur; sed repente sub diluculum fundebatur, eadem-

S. Ephraim.

A demque celeritate ſub veſperam occidebat ad illius nutum, qui ſcitiſſimo, pulcherrimoque ordine opificium ſuum moliebatur, & dirigebat. Dixit ergo Deus primo die: *Fiat lux*: magno ſcilicet operæ pretio, ut univerſum circumluſtrans, tenebras diſſiparet, quas humidi vapores, ut ſupra dixi, ab aquis terram adhuc obtinentibus emiſſi, in vicino aëre fecerant. Sed nec ipſa lucidi illius corporis ſubſtantia ab humidi aëris contagione immunis fuit, ipſo B calore humidas exhalationes ad ipſum trahente; nec prædicti ignis lux poterat perrumpere aërem illum craſſum, humidumque, atque tenebroſum, nec tenebras ſuperficiem aquarum obtinentes diſpellere. Hæc porro ab igne ſupero fundebatur, qui nec hactenus collectus fuerat, nec incluſus alligatuſque uni orbi, quem ſolem dicimus. Quum ergo Conditori placuit, circumfuſam lucem in C unum vas coadunare, & certo loco alligare, ut regulari motu nobis mane a meridie, & primas a ſecundis veſperis exactiſſime deſignaret, excogitavit orbem iſtum clarum, & defœcatum, & in firmamento cœli collocavit: nam lux, quæ Deo jubente prodiit primo die, ex cœleſti igne profluxit: omnis quippe lux ignis filia eſt. Hic eſt ſol, qui quarto die conditus fuit: tantum autem inter ignem, D & ſolem intereſt, quantum inter ignem longe poſitum, & lucernam in medio thalami locatam, copioſo lumine coruſcantem: alius nempe eſt ignis ſplendor domum maligna luce illuminans, atque alius fulgor facis, aut lucernæ continens ignem, ſeu potius ipſam naturam ſplendidam ignis. Primæva ergo illa lux per univerſum propagata, radius & ſplendor coruſcantis ignis dumtaxat fuit; ſol au- E tem conditus quarto die, eſt velut ipſa natura ſplendida ignis, poteſtatis maximæ, & plurimarum rerum effectrix.

[illegible]

IN ILLUD, ET SINT IN SIGNA ET TEMPORA. F

[illegible]

Jac. Edeſs.

DIxerat: *Fiant luminaria in firmamento cœli*, deſignans locum, partemque univerſi illis conſtitutam. *Ut dividant diem & noctem*. Tametſi de utroque luminari loquitur, quum dicit: *Dividant &c.* iſtuc ta-

[illegible]

[illegible]

A tamen illius luminaris proprium, cujus eſt efficere diem; hunc enim ſol parit, quum oritur; noctem, quum occidit. Minoris autem luminaris alia ratio, quum nec luceat ſemper, nec unquam de die: diem ergo noctemque luminare majus ſe ſolo efficit, & dividit. *Et ſtellas*: ſtellarum idcirco meminit, quo ſciremus, has in ſupplementum majorum luminarium repertas fuiſſe. Hic ſubdit: *Et ſint in ſigna*, ſi- B gnificat, cœleſtia ea corpora etiam in hunc ſcopum conſtituta fuiſſe, ut extraordinariis ſignis ſalutarem metum injicerent hominibus, atque admirationem: cujuſmodi eſſe ſolent luminarium eclypſes, ſeu defectus: hi porro ſoli accidunt a luna in ſynodo, ſeu congreſſu, quum in eadem cœli regione morantur ambo: & luna ſoli oppoſita radios ejus, & lumen obſcurat. Tum ipſa incidens in umbram C terræ, quum eſt è regione ſolis, repente deficit: idque contingit, quum luna a ſole in ſpatium dimidiæ ſphœræ longiſſime digreditur. Sunt & alia a ſole phænomena; puta Iris, & quæ haſtæ dicuntur, & fatui ignes, cometis ſimiles, & quæ vulgus appellat, fel ſolis; ſimiliter a luna, quum in humentem aërem incidens, circulos varios & rotas deſcribit, præter ea quæ in ipſo corpore lunæ ſpectantur; D ſeu quum curvatur in cornua modo obtuſa, modo acuta; ſeu quum creſcit, & deinde paulatim ſeneſcit. Hæc & hujuſmodi ſigna plerumque formantur in regione humida, & eorumdem ſiderum aſpectui propiore, magiſque expoſita, & ipſis ſubjecta. *In tempora & dies & annos*. Hæc, inquit, ſidera facta ſunt, ut certa rataque per orbem cœleſtem converſione tempora metirentur, & annos E dieſque diſtinguerent.

F

DE

A

DE CONSTRUCTIONE ET FIGURA LUMINARIUM.

Jac. Edess.

CORPUS, seu substantia solis ignis est defoecatus ac purus, luce & efficacitate maxima præditus, atque a cæteris elementis plane secretus. Arguitur autem solis naturam igneam esse ex eo, quod in regionibus Æthiopum, & aliarum gentium, quæ ad austrum propius declinant, perpetuoque solem capiti impendentem habent, terra a solo ejus calore, velut præsente igne, torretur, & sane longe acrius, quam a clibano & fornace, quantumvis succensa. Quod etiam solis immensam propemodum magnitudinem indicat: nam etiamsi sol totus ignis esset, terram utique calefacere non posset, nisi ad caliditatem magnitudo accederet. Lunam vero constare dicunt ex quatuor elementis: & quidem frigiditas, indeque refrigeratio terræ, quam exoriente luna, experimur, indicat, eam de terræ concretione aliquid participare: sed & lunam cum aquæ natura commune quidpiam habere, conjectare licet ex humefactione herbarum, seminum & stirpium. Ex aëris item substantia aliquid lunæ decerptum, arguit ejusdem levitas & nitor. Postremum, nec igne prorsus carere, docet flammeus color, & corpus tersum ac politum. Hæc, inquam, suadent ex quatuor elementis lunam esse comparatam. Figura autem solis nec plana, nec in modum laminæ attenuata, sed ubique sphoerica, & rotunda est, ad instar margaritæ nitidæ, & rotundæ, ut omnes simul mundi partes suo lumine collustraret. Hæc porro omnibus coeli luminaribus figura communis est.

Apparent in globo lunæ maculæ, velut atrum quoddam, de quibus docti disputant, ajuntque, lunam proprio carere lumine, illudque a sole mutuari, quod planum fit, inquiunt, ex ejus incrementis & decrementis: nam quum sub radios solis intrat, nobis obscuratur & latet; quum autem incipit a sole discedere, illuminatur, & post diem paret tenuissima, ad instar subtilis fili; & quo longius a sole digreditur, eo plenior nitet usque ad quintum decimum diem, qui plenilunii dicitur, quum ex adverso opponitur soli. Tum denique incipit retrocedere, ejusque lumen simul minui, donec in initia recurrat, & lineam seu viam, quam perge-

[illegible]

[illegible]

A egerat, emensa, soli subsidat, tum vero penitus occultatur. Praeterea, ajunt, nullum elementum, aut corpus, excepto igne, proprio micare lumine; proinde lunam ex quatuor elementis compositam, lumine expertem esse. Gemina porro elementa aër & aqua, quia polita sunt, & perspicua, accipiunt lumen & transmittunt, quum a sole irradiantur. Terra autem, quia prorsus opaca est, nec per B eam lumini transitus patet, obscura manet: quare terram esse putant eam lunæ partem, quam atro colore infectam videmus. Siderum corpora ex ignis elemento decerpta fuisse, minime credendum est, quia nec calefaciunt, nec siccant terram, quod a sole fit; etsi per totum dispersa sint firmamentum, omnemque ferme numerum excedant. Neque ex elemento aquæ constare ea, credibile est, C quia nihil humoris infundunt herbis, & stirpibus, quod luna facit. Neque rursus dicendum est, sidera ex hoc obscuro crassoque terræ elemento coaluisse. Restat igitur, ut dicamus, ea ex puro levique aëre esse concreta. Et hæc de luminaribus quarto die a Deo conditis dicta sunto.

Quinto autem die ex aquis eductæ fuere aves & pisces. Quare sicut Deus D terram floribus & plantis decoraverat, cœlumque luminaribus, ita ex aquis volucrum & belluarum immensam propemodum copiam formavit: indeque aërem instruxit, locupletavitque copiosissima, pulcherrimaque familia, quæ pennarum vario multiplicique colore, florum speciem, & amœnitatem repræsentaret. Ita utrique elemento provisum fuit, ut in aquis natarent pisces, & aves in firma- E mento cœli volitarent.

Sexto die, postquam reliquæ omnes creaturæ conditæ atque ordinatæ fuerunt, præstoque fuit quidquid honor & majestas hominis postulabat, quem Deus universi Regem destinaverat; Adamum condidit, qui velut sponsus, paratum sibi thalamum intraret, & huic rerum universitati sese componeret, quæ, velut sponsa, cultu ornatuque suo perfecte F absoluteque instructa, illum opperiri videbatur. Quod Scriptura insinuat, subdens: *Non erat homo, qui operaretur terram*: quia scilicet creatio Adæ ad finem divini opificii prorogabatur. Hoc autem factum fuisse illa etiam ex causa credimus, ut videlicet homo rerum omnium postremus conderetur, ne mundi creationem

nem impudentissimo errore sibi ipse arrogaret.

A

S. Ephr. *Et dixit Deus : faciamus hominem ad imaginem , & similitudinem nostram .* Patet hæc verba ad Filium , & Spiritum Sanctum dirigi a Patre , hominis creationem moliente. Prologus autem, hominis opificio præmissus , futuri operis dignitatem insinuat, & omnium rerum aspectabilium antea creatarum naturam hominis fore præstantissimam . Illa namque solo imperio producta memorantur : *Fiat lux : producat terra : producant aquæ reptile* . Quum autem ad creationem hominis ventum est, inducitur Deus verba faciens, qualia homines facere solent, quum de rebus magni momenti inter se deliberant : multa nempe cogitant ; quæque cogitarunt , sibi invicem communicant . Spiritu autem dictante , scriptum est , plurali numero Deum loquutum fuisse, *ad nostram imaginem & similitudinem*, non in singulari , *ad imaginem & similitudinem meam* : ut nimirum doceremur, Deum illum invisibilem & rerum omnium principium ad Verbum Factorem , & suum Spiritum Sanctum , essentia, potestate, virtute , & efficientia sibi æquales , hæc verba fecisse : *Faciamus hominem ad imaginem nostram*.

B C

Adamum porro ad imaginem, & similitudinem Dei creatum fuisse , ex triplici capite intelligimus . At nec Adæ speciem extimam, imaginem Dei appellari credas , sed animum , libero arbitrio præditum , & in reliquas creatas res potestate & imperio instructum : scilicet, quemadmodum in Dei manu , & ditione cuncta sunt posita , sic Mundus Adamo subjectus fuit . Sed & purum , integrumque animum accepit, omnium proinde virtutum & divinorum charismatum capacem. Intelligentiam denique & rationem, qua res omnes comprehendit , digerit & componit: ita sese explicat in omnes partes , & cujuslibet rei imaginem effingit, ut omnia ipse in se uno continere videatur . Adam itaque creatus fuit nec vivus , qui non posset mori , neque mortalis , qui non posset vivere . Nec enim frustra impositum fuit præceptum : & libera optio data , ut si quidem pareret, viveret; sin resisteret, moreretur . At ille elegit mortem, & vitam contemsit.

D E F

[illegible]

DE [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

DE PARADISO TERRESTRI, ET ARBORE SCIENTIÆ BONI ET MALI. DE ARBORE VITÆ ET FORMATIONE HEVÆ.

CAP. II.

S. Ephraim.

Creavit Deus hominem : masculum & fæminam creavit eos. Creavit hominem, inquit, qua una voce ambos Adam & Hevam comprehendit; quia scilicet ambo terreni & ex *Adamta*, rubra nimirum humo concreti. Rursus quia in substantia Adæ Heva continebatur: sic enim scriptum est : *Accepit Deus costam de Adam, & fecit mulierem* : ut scilicet unum mundus haberet caput: & quidem ex Adamo desumsit, ut impleretur illud: *masculum & fæminam fecit eos* : neve quispiam suspicaretur, alium fuisse mulieris conditorem. Quod autem hoc loco nulla fiat inspirationis mentio, arguit, spiritum a spiritu non generari : *os*, inquit, *ex ossibus meis* : non item, spiritus ex spiritu meo : *& erunt duo in carne una* : non item, in spiritu uno. Quum autem costam a Deo ædificatam dicimus, reliqua omnia ad fæminæ formationem necessaria plene perfecteque suppleta fuisse, intelligimus.

Paradisus vero, in quo Protoplastæ collocati fuere, perfectam claramque rerum notitiam repræsentat ipsis infusam, mentemque sapientissimam, & ad altissimarum rerum contemplationem erectam. Porro arbor illis interdicta, nefas esse docebat, Dei majestatem investigare, aut ejus conspectum ambire. Deus enim arbor scientiæ boni & mali recte dicitur; idemque est arbor vitæ : & si quidem parentes nostri præcepto paruissent, utique arborem scientiæ boni, & lignum vitæ, sibi Deum fuissent experti; atque ad jucundissimam contemplationem provecti fuissent, in ligno vitæ repositam, quod est ipse Deus unus & trinus. Reliquæ arbores, quibus vesci ipsis concessum fuit, designant cæterarum rerum a Deo conditarum aspectum & speculationem. Cæterum arbor scientiæ boni & mali, de qua loquitur Scriptura, non inde nomen invenit, quod ab ipsa natura insitam bonitatem, aut malitiam haberet : utramlibet enim a divini mandati dumtaxat observantia, vel transgressione mox capiebat. Improborum quippe nequitia optimam rerum conditionem immutat, indeque vitio utique suo sibi exitium parat. Bonum er-

ergo malum non est, sed malis fit: quocirca audies dictum: *Positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum*. Multorum hominum atque omnium temporum hoc vitium est: arborem scientiæ boni & mali plerique audacter invadunt; quodque Adamo malum accidit, inde fructus mortis decerpunt: illos dico, qui vel Dei naturam non ex fidei disciplina, sed ex temeraria curiositate scrutantur; vel qui ejus mandata contemnunt.

Luc. 2. 34.

Rursus in arbore scientiæ boni & mali, in ligno vitæ, Dei præceptum Adæ impositum agnoscimus: cujus observantia illum a morte vindicasset, & ad vitam immortalem perpetuo vegetasset. Quia vero illud contemsit, pœna mortis affectus, intellexit a bono se discessisse, & invenisse malum; quandoquidem a bono, quod vita est, excidit, & in mortem, quæ malum est, præcipitavit. Cæteroquin Adæ corpus, ante præcepti transgressionem morti subjectum non fuerat, quia nec illud culpa labefactarat: nec enim mors sine illa Adamum invadere potuisset, quemadmodum nec ferrum domare fabri, sibique subjicere valent, nisi postquam ignis vi solutum fuit: sicut ergo ferrum ductile efficit calor, ita corpus mortale peccatum.

Jac. Edess.

Faciamus hominem ad imaginem nostram &c. Quum ad Verbum & Spiritum Sanctum hæc a Deo Patre verba facta fuisse credantur, & ambo in Patre sint, & ipse in utroque, profecto non erat, cur alterutrum, vel utrumque Pater de creatione hominis interpellaret: nec enim hac interpellatione divinæ personæ indigebant, nec porro aliunde, nec usquam necessaria fuisset. Jam ut solide & dilucide sensum hujus loci exponam, existimo, tuteque affirmo, Deum neutiquam hæc verba fecisse; quum illa allocutione, ut recte dictum est, opus non esset personis divinis: sed Spiritum Sanctum divinæ Scripturæ auctorem verba ad captum nostrum hunc in modum composuisse; quo nos ad cognoscenda mysteria in divinis operibus latentia manuduceret, quo scilicet nobis innotescerent unius sempiternæ Divinitatis Creatricis tres hypostases; simulque nostram ipsi dignitatem agnosceremus, honorisque prærogativam, qua Deus hominem oppido extulit supra omnes creaturas, quæ sensu cernuntur, jamque pridem conditæ fuerant. *Faciamus*, inquit, *hominem ad imaginem nostram*: subditque: *Et præsint piscibus maris*

[illegible]

A ris *&* *volatilibus cœli*. Ergo non unum hominem creavit Deus, imo univerſum in illo uno homine humanum genus. Non enim dixit: *Faciamus hominem*, *&* *præſit*: ſed, *faciamus hominem & præſint*. In Hebraico textu non legimus *filium hominis*, ut in noſtro syriaco, ſed abſolute אדם Adam, hominem, quæ vox Hebræis non eſt ſingularis cujuſpiam perſonæ proprium nomen, ſed univerſim omnes homines ap- B pellat: ex quo videlicet rurſus intelligeremus, univerſum genus humanum a Deo conditum fuiſſe in illis duobus hominibus Adamo & Eva, quos ab initio fecit & formavit. Quid? quod & alterum primi illius hominis nomen [illegible] Adam attenta ejus etymologia ad unam perſonam minus recte contrahitur, quum ex ipſa ſua notione generis nomen ſit, quod Scriptura etiam innuit illis verbis: *Et vocavit* C *Deus nomen eorum Adam in die*, *quo creati ſunt*. Diſcimus itaque tum ex gemina hominis appellatione, quam ſupra expendimus; tum ex illo verbo *præſint* numeri pluralis, quod ſupra affirmabam, univerſum genus humanum ſimul a Deo creatum fuiſſe in duabus illis perſonis Adamo & Eva, quos ab initio condidit, juſſitque præeſſe piſcibus maris & volatilibus cœli.

C. 5. 2.

D *Et inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ*. Quid iſtuc? Quæ verborum iſtæ ambages arcana premunt? Aut unde fluit iſtud ſummæ ſapientiæ dictum? Ut quum Auctor præfatus ſit, hominem a Deo conditum fuiſſe, formatumque in utroque ſexu ad imaginem Opificis ſui, atque una cum ejuſdem benedictione poteſtatem in omnes res conditas ſimul accepiſſe; hic ſubjiciat: *Et inſpiravit* E *in faciem ejus ſpiraculum vitæ*, *&* *factus eſt homo in animam viventem*. Quorſum, cedo, iſta dicuntur? Prima quidem, illa ſcilicet: *plaſmavit hominem*, *&* *maſculum & fæminam creavit eos*; ut oſtendat, hominem fictum fuiſſe ex eodem luto, ex quo reliquæ animantes ratione carentes, ſtirpes & plantæ, & cætera hujuſmodi: mente quidem ſenſuque præditum, mortalem tamen, & obnoxium F omnibus affectionibus, quas corpus, materia concretum, aut exigit, aut ſuſcipit; brevi, reliquis ſimilem viventibus, quæ nec mentem habent, nec ſui Artificis imaginem repræſentant. At enimvero quum hominem mox Dei imaginem dicit, mundique præſidem, ſatis declarat illum mente & ratione inſtructum fuiſſe, at-

Idem in ſchol.

atque a cæteris animantibus longe diversum. *Formavit*, ait, *hominem & inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, *& factus est homo in animam viventem*. Animadvertin', quam oppido hæc a primis diversa? Nec enim obscure demonstrant, alium ab antecedente ordinem, ad conciliandum homini ampliorem honorem, ab ejus Artifice fuisse excogitatum. Talis sane erat, in quo corpus immortale habere cœpit, quibusvis contrariis affectionibus exemtum: quamvis istuc non a natura insitum, sed a sola Dei beneficentia datum, ea etiam conditione, ut novus iste status vi atque potestate liberi arbitrii ab homine custodiretur. *Et inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ*, vitam scilicet infudit veram, atque spiritum vere viventem, Angelis cognatum, beatissimis scilicet illis mentibus æqualem; quibus nec fames accidit, nec sitis, nec algor, nec æstus, nec labor, nec somnus, neque aliud quodcumque corporeæ naturæ proprium malum. Hoc nempe bonum afferebat posterior iste status & præcellentissima hominis conditio, cujus prærogativa datum est homini Angelorum vivere vitam, a materia quodammodo abstractam, atque beatissimam; utpote cujusvis laboris, molestiæ & ægritudinis immunem: adeo ut, etsi corpore constaret, nullas tamen corporis noxias affectiones sustineret: imo nec iis egeret, sine quibus corpus vivere non potest. Hujusmodi status Adamo, imo vero universæ ejus posteritati, concessus fuit; mansissetque, si quidem ille parere voluisset sui Opificis præcepto mox ipsi imponendo; quo observato veram manentemque sibi vitam certissime comparasset.

Idem in hexaëmer.

Habet & alium sensum hic locus. Quemadmodum si quis alteri aspiret, proprio utique, non alieno ore id facit, nec alienum, sed suum spiritum mittit: sic naturæ Opificem cogita in faciem hominis inspirantem. Hominem nempe creavit, & spiritum illi vitæ de suo spiritu infudit. Sic nempe fieri oportuit, ut existeret vivens a vivente, intelligens ab intelligente, & immortalis ab immortali prodiret. Enimvero etsi Doctores Ecclesiæ non pauci, divinarum Scripturarum interpretes, hunc textum de hominis anima intellexerint, attendentes, quæ sequuntur: *Et factus est homo in animam viventem*; nihilominus ille, qui ampliorem spiritum a Deo accepit, ille, inquam, ma-

[illegible]

A magnus doctor, & sermonum Spiritus Sancti thesaurus Beatissimus Cyrillus, de communicatione Spiritus Sancti hanc sententiam exposuit, ubi sic scribit. Impressa est in illo (homine) divinæ imago naturæ, inspirato Spiritu Sancto: ipse namque est spiritus ille vitæ, quandoquidem Deus natura sua vita est..... & sane oppido stultum & absurdum est putare, Sanctum Spiritum in animam esse conversum, B & in hominis transisse naturam. Sed formata illa massa, ineffabili virtute animata & constituta fuit, & è vestigio Spiritus Sancti munere decorata: neque enim alia ratione divina imagine ditari poteramus.

Libr. 1. de Adoratione in Spiritu.

[illegible]

Heva commune cum Adamo præceptum accepit.

C

[illegible]

CAP. III.

S. Ephr.

Si de corpore Adæ Heva decerpta est, & lex totum Adamum ligabat, consequens est, Hevam quoque, utpote in ipso Adam contentam, eodem præcepto fuisse obligatam: & vero si Heva quum in Adamo lateret, benedictionem accepit illis verbis: *Crescite, & multiplicamini*: consequenter dicendum est, cum ipso, D in ipso existentem, mandatum pariter accepisse.

[illegible]

Cur Heva comedit, deinde conjugi eandem escam obtulit.

[illegible]

S. Ephr.

Quia diaboli seducta promissis, credidit per eam escam apotheosim se E esse consequuturam. Comedit autem, antequam conjugi porrigeret, quia primatum ambiebat; postea autem obtulit, quia sibi virum eo beneficio obnoxium volebat. Propterea fœminam principatum tenere non decet, sed imperio subesse, quod plane sequitur ex sententia adversus mulierem lata: *quia comedisti*, utique prima, & primatum supra conjugem affectans; *idcirco ad eum erit con-* F *versio tua, & ipse dominabitur tui*: & quia credidisti divinam prolem ex te nascituram, *in doloribus paries filios*.

A

Qua causa factum est, ut serpens loqueretur.

[illegible]

S. Ephr.

Quandoquidem serpens, animal suapte natura mutum, sermonem aliunde commodatum accepit, videtur diabolus illi loquendi facultatem eo animo optasse, quo beato Job divitias affluere cupiebat, quas ipse postmodum in argumentum tentationis converteret. Ita, B inquam, loquelam serpenti quæsivisse, qua ipse ad tentandos Adamum & Hevam abuti posset. Credidit enim, audientibus loquentem mutam animantem, facilius mendacio fucum se facturum. Serpenti autem linguæ usus idem, qui postmodum asinæ datus fuit. Cæterum si beatum Job optimus ejus Dominus opibus ideo instruxit, ut in ipso triumpharet; C eodem utique animo Adamum locupletavit & auxit, amplioribus etiam donis muneraturus, nisi ille præpostera festinatione causam suam præcipitasset, & mandatum prævaricatus obligatam Conditori fidem fefellisset.

[illegible]

Quomodo declinante die Adam audiit vocem Dei deambulantis in paradiso?

D

[illegible]

S. Ephr.

Quum ergo Adam fines divino præcepto sibi præscriptos transgressus fuisset, ambo conjuges nudi apparuere; & priori gloria spoliati, bonum unde exciderant, & malum quod incurrerant, intellexerunt. Tum vero, declinante jam die, vocem Domini deambu- E lantis in paradiso audierunt: præsentem enim spectare non merebantur: nec vero sustinebant; oculos scilicet, quos divina pridem lux vegetabat, hebetaverat culpa. Nihilominus ex oraculo, & declinatione diei de se male conjectabant, præsagiebantque rerum conversionem instare. Item, indicatum hoc loco pomeridianum tempus, extremæ videlicet diei horæ, in- F nuit serius, quam oportuit, illos ad Deum respexisse.

Adam ubi es? Timore stupentem excitat, ut præsentem ignominiam agnoscat: quasi dicat: oblitus es Creatoris tui, ejusque mandata contemsisti: quamquam Divinitatem invadere conantem, dedecus oppressit: hunc scilicet ex hac tua ne-

[illegible]

[illegible]

A negotiatione quæſtum es conſequutus, ut caderes; ſequetur mors: interim conceſſis honoris inſignibus exutus, nudus jaces: Heus Adam ubi es?

Ecce Adam factus eſt tamquam unus ex nobis, ut ſciat bonum & malum. Sarcaſmus eſt, in quo Deus Adamum cum opprobratione admiſſi criminis irridet. *Ecce*, inquit, *Adam*, juxta ac meditabatur, *factus eſt unus ex nobis*, *ſciens bonum & malum*. B Atenim qui domino ſervus æqualis fiat? Certe, ſi ejus imperium detrectat, illi ſe fecit parem. *Sciens bonum & malum*. Hem Adam, inquit, ſervilem conditionem faſtidiens, ad naturam divinam tranſcendere cogitavit: & vero quam affectavit, ſortem conſequutus eſt; quando proprio experimento doctus intellexit, diſcrevitque a bono malum. At ſane haudquaquam ipſi expe- C diebat, cum tanto diſpendio diſcrimina boni & mali diſcere: quemadmodum nec nobis utile eſt, ſerpentum & ſcorpionum venena noſtro periculo explorare. Ambo ergo rei capitalem ſententiam accepere; multa tamen clementia, & commiſeratione temperatam. Judicii autem telam Dei juſtitia a ſerpente exorſa eſt, ut mox ad Adam deventura, ſeveritatis virgam, ea interpoſita mora, leniret.

D

[illegible]

QUARE SERPENS PUNITUS FUIT CAPITE, PEDIBUS ET VENTRE.

[illegible]

IN ventre quidem & pedibus: quippe qui humi ſerpere coactus eſt: pedibus merito multatus, qui pedibus ad nequitiam feſtinaverat, ambiitque fieri omnium E beſtiarum princeps. *Super ventrem tuum gradieris*, qui ventri impoſuiſti, *& terram comedes*, qui hominem è ſublimi cœleſtium ſpirituum ſtatu dejectum, atque ad terram afflictum cogis in terram redire. Ergo qui tibi mentienti fidem adhibuit, idem eſca fiat. *Et inimicitiam ponam inter te & illum*: quandoquidem amicum ipſi te ſimulans, inimicum feciſti F Deo, atque ſibi ſuiſque, tibi quoque, perinde atque illi tu ipſe. *Et ipſum*, hominis ſemen, *conteret caput tuum*. Tuum, ajo, caput, unde iſtud omne malum fluxit, paratumque tibi, ad componenda effutiendaque mendacia inſtrumentum. Reſtat, ut poſtquam Adam tuis dolis captus ad arborem progreſſus eſt, mandatique tranſgreſſor factus, deſiit eſſe ca-

S. Ephr.

caput, ejus tu calcaneum in posterum petas. Quoniam vero Adam calcaneo suo, suæ scilicet uxori obsequutus, ipsaque impellente, a propria hæreditate statuque exciderat, idcirco bonus Deus hæc duo conjunxit: videlicet: homo conteret tuum, serpens, caput; tuque calcaneum ejus petes; quo scilicet diabolum coërceret: adeo ut, quamquam ille homini nusquam parcere velit, quæ est summa ejus improbitas & nequitia; judiciali tamen sententia frænaretur, quæ unum dumtaxat, idemque infimum hominis membrum, nocere volenti, subjiciebat. Quamobrem hæc altiore sensu referenda sunt ad diabolum, serpentem illum intelligibilem. Hic enimvero calcaneo nostro perpetuo imminet; nos vero oportet ipsius observare caput, initium scilicet tentationum, quibus ad peccandum pravisque affectionibus obsequendum nostram voluntatem sollicitat. Diabolus vero calcaneo nostro incumbit, ideft facta, dictave nostra explorat, atque hinc occultas animi affectiones propensionesque assequi nititur, quibus deprehensis, insilit statim, & instat, ut si quidem id assequi possit, nos loco præcipitatos prosternat, & miserabiliter perdat.

QUAM OB CAUSAM SERPENTI POENA INFLICTA FUIT.

S. Ephr.

Si quis objiciat, diabolo dumtaxat peccante, serpentem immerito punitum fuisse minime nocentem: primum cogitet, diabolum non una fuisse multatum pœna. Nam antehac a felicissimo nobilissimoque statu, in quo conditus fuerat, deturbatus, eo projectus est, ut tenebris & reptilibus sit comparatus, & similis factus sit illis. Et posthac pœnam ignis etiam feret ipsi reservatam in novissimo die. Serpentem porro eadem sententia comprehendi, justum fuit, quasi participem ejus delicti, quod omnes homines perdidit: nec vero ipsis inutile, si qui serpenti paruerant, sancitam ejusdem pœna divini timoris disciplinam spectare & cognoscere voluissent: intellexissent utique, quanta foret severitate punienda voluntas libera, arbitraque suorum actuum, quando animal sui minime potens, alieni criminis pœnas luebat. Rursum: quemadmodum sancte statutum fuit, ut si quis cum bestia coivisse deprehensus fuisset, una cum ipso simul ani-

2. Petr. 3. 7.

[illegible]

A animal plecteretur: non quod huic placuisse crimen suspicari quis posset; sed quia peccandi materiam peccanti subjiciens, simul exitium procurasse videretur. Ita in præsenti judicio maledictioni non immerito subjicitur serpens, visus simili modo in hominis perniciem conspirasse. Sed agesis, quid cedo peccarunt bestiæ, aut aves, quas Cataclysmus perdidit? Aut Jobi greges, quos subitum incendium absumsit? Aut pro peccatis populi B vituli jugulati, agni & turtures? Sunt adhuc aliæ causæ, cur serpens Dei maledictione plecteretur: prima, ut perspecto ejus supplicio, nec Diabolum culpam impune tulisse crederemus. Rursum, si venena non solum fugimus, verum etiam frangere vasa solemus, in quibus posita fuere; utique adversus serpentem simili ratione agere incongruum non fuit. Item C sicut viso externo corporis morbo, internam etiam animi ægritudinem nos vidisse arbitramur: sic irrogata serpenti pœna, plagam diabolo occulte inflictam manifestam & aspectabilem fecit. Demum, quemadmodum si contingat filium Regis a sicario occidi, pater & illum crudeli morte mactat, & telum peractæ cædis diffringi mandat: sic simili uti severitate Deo visum fuit.

D

[illegible]

Cur Adam eodem die, quo de ligno comedit, juxta Dei sententiam mortuus non est.

[illegible]

Duo genera mortis indicat Divina Scriptura: alterum, quod non sensu, sed mente cernitur, animæque accidit, ex transgressione legis divinæ: E alterum oculis manifestum, quo anima a corpore separatur; ut interim omittam tertium, quo mori mundo ejusque concupiscentiis dicuntur, qui assentiuntur monenti: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram*. Jam etsi Deus primi generis mortem, quæ culpam semper assequitur, Adamo statim a transgressione intulerit; distulit tamen alteram corporis F propriam, induciasque ad tempus indulsit, idcirco, quod mortis comminationem antecesserat benedictio Dei dicentis: *Crescite & multiplicamini*. Adamo proinde vivere usque adeo concedendum fuit, donec Deus quæ dixerat, reipsa præstaret: ne scilicet, illo post diem moriente, alterum Dei decretum omnem

S. Ephr.

Coloss. 3. 5.

nem suum effectum haberet ; & alterum omnino frustra & sine causa factum videretur.

CUR ADAMO PECCANTI CAUTUM EST, NE IN POSTERUM COMEDERET DE LIGNO VITÆ.

S. Ephr.

POstquam Adamum paradiso ejicere, Deo visum fuit, cavit simul, ne ille *extenderet manum suam, & comederet de ligno vitæ*. Non quod Deus homini immortalitatem invideret, sed ne ille laudaret serpentis promissa, quasi jam cerneret expleta. Rursum, quum Deus Adamo certissimam mortem interminatus fuisset, eodem subeundam die, quo interdictum arboris fructum comedisset; merito ab ejusdem accessu prohibendus fuit, ne scilicet alterutrum inconveniens sequeretur, ut, vel si comedisset, & mortem nihilominus evasisset, dicta in eum a Deo sententia inanis & futilis redderetur: vel si eo etiam cibo utentem vita defecisset, videretur lignum vitæ arcendæ mortis virtute caruisse. Sed enimvero lignum vitæ illud ipsum fuit, ex quo transgressoribus decisa est mors; adeo ut ab ipsamet transgressione ad proferendam mortem comparatum fuisse, videri possit. Similis quippe præcepti contemtus Mannæ naturam mutasse visus est. Certe putrefecit. Porro imputribile fuisse Manna natura sua, arguitur ex eo, quod repositum in Arca ad futuram rei memoriam in multa sæcula incorruptum permansit. Item ne Adam in fructibus terræ spem suam collocaret: aut vitæ lignum Deum esse putaret. Postremum ne inerti otio se dederet, quin potius per poenitentiam præterita damna reparare studeret.

Quorsum hominibus vestis data? Vestis homini data est dignitatis & honoris causa, velut quoddam inter illum & mutas animantes discrimen. Iterum ad contegendam ejus nuditatem, arcendumque inde sequuturum pudicitiæ periculum: objecta siquidem nudi corporis species, concupiscentiæ lenocinium præsentaneum & vehementissimum est. Tunc etiam terra maledicta fuit, quia Adæ limum subministravit; imaginis tamen suæ honorem sartum tectumque Deus voluit, eandemque a maledictione liberam. Sed hominem, quem suam dixerat imaginem, quum conderetur; postmodum, quum cecidisset, pulverem appellavit. *Et circumsta-*

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A *stare jussit a plaga orientali paradisi Eden Cherubim, & aciem gladii versatilis ad custodiendum lignum vitæ*. Videbatur gladii acies: spectrum erat. Hoc & ægris in æstu sitis contingit: aquarum imagine luduntur, & fontes, fluviosque somniant. Hoc & Adam patiebatur, quum paradisum ardentissime cuperet, illumque sibi interdictum ferret ægerrime: hebraicum namque vocabulum Cherubim, B spectra & monstra quoque significat.

Cæterum, quum Scriptura narrat, sex dierum spatio mundum conditum fuisse, non negat, Deum potuisse uno momento simul omnia creare, sed docet, Conditorem inventa sua ordine & judicio accommodatissime disposuisse; ne mundum putares cæco casu & improvisa partium commistione constare. Quum autem legis C septimo die Deum requievisse, cogita, otium labore parari, & actionem viam esse ad requiem. Interim observa, quam oppido consentaneum fuit, ut dies septimus, quem nullum decorabat opus, verborum encomio non careret, quum sacramentum sit futuri sabbati, in quo res omnes primævæ conditioni restituentur.

De omnibus lignis paradisi comedes. D Quibusvis, ait, speculationibus, quæ circa creaturas versantur, operam dare liberum erit, atque inde, meditando disputandoque capere voluptatem, qualem indidem hauriunt Angeli proxima tibi cognatione conjuncti. At divinam & increatam naturam speculari scrutarive numquam licebit: nec enim sufficis, quandiu puer eris parvæ ætatis & inscitiæ oppido ridiculæ: ne forte ex E ea speculatione tibi arcessas scientiam, non ad bonum, sed ad malum, & exitium perducturam.

Jac. Edess. in schol.

Et aperti sunt oculi eorum, & cognoverunt se esse nudos: significat, eos post mandati transgressionem extemplo visum naturæ intelligentis, atque Angelorum proprium perdidisse: indeque factum, ut tota videndi cernendique facultas ad res corporeas & sensiles contracta F fuerit. Tunc propria corpora nuda viderunt, spoliata illa gratia, quam hactenus habuerant. Id porro ipsis accidit, non a contemplatione rerum divinarum, sed a transgressione legis divinæ, quando temere affectarunt, quod ipsis fuerat interdictum.

Idem in exaemer.

Et consuerunt ficus, feceruntque sibi peri-

perizomata. Non tegumenta dixit, vel tunicas, sed perizomata, ideſt ſubligacula, quibus ad velanda dumtaxat pudenda, uti mos eſt. Suis, ait, manibus decerpſere folia ficus, ideſt, quæ ſpeciem & ſimilitudinem hujuſmodi foliorum gerebant, ſuiſque pudendis circumpoſuerunt.

Et audierunt vocem Dei deambulantis in paradiſo circa converſionem diei, & abſcondit ſe Adam a facie Domini. Audierunt vocem, inquit, quo ſignificet, illos ſero tandem reſipuiſſe atque recogitaſſe Deum præcipientem, ne arborem contingerent. Inde pavor & ſtupor inceſſit ambos: quumque animo perturbati, multa ſecum, ut fit, agitarent, in ſuis ſe cogitationibus velut in ſylvam abdidere. Igitur diei declinantis converſio indicat protoplaſtas pœnitentiam in ſerum diſtuliſſe. Dum porro Scriptura narrat, in medio arborum paradiſi ſeſe occuluiſſe, in eadem metaphora perſiſtens, ſignificat eos in ſuas ſe conjeciſſe cogitationes.

Vocavit Dominus Deus Adam, & dixit ei: Adam ubi es? Hæc divina Scriptura compoſuit, ut intelligeremus cogitationes & curas, quibus torqueri ſolet mala conſcientia, dum præterita malefacta dolet, atque pœnam formidat mox ſequuturam. *Et dixit Adam: vocem tuam audivi, & abſcondi me*. Ideſt, poſtquam intellexi, me ab illo feliciſſimo ſtatu, in quo poſitus fueram, excidiſſe, meamque nuditatem animadverti, latebras invaſi. Nudum porro ſe dicit, tum quod corporis amictu carere ſe deprehendit, & doluit; tum quod gratiam, qua ornatus fuerat, ſpoliatus fuiſſet. *Et abſcondi me*: Quaſi dicat: ut reſipui, ut me collegi, continuo expavi. *Cui dixit Dominus. Quis enim indicavit tibi, quod eſſes nudus, niſi quod ex ligno, de quo præceperam tibi ne comederes, comediſti? Et dixit Adam: mulier, quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi. Et dixit Dominus Deus ad mulierem: quid feciſti? Et dixit mulier: ſerpens decepit me, & comedi*. Hæc omnia dicenda fuerunt, quo diſceremus illorum, qui delinquunt, morem. Solent enim quicumque peccant, ſicut ſcriptum eſt, prætextus quærere, ad excuſandas excuſationes in peccatis, dum inſtantem a tergo accuſatorem fugere conantur.

Et ait Dominus Deus ad ſerpentem: Maledictus es præ omnibus animantibus, & beſtiis agri. Non hæc in eo ſo-

solo sensu dicta putes, quem verba sonant; sed in his occultam intellige Dei adversus diabolum sententiam. *Maledictus*, inquit, *esto præ cunctis animantibus, & bestiis agri*. Nam etsi ea cura neutiquam destitueris, qua reliquas terræ bestias complector, quæ me expectant, ut dem illis escam ipsorum: attamen tu super ventrem tuum gradieris: nec enim tibi agendi & quolibet vagandi libertas conceditur. *Et terram comedes cunctis diebus tuis*: tibi inde parandus victus, unde hominibus exitium: horum siquidem malis tua pascenda erit invidia. Hanc porro inimicitiam adversus homines modo susceptam, tibi tuoque semini, sociis videlicet tuis malis spiritibus, perpetuam manere decerno. Illi porro *caput tuum conterent*, tuas scilicet technas elident nascentes; tu vero illos morientes perdere satages. Post hæc Deus adversus Adam & Hevam sententiam pronunciavit, & in illis universum genus humanum condemnavit, terræque propter eos maledixit.

Et fecit Deus Adamo & Hevæ tunicas pelliceas, & induit eos. Sensus est, quod etsi ante transgressionem ambo conjuges corpus nacti fuissent a Deo, ut dictum est, formatum, subtile, & spirituale, adeo ut nec fami sitive, nec labori aut dolori obnoxium esset, nec perinde æstum aut algorem sentiret, nec somno indigeret, sed immortalitate frueretur, quæ quidem primum Dei munere concessa, in naturam aliquando tandem versa fuissent, si quidem ille voluntati divinæ obsequutus fuisset: attamen postquam Adam ejus mandatum fregit, subtilitas illa corporis crassitiem quandam ex transgressione contraxit: & inde continuo factum est, ut in posterum æstuaret, & algeret, esuriem & sitim sustineret: brevi, omnibus noxiis affectionibus obnoxius fieret, quibus hodie humana corpora infestari videmus. Tum vero Deus miseratus illorum nuditatem, & perpetuam inde a passionibus aëris molestiam, salutares eis cogitationes ingessit, viamque monstravit, qua sibi vestes ex pellibus ovium, caprarum, aliorumque animalium conficerent, iisque sua corpora contegerent. Hunc nimirum esse puto arcanum sensum illorum verborum: *Et induit eos &c.* Cæterum si in propria germanaque vocum significatione sistamus, nec Adam, neque Heva in præsenti judicio Deum plane viderunt, nec vero ipse lo-

loquutus est, aut tunicas fecit, & minus impendio illos sua manu vestivit. Talis quippe divinæ Scripturæ mos est, ut quæ sensu minime cernuntur, nec sermone explicari possunt, per ea, quæ sub sensum cadunt, & verbis exponuntur, nobis repræsentet.

Et ait Deus : Ecce Adam factus est quasi unus ex nobis , ad sciendum bonum & malum . Nunc ergo ne forte mittat manum suam, & sumat de ligno vitæ , & comedat , & vivat etiam in æternum &c. Hæc verba mutationem, quam passi fuerunt, designant ; quando ab illo statu felicissimo & Angelorum proprio, in hunc, quem videmus, venere statum cæteris corporibus terrenæ concretionis communem. Quæ sequuntur : *Ne forte mittat manum, & sumat de ligno vitæ* : significant, homines, ex quo ab illo felicissimo statu exciderunt, nec meruisse, nec vero potuisse mentem attollere ad intelligendum arcanum ligni vitæ, Deum scilicet tres esse hypostases. Istud mysterium nullus hominum attingere aut assequi potuit, donec deletum est malum, in quod humana natura astu adversarii sui serpentis inciderat.

Et ejecit Dominus Deus illum de paradiso : & circumstare fecit a facie paradisi Eden Cherubim , & aciem gladii versatilis atque terrifici , ad custodiendum lignum vitæ . Ejecit eum , inquit, idest a statu illo, in quo vitam hactenus duxerat beatissimam ; divinæque contemplationis deliciis, quibus affluebat, privavit. Cæterum quominus in posterum ad eum felicitatis locum accederent, pro foribus excubare jussit Deus terribili specie Cherubim, objecitque igneam hastam horrendis flammis omnia circum ambientem. Dum Cherubim ad custodiam ligni excubasse dicit, ex nostro more loquitur: nempe solemus ad custodiam rerum adhibere hominem armatum, solertem, & prudentem. Vocabulum quippe *Cherubim* connotat scientiam & cognitionem. Hasta ignea significat cogitationum recurrentium molestiam, & inde exagitatæ mentis perturbationem, & velut torrentibus flammis cruciatum ; adeo grave fuit homini a rerum divinarum contemplatione, intelligentiaque defecisse. Hæc puto latere mysteria in historia creationis hominis.

ET

[illegible]

A

CAP. IV.

S. Ephraim.

E*T dixit Dominus ad Cain : Ecce si bene egeris suscipiam : sin contra , pro foribus peccatum cubat* : quasi dicat : Tu quidem si fratrem odisse desieris , & cœptam parricidii cogitationem excusseris , ego te vicissim suscipiam , neque inofficiosi sacrificii tibi imputabo crimen . Sin contra, non recte egeris , pro foribus cordis tui peccatum jacet . Quæ verba clare de- B monstrant Deum non modo pœnitentiam hominis quærere , utque demum resipiscat expectare ; sed & eidem instare, & argumentis urgere , ut ad bonam frugem redire festinet . Hic præterea locus convincit sui potentem esse hominem & arbitrii libertate præditum . Subdit : sin contra non recte egeris , pro foribus animi tui peccatum cubat . Fera est , fores obsidet ; si illam accesseris , invadet te C & submittet . Verumtamen Cain divinum monitum nec attendit , nec inde correctus est : sed contra suæ libidini indulgens , voluntate sua peccato fores aperuit , ejusque dominationi sese ultro subjecit . Alii interpretes aliter hunc locum exponunt , & cum textu sequenti connectunt : *Ad te erit conversio ejus , & tu dominaberis illius* : ajuntque Deum Caino in hanc sententiam loquutum fuisse . Etsi D sacrificium Abel susceperim , & hostiam immisso igne consumserim , tuam vero oblationem nequaquam probaverim , neque flammas super eam descendere jusserim ; primatum nihilominus tibi adjudico , & Abelem tibi submitto , iubeboque deinceps parere & subesse : hoc tantum volo , ut susceptam perpetrandæ cædis mentem dimittas .

Quia in septulum punietur Cain , La- E *mech vero septuagies septies* . Circa hæc Lamechi ad uxores verba quidam tradunt , ambas ex Sethi stirpe fuisse genitas : quumque identidem conjugem hortarentur , ut Dei gratiam quæreret , eumque sibi propitium habere studeret : tum vero Lamechum respondisse : at vos dicite , siquid in meis moribus reprehensione , pœnave dignum hactenus animadvertistis ? At enim puerum pugnis oneratum etiam ne- F cavi . Non inficior , & istuc flagitium simili modo a parente quoque meo fuisse perpetratum . At at , ut in scelere pares simus ambo , ille tamen in septuplum punietur ; ego vero ipse mihi pœnam statuo septuagies septies graviorem . Ferunt Lamechum quum Caini mores ferre non posset , eidem mortem intulisse ; simulque ne-

necaſſe ejus filium, puerum parenti perquam ſimilem: ne ſcilicet, ea oris ſimilitudo memoriam Caini, ejus nepotibus probroſam, refricaret.

Cain in ſeptulum punietur. Prædictionem exitus comprobavit. Cain ſiquidem ſeptemplici pœna multatus fuit. Nam etſi unum hominem occiderit, primus tamen parricida fuit, ſuoque exemplo omnibus nocuit. Eo etiam adjecta eſt ignominia, quod ad ſeptem generationes poſteris ſuis infame ſpectaculum fuit, perpetuo pavens tremenſque. Succeſſit tandem ineunte ſeptima generatione univerſæ poſteritatis ejus excidium. Idcirco Lamech parricidio generationum ſeriem intercidere callide tentavit. Quamobrem ejus progenies ob geminum ipſius parricidium ſuperveniente paulo poſt cataclyſmo penitus acciſa eſt. Interim obſerva Chriſtum poſt generationes ſeptuaginta ſeptem juxta ſupputationem Lucæ advenisse, qui Lamechi, ejuſque nepotum crimina expiavit, imo vero omnium hominum, qui communis reparatoris adventum anteceſſere.

Jac. Edeſs.

Quæcumque hoc loco de Caino narrantur, ad ſenſum moremque noſtrum traducta fuiſſe, videntur, & per proſopopœjam deſcripta, adeo ut nec Deus more noſtro talia Caino loquutus fuiſſe, dicatur, aut Cainus talia reſponſa Deo loquenti dediſſe; ſed hæc compoſita fuiſſe, ad exponendas peſſimas Caini cogitationes, & ſententiam in eum propter graviſſima ipſius flagitia pronunciatam. Quæcumque ergo Cain animo ſum machinatus fuit, & callide exequi ſtatuit, Scriptura prodidiſſe videtur, & per proſopopœiam, ſeu fictam inductionem perſonarum repræſentaſſe Dei interrogantis & Caini reſpondentis. Quod vero indubitabile eſt, multa Cain in hoc facto peccavit. Quamobrem Scripturæ ſermo ait, ſeptena crimina vindicaturum illum, qui Cainum interemiſſet. Primum quidem, quod hoſtiam Deo abſque ullo delectu obtulit, Numinis, cui ea ſacra litabantur, majeſtatem viſus contemnere. Secundum, quod quum ejus ſacrificium approbatum non fuiſſet, quaſi vero ipſe a Deo injuriam accepiſſet immeritus, in eundem excanduit. Tertium, quod fratris ſortem inique tulit. Quartum, quod dolo malo eundem circumvenit. Quintum: quod interfecit. Sextum, quod interrogatus, ubinam loci ageret frater? reſpondit: id vero eſſe ſibi prorſus

[illegible]

[illegible]

A ſus incompertum. Septimum, quod in deſperationem delapſus affirmavit, majorem eſſe ſuam iniquitatem, quam ut veniam mereretur. Ergo propter ſeptem ejuſmodi crimina maledictus condemnatuſque fuit, & ad ſeptennium per incertas ſedes perpetuo errare, juſta Dei ſententia juſſus eſt, pavens ac tremens, extorris & profugus. Propterea que Deus negavit Cainum occiſum iri; ideſt eo B mortis genere, quo ipſe fratrem ſuſtulerat, interiturum; quando iſtuc cuilibet parricidæ edictum eſt, eodem, quo alium perdidit, perire letho: non hac, inquit Deus, lege cum Caino agendum erit; imo vero *ſepties multabitur*, ut qui omnium mortalium primus terram humano cruore polluerit.

CAP VI. *Fili Seth cur dicti ſunt Angeli & Filii Dei.*

CÆterum, qui nomen Angelorum & Filiorum Dei Sethianæ ſtirpi hæſiſſe pu- C tant, plerique, ajunt, ex ſtirpe Seth, & Enos homines religioſi, quoniam aſpirabant ad ſtatum illum, quem amiſerat communis parens Adamus paradiſo pulſus, & in terram maledictionum relegatus, ſedem ſibi in jugis Hermon montis delegerunt, a turba remotam: ubi Angelorum vivendi morem, quantum homini fas eſt, imitati, contemplationis & orationis ſtudium, & Factoris ſui cultum D ex inſtituto profeſſi ſunt: ſemet interim ea quali quali ſpe felicitatis perpetuo lactantes, quam parentis culpa periiſſe ſibi, oppido quam ægre ferebant. Sic ambæ Adami ſtirpes moribus ſedibuſque ab invicem diſceſſere. Ergo poſtquam Sethiani a vulgo ſegregati, propria domicilia habere cœperunt, & omne ſibi ſuiſque cum impia Caini ſtirpe commercium in- E terdixere, quaſi præcipui pietatis & juſtitiæ cultores honorabantur; magnamque apud omnes exiſtimationem adepti ſunt, tum a parentum ſuorum Seth & juſti Enos auctoritate & meritis, tum a propria pietate & moribus. At Cainitæ terram Nod occuparunt, in quam ſui generis princeps Cain, divino decreto, exul relegatus fuerat, unde terra illa etiam nomen invenit. Igitur quum lapſu temporis Sethi progenies vitæ probitate, F & celebritate nominis mentes hominum oraque impleviſſet; atque in primis Enos magna virtutis & ſanctimoniæ fama tantum excelleret, ut de illo dictum ſcriptumque fuerit, *ſperavit Enos invocare nomen Domini*, cœpit apud omnes paſſim audire, *Deus*. Inde nomen manavit ad filios, qui, ut dictum eſt, devexa montis

tis Hermon habitabant, & orationi Deique laudibus se totos dediderant; adeo ut, qui sanctæ conversationis merito Angeli nuncupari meruerant, filii Dei simul dicerentur a vulgato nomine parentis sui Enos; quamvis progressu temporum illustris ea appellatio, non ad auctorem gentis Enosum jam referretur, sed ad patrem omnium hominum Deum.

CAP. VII. *S. Ephr.*

CÆterum etsi filii Seth & Enos, Caino in vivis agente, nefariæ & scelerosæ stirpis contagione afflari non potuerunt, nec eo sæculorum intervallo, quo Cainitæ in populum jam excreverant, ullam ex eorum consuetudine in suis moribus labem contraxere: Caino tamen è vivis sublato, quum ejus nepotes Sethi sobolem ad ineundam vitæ rerumque omnium societatem induxissent, ejus pariter mores corruperunt. Objecta siquidem feminarum specie, & mollis vitæ oblato otio, excogitato insuper musico instrumento, tandem effecerunt, ut ducenti viri Sethi nepotes, loca, quæ olim insederant, desererent, & facta cum Cainitis societate, ex eorum stirpe feminas sibi copularent. Ex hac porro nefaria coitione, prodit Hebræorum historia, natam fuisse sobolem famosam: sed, divina reos premente vindicta, eam conspirationem in mutua odia bellumque intestinum tandem erupisse. Postremum reliquos etiam Sethi posteros, qui in montibus Hermon consederant, inde a Cainitis deturbatos in campos descendere compulsos fuisse.

Non habitabit spiritus meus in hominibus istis in æternum: quoniam creati fuerant æternum victuri, spiritus utique ipsis infusus in eisdem perpetuo fuisset habitaturus: sed quum illi inhabitantem spiritum suis flagitiis ad iracundiam perpetuo provocarent, Deus ea contumacia protervaque commotus ait: *Non habitabit in eis spiritus meus in æternum, quia caro sunt*. Carnem corruptos illorum mores appellat: spiritum dicit suum divinum Spiritum, tum ipsis infusum vitale spiraculum, denunciatque ejus temporis hominibus vivendi spatium ad centum & viginti annos contractum iri: proinde nec avorum suorum, puta Adæ, Seth & Enos nongentorum annorum ætatem eos esse victuros. Is porro annorum numerus supputandus est ab initio susceptæ constructionis Arcæ usque ad ejusdem consummationem.

Quia

[illegible]

A *Quia inclinatio hominis prava est ab adolescentia sua*: non hoc generatim dictum est, alioquin spiritus nec in Noë habitasset, qui utique vitiosus non fuit, quum virginitatem ad quingentos annos custodierit, & cælibem vitam perpetuo egerit, donec uxorem ducere divino instinctu compulsus est; verebatur enim, ne si liberos procreasset, continuo luxuria lasciviaque diffluerent. Etsi non defuere interpretes, qui hæc referenda putarent ad spiritum homini infusum, per quem ad imaginem Dei assurgit, & hunc spiritum, divinam scilicet effigiem, Noëtica ætate depravatis, corruptisque hominum moribus simul deturpatam fuisse atque obliteratam. Quare idem dicendum foret de ethnicis & præsentis temporis Judæis, eos scilicet nec divinam habere effigiem, neque illud spiraculum vitæ divinitus infusum, quod hominem format ad divinam imaginem & similitudinem. Nihilominus, quum ea pars, quæ in homine mentis & consilii particeps est, nec diversa nec dissimilis singulis hominibus ab ipsa conditione contigerit; Judæos perinde atque Paganos, omnesque generatim homines Dei imaginem non inepte vocamus: spiritus namque ratione intelligentiaque præditus quodammodo imago Dei est. Nec vero dubium est Deum de hujusmodi scelestis hominibus loquutum fuisse, quum homines eo tempore viventes præsentesque designans: *Non habitabit*, inquit, *spiritus meus in æternum in hominibus istis*.

DE ARCA, ET DILUVII EPOCHA.

[illegible]

E *ET dixit Dominus ad Noë fac tibi arcam de ligno levigato & facies in ea mansiones per circuitum, & fenestras*, hoc est nidos. Exorsus est Noë arcæ fabricam anno primo ejus sæculi, quod hominibus sui temporis ad agendam pœnitentiam definitum fuerat; & centesimo illam complevit. Dumque materiem parat, plures fluxere anni, donec arbores, quas Deo mandante plantaverat, adolescerent: unde enim ligna, picem, & ferrum, artifices, & operas colligere potuisset?

CAP. VIII. S. Ephr.

A

QUAM OB CAUSAM NOE PLURA MUNDORUM ANIMANTIUM PARIA IN ARCAM INDUXERIT.

CAP IX.

S. Ephr.

Ex *animantibus*, inquit, *mundis tolles septena & septena; de animantibus vero immundis duo & duo, masculum & fæminam, sed & de volatilibus cœli septena & septena*: duo scilicet paria de immundis, & septem de mundis. Munda appellat, quæ plerumque minime noxia; immunda, quæ carnivora; pacem autem inter utraque firmavit, & immunda ad paria duo contraxit, ne præter modum subolescerent. Et subdit: *Septem paria ex mundis*. Plura indixit duas ob causas: prima, ut Noë sub suum ex arca exitum hostias inde deligeret, quibus Deo litaret, quem morem Christi Ecclesia probavit, adeo ut nisi munda & lectissima Deo non offerat. Secunda, quia animalia munda, idest mitia & innoxia, eadem sunt utilissima, puta, boves & oves, quæ homini victum cultumque suppeditant.

Jac. Edess.

Sub initium narrationis opificii mundi, ait Scriptura: *Terra autem erat invisibilis & incomposita, & tenebræ erant super faciem abyssi*. Abyssum appellat illud inane, quo continebatur elementum aquarum, terram undique a senis lateribus circumambientium. Hanc porro abyssum tum scidit Deus, quum terræ abstulit formam, quam a prima conditione dederat, in rotunditatem sphœræ figuratam, jussitque extare tumulos, & cavernas recedere, subsidere valles, montesque eminere, & aquas summa terræ deserere, atque ad ima decurrere. Continuo aquæ in præparata conceptacula coëuntes, in maria coaluerunt, & aquis expedita terræ superficies in usum hominum & animantium cessit, atque alendis plantis, ac stirpibus aptata est. Præceptum hisce verbis expressum fuerat: *Congregentur aquæ, & appareat arida*: istuc solvit Deus, imo in contrarium mutavit, quando universum Cataclysmo perdere decrevit. Jussit itaque terram pristinam formam resumere, & montes subsidere, æquari valles, omniaque locum in conditione datum repetere, ibique interea manere, dum terreno orbe superiores effectæ omnem ejus superficiem submitterent, atque universi ornatum & pulchritudinem corrumpe-

A perent. Sic *aperti sunt fontes abyssi, & factum est diluvium super terram*, quum maria, quæ illam olim texerant, iterum ut antea operuerunt, perdideruntque universa. Illud autem: *Apertæ sunt cataractæ cœli*, ex vulgari hominum sermone dictum accipe, ut significet insolitam, ingentem, & pene immensam imbrium copiam: sic enim hodie quoque vulgus dicere solet: jamdiu cataractæ coeli apertæ sunt.

B *Prævaluerunt aquæ ad quindecim cubitos*. Non hoc scriptum est quasi res ita tunc, ut verba sonant, se habuerit: sed hoc intelligendum est ex more nautarum, qui aquarum altitudinem jacta bolide explorant, & si quidem fretum infra quindecim cubitos esse deprehenderint, illud nec satis altum, nec magna navigia pati posse pronunciant, simulque ad profundiorem aquam navim deflectere nituntur, C ne sirtibus, saxisve impacta frangatur. Similiter quum Scriptura ait: *Aquas diluvii altiores fuisse cunctis montibus*, designat loca eminentia, & montana, quæ fuerant ante aquarum alluvionem: imminente namque diluvio, eadem coæquata, atque in planitudinem redacta fuere, etsi postmodum eo cessante eadem divina virtute, per quam subsederant, ad D pristinam eminentiam statumque redierint, aquis confestim in mare refluentibus. (S. Ephr.)

CUR TERRA PER DIES QUADRAGINTA DIVINÆ CORREPTIONI SUBJECTA EST, COELO SINE CESSATIONE PLUENTE.

(CAP X. S. Ephr.)

ETsi fœtus in ipsa conceptione animetur statim ab initio suæ formatio- E nis, spatium nihilominus quadraginta dierum natura exigit, ut humani corporis figuram, & constitutionem absolvat: & quoniam Noë temporibus homines in propaganda sobole ab officio declinaverant; sic multandi fuerunt; ut quod diebus quadraginta coagmentatum fuerat, æquali dierum numero solveretur.

F DE COLUMBA EX ARCA DIMISSA EJUSQUE ALLEGORIA.

(CAP. XI. S. Ephr.)

COlumba a Noë dimissa Spiritus Sancti symbolum fuit: ergo, quod in prima missione requiem nullibi reperit, indicat corruptos hominum mores, quos proinde ut sibi minime consentaneos Spiritus

ritus Sanctus merito fugeret. Isthæc porro morum depravatio genus humanum invasit per eos maxime annos, qui diluvium proxime antecesserunt: ejus enim ævi homines Deus illis verbis perstrinxit: *Non habitabit spiritus meus in hominibus istis, quia caro sunt*: quippe qui ad omnem sensuum libidinem profluxerant. Quæ sequuntur de postrema columbæ emissione, & aquarum imminutione, adumbrasse videntur Christi a Patre missionem, & post ejusdem in Jordane baptismum peccata imminutum iri, adeoque Spiritum Sanctum inventurum ubi requiescat pes ejus. Ramus olivæ futuram unctionem, & generis humani cum Deo Patre reconciliationem adumbrabat. Corvi exitus, diaboli casum repræsentat.

De ingressu Noe in arcam cum liberis et uxoribus et inde exitu.

CAP. XII. *S. Ephr.*

NOë arcam mox subiturum Deus sic alloquitur: *Ingredere tu & filii tui, & uxor tua & uxores filiorum tuorum*. Discrevit mares a fœminis, quo intelligerent, toto eo spatio, quo in arca commoraturi erant, cælibem vitam agere eos oportere & continentiam servare. Quum vero exitum inde pararent, audierunt Deum alio verborum ordine loquentem. *Egredere*, inquit, *tu & uxor tua, & filii tui & uxores eorum*: indeque etiam colligere potuerunt, permissum sibi in posterum communem cum uxoribus thorum, & conjugii usum.

CAP. XIII. *Jacob. Edes.*

A*Rcum meum ponam in nubibus*. Hoc signum, quod Iridem dicimus, efficit sol, quem Deus plurimorum fecit operum effectorem & causam. Iris fit, quando solis radii per aërem, rorantibus nubibus humentem, transmissi, in nubes exadversum soli oppositas recipiuntur: ubi repercussi emicuerunt, signum istud deducto in arcum fulgore repræsentant. Videmus in eo aliquid coloris flammei, aliquid cærulei, & his commistos alios colores, in modum splendentis Zonæ, subtilibus ductos lineis. Hæc colorum mistura indicat, ex aqua, igne, & aëre ista constare. Et quoniam imperfecto gyro arcuatur fornicis in modum, arcus ei nomen etiam apud imperitum vulgus adhæsit. Causa igitur Iridis, ut dixi, in sole est, is, quum in altera parte Orizontis, puta orientali, nitet, & radios in ad-

[illegible]

adversam Orizontis partem directa linea transfundit, continuo dimidiam circuli formam describit, nobis supra Orizontem existentibus conspicuam, parte altera circuli infra Orizontem imperfecta: inde formatur arcus. Id porro quisque naturæ operum curiosus investigator, spectare poterit, non a sole dumtaxat factum; imo vero a quovis etiam lumine passim fieri; si modo in aërem humidum incurrerit: adeo ut ipsa lucernæ, & ignis flamma, fulgore in adversum aërem incidente, idem efficiat. Sic etiam luna rotam in subjecto sibi aëre humido, & crassiore nebula obducto, suis radiis describit, quam vulgus passim lunæ circulum appellat.

Hoc signum fœderis mei pono inter me & vos, & ad omnem animam viventem, quæ est vobiscum: ac si diceret: arcum videtis, quem ab ipsis mundi primordiis in nubibus fieri jussi, perpetuoque deinceps per statas vices redire, quemque vos arcum meum appellare soletis; hunc statuo futurum vobis signum monumentumque præsentis pacti, in quo vos securos facio, me nunquam diluvio terram submersurum. Et subdit: *Eritque quum obduxero nubibus cœlum, recordabor fœderis mei vobiscum*. More nostro nobiscum loquitur: dumque infantes alloquitur, ipse quoque balbutit, hoc inquiens: *Erit mihi memorativum signum, & videbo illud, & recordabor pacti, quod pepigi vobiscum, ut non inducam ultra diluvium*: Quum ex proprio & simplici usu loquendi dicendum fuisset; quotiescumque videris Noë arcum, memento datæ securitatis, atque metum pone, tuteque confide, nunquam fore, ut ego cataclysmum inducam: non hoc dixit: sed sua ad homines verba composuit in eum modum, quo homines loqui solent, quum inter se paciscuntur. Si quis contradicat, contendatque, alium esse horum verborum sensum, neque ut dictum est, divinam Scripturam hoc loco nobiscum balbucinari; cogitet, in Deum oblivionem non cadere, nec ejus memoria quidquam excidere; neque proinde indiguisse signo memoratore, ad repetendam pacti conventi notitiam. Scripturæ ergo sensus est, quem supra exposuimus: arcum, qui a mundi constitutione ex transfusione radiorum solis in nubibus perpetuo fiebat, cessante diluvio, in signum pacti cum Noë fœderis, a Deo fuisse assumtum.

Et

S. Ephr.

Et factum est, in mense septimo requievit Arca super montes cardoos. Quare supputatione facta, Noë trecentos sexaginta quinque dies in arca mansit, a die scilicet septima decima lunæ Junii usque ad septimam & vigesimam ejusdem lunæ anni recurrentis. *Cœpitque Noë exercere terram, & plantavit vineam, bibensque vinum inebriatus est: & nudatus in tabernaculo suo.* Etsi Noë ex temulentia aliquam mentis alienationem passus fuisse dicatur, minime tamen inde sequitur, ebrietatem ex immoderato meri potu ipsi accidisse: quum longe propius vero sit, id ex eo profectum, quod vir justus plures annos abstemius egisset. Nam in arca, ut reor, vinum non bibit, nec enim erat copia. Anno autem tertio ex acinis uvæ passæ, quam in arcam attulerat, vineam plantavit: & quum hæc ante triennium ad statum incrementum venire non potuerit, sexennium intercessisse consequens est, antequam Noë vini copiam haberet. Nec propterea dicendum est vitibus, vel aliis plantis terram caruisse: a primordiis namque rerum simul ac terra aquas, quibus hactenus mersa fuerat, excussit, mandatum a Deo accepit producendi, alendique omnis generis plantas & stirpes. Seminis itaque vicem, supplente Dei verbo, terra gravidata est, & ad omnia gignenda, perque stata incrementa ad perfectionem perducenda, vegetata fuit. Ad omnia ergo mundi tempora inditam divino imperio feracitatem servat, nusquam deficiente operatione actuque producendi, alendique quæcumque primo imperata fuere. Cessante igitur diluvio, quod universa corruperat, Dei præceptum insitam terræ virtutem excitavit, ut pergeret more suo sata excipere & germina emittere. Nec objicias: olivam a columba allatam aquis etiam terram operientibus; sed Scripturæ textum relege: *Postquam*, inquit, *imminutæ sunt aquæ super terram, misit columbam &c. & attulit &c.* Est autem plane credibile, undequaque refluentibus aquis, alluvionem adeo imminutam fuisse, ut terra in pristinum statum restituta, perinde oleas, ut cætera germina, reparare potuerit.

[illegible]

CAP. XIV.

S. Ephr.

A Quis in eum, quem a principio acceperant locum, restitutis, tria Deus cum Noë transegit. Primum, perpetuam a sanguine abstinentiam imperavit. Secundum, humani sanguinis curam ad se recepit, spondens, se hunc requisiturum de

[illegible]

[illegible]

A de manu omnium bestiarum. Quod quidem plene integreque præstabit supremo mundi die in illa generali omnium humanorum corporum restitutione. Postremum edixit, ut quisquis alteri vitam eripuisset, ipse suam amitteret. Inter hæc Christum contemplare in justo Noë expressum, qui dum in catalogo patrum undecimo loco numeratur, præsignat Deum in fine temporum, velut hora undecima
B in carne venturum, indeque incepturum dispensationis suæ sacramentum. Rursus considera divinæ justitiæ severitatem. *Corruperat*, inquit Scriptura, *omnis caro viam suam*, continuo sequutum est diluvium. Scilicet ubicumque revixit culpa, continuo etiam pœna revixit. *Benedixitque Noë filiis suis, dicens: dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem*. Eductus ex arca Noë, cum tota familia a
C Deo benedicitur illis verbis: *Crescite & multiplicamini*. Noë similiter liberis suis benedixit, dicens: *Dilatet Deus Japhet, & habitet in tabernaculis Sem*. Hoc quidem impletum fuisse videtur, quando Angeli de via ad Abrahami tabernaculum diverterunt, & Deus eidem se una præsentem ostendit: de stirpe enim Sem Abraham natus est. Illud vero, *Dilatet &c.* Japhet merito audiit, quia pallium pro-
D prios super humeros explicuit, nudatum parentem tecturus. Post hæc Noë liberis orbem terrarum sorte divisit: contigitque Semo universa terra benedicta ab Euphrate usque ad oras maris, adjectæque Rasan, Ninive, & reliquæ Orientis provinciæ. Obvenere Chamo torridæ regiones Æthiopum, & Indorum: Japhet terras Romanorum, orasque boreales universas accepit.

[illegible]

CAP. XV. XVI. XVII.

S. Ephr.

E Filiorum Noë soboles. Sem genuit Hilam, Assur, Arphaxad, Lud, Aram, & Cainan. Posteri Japhet, Gomer, Magog, Thogorma, Madai. Javan, Elisa, Tubil, Mosech, & Thiras, Javan Jonum pater fuit. Filii Javan, Elisa, Tharsis, Cethim, & Rhodanim. Cethim pater Romæorum: pater Rhodiorum Rhodanim, qui postmodum Rhodum insulam occuparunt. Soboles Cham, Chus, Mesraim, Phut, Chanaan. Mesraim
F Mesren, quæ *Memphis*, condidit. Chusi filius Nemrod, dictus robustus venator coram Domino. *Nahscirtana* siquidem venatorem Persis significat. Nomen ex facto inditum: ajunt enim, Nemrodum, quum turris ædificaretur, artificibus operisque cibos ex venatione quærere cœpisse. Inde ad imperium assumtus, regni caput Babylonem con-

constituit, & finitimas urbes nempe Aracem, quæ & Edessa; Acharem, quæ Nisibis; Chalanem, quæ & Ctesiphon. *Sicut Nemrod robustus venator coram Domino*. Nemrodum Scriptura laudat eo nomine, quod divinæ voluntati obsequutus, contra reliquas Tribus statim a linguarum confusione bellum suscepit, coëgitque terras divinitus sibi destinatas quærere. Exactis itaque cæteris familiis, & per orbem dispersis, quum tantam multitudinem locus non caperet, solus Babylone regnavit, Regum primus.

Invenimus quosdam Expositores, qui tradunt, duos & septuaginta viros ad construendam turrim conspirasse. Heberum autem patrem Phaleg illorum consilium nequaquam probasse; quamobrem in proprio idiomate nullam passum fuisse mutationem; istud porro fuisse Hebraicum, Adæ proprium, mundique primævam linguam. Nemrodum pariter ab ea multa abiisse immunem, ut qui eo die venatione distractus inde abesset. Heber pater Hebræorum fuit. Interim rogabis, cur Chanaan filius Cham, peccante patre, ab avo Noë maledictus fuerit? Causa fuit, altera manifesta, quia ejus nuditatem risit & publicavit: altera occulta, quia prævidebatur impie deserturus Deum, & pacta conventa, legesque sibi præscriptas transgressurus. Fratres ab ea execratione merito liberi fuere. Quare terram a Chananæis occupatam Abrahami posteritas hæreditario jure sibi postea vindicavit: hæc autem a Semo originem ducebat, cujus Abraham nepos fuit.

Jac. desf. Quæret sapiens & curiosus rerum investigator. Cur, peccante Chamo, plectitur innocens Chanaan? Cham enim parentem indecore nudatum vidit, nec texit; quando Chanaan necdum infantiam excesserat. Hujus ergo facti ratio investiganda hic est, & exponenda. Existimo, Chanaan, quum ista agerentur, infantem fuisse, & parvulorum more huc illuc reptare solitum; nec enim incedere aut pedibus consistere adhuc valebat. Age nunc, quum puer ad avum crebro proreperet, senemque, ut fit, amplexaretur, & frequenter ab illo sublatus in ulnas, ejusdem in genibus assidere assuevisset, inde factum ut Noë dormienti, & turpiter nudato, more suo puer adreperet, eoque manus injiceret, quo minime licuit. Ajunt itaque Chamum, etsi natum ab eo actu protinus abstraxerit, patris tamen ignominiam adeo non sensisse, ut

[illegible]

A ut rem, quasi vero oppido ridiculam fratribus ostentarit: quamquam illi Chami impudentiam execrati, ea, qua decuit, reverentia, parentis verenda texerunt. Post hæc Noë ebrietate somnoque solutum, re cognita, Chanaanis petulantia commotum, illi maledixisse. Quod si insistas, contendasque, nec, si etiam id fecisset, illum maledictione fuisse plectendum; quippe qui non impudentis animi B vitio, sed ætatis defectu istuc perpetrasset. Cui ergo defuit boni malique discretio, culpa utique hærere non potuit. Quare mihi videtur, Noë Patriarcha sanctissimus in hoc negotio Prophetam egisse magis quam judicem: nec præsens nepotis facinus spectasse, sed futurum ejusdem crimen punire voluisse, vel potius puniendum prædixisse. Quid istuc crimen? Produnt, Noë filiis orbem universum trifariam divisisse: limites singulis præscripsisse C atque indixisse transgressoribus maledictionis pœnam. In ea porro divisione obtigere Semo, natu maximo, regiones Libani, Phœniciæ, oræque maris hujus occidentalis. Singuli Noë hæredes, suam quisque partem deinceps in posteros transcripsere, coërcitique eadem maledictionis multa quicumque fratrum ditiones invasissent. Obvenere etiam in hac D secunda partitione filiis Sem provinciæ circa Libanum & Antilibanum, & Phœnicum atque Syrorum regiones, cis Euphratem positæ occasum versus; Aramo videlicet filio Semi ejusque posteris, Us & Ul. Continuo suam singuli hæreditatem adiere, uno Chanaano excepto, qui Noë patrumque decreto audacter intercessit: factaque cum suis manu prædictas regiones Libano adjacentes, oras- E que maritimas scelesto & nefario facinore occupavit: quippe quas suis terris longe feraciores videbat, ac pecorum hominumque habitationi commodiores. Sic Chanaan suorum jam actuum dominus & arbiter factus, sua se voluntate, Noë, ejusque filiornm maledictioni supposuit. Sed enimvero Deus, qui nec peccata inulta relinquit, nec peccantes in sempiternum tempus sustinet; posteaquam filii iniqui- F tatem patris compleverunt, Abramum Semi nepotem ex terris Chaldæorum rato tempore adduxit, paternamque hæreditatem se illi restituturum promisit; promissumque constituto tempore præstitit. Postquam enim impleta fuit mensura iniquitatum Amorrhæorum filiorum Chanaan, universam Chananæorum gentem Is-

Iſraëlitarum opera afflixit & perdidit. Sic Chanaan pœnas, quibus ex maledictione patrum obnoxius factus fuerat, præfinito tempore dependit.

A [illegible]

De Abrahamo ejusque stirpe.

[illegible]

CAP. XVIII.

S. Ephr.

ABramus in generationum ſerie a generali cataclyſmo deducta nonum obtinet locum. Ab anno itaque diluvii uſque ad Abraham fluxerunt anni quadraginta duo ſupra nongentos: & ab Adamo uſque ad Abraham, generationes viginti numerantur, & anni ter mille: quare vigeſimum annum agebat Thare, quum Noë deceſſit, & ſeptuageſimum quintum, quum natus eſt Abram.

B [illegible]

Quomodo quave de causa Aran parenti suo Thare præmortuus? Abrami vocatio, quave via Dei cognitionem sit assequutus?

C [illegible]

TRes Thare Patriarchæ liberos Scriptura recenſet, Abramum, Nachorem, ac tertium, qui Aran dictus eſt, fuitque pater Lothi, ejuſque ſororum Melchæ & Jeſchæ, quæ & Sara. Hæc Abramo poſtea nupſit, illa Nachori. Ea tempeſtate, qua Thare in Chaldæa adhuc agebat, indigenæ, amiſſa, quam a majoribus acceperant, Dei veri notitia, fictum quoddam numen adorabant, cui nomen Cainan fecerant, & fanum excitaverant ampliſſimum, idemque celeberrimum. Dum ſic delirant incolæ, interim locuſtæ, ad vindicandam utique religionis injuriam, divinitus immiſſæ agros depopulari cœperunt. Ajunt, per eam occaſionem Abramum adhuc impuberem ad abigendas noxias beſtiolas in ſuburbanum prædium a patre miſſum fuiſſe. Sed quum puer illas ſe poſſe exigere, quamquam id ſæpe conatus, deſperaret, impetu quodam concitatus: cœli, inclamat, terræque conditor, me, quæſo, adjuva, & infeſta iſthæc inſecta abigito. Cui Deus: Hem adſum, reſpondit, exoratus, & locuſtas actutum hinc abſcedere jubeo. Dixerat: illæ continuo evanuere. Inopinato ſucceſſu obſtupefactus Abram domum revolat, quæve ſibi in agro acciderant, dictaque fuerant, patri retexuit. Tum inſtat, ut ejurata impia Cainani ſuperſtitione, Deum cœli terræque opificem & rectorem in- po-

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A poſterum colere decernat. At enimvero poſtquam animadvertit, iſta ſenem in præſenti minime curare, vehementer excanduit, zeloque divini honoris incitatus, ad incendendum idoli delubrum ſimul procurrit: jamque ſuppoſitus ignis flammam extulerat, prodebatque ſe ſe in momenta incendium; quum Aran Abrami factum ægerrime ferens, concitus ad templum accurrit, ut, ſi quidem flammam B reſtinguere nequiret, ſalvum ſibi certe ſimulacrum haberet. Iſta agitantem, ignis inopinum repente corripuit & abſumſit. Hæc viſa cauſa fuit, cur Scriptura acerbam Arani mortem indicaret. Inde quippe conflata eſt adverſus Thare Chaldæorum conſpiratio, auctorem incendii ad pœnam depoſcentium: quare ſolum mutare compulſus eſt. Continuo ex urbe Ur, ubi hactenus habitaverat, Charan C cum liberis & univerſa familia commigravit, ibique deceſſit.

[illegible]

ABRAM ÆGYPTUM PETIT: SARA, QUAM ILLE SORORUM VOCABAT, RAPITUR: ET CUR DEUS PERMISIT, UT A PHARAONE DUCERETUR.

[illegible]

D QUum loca, in quibus Abram ſibi domicilium delegerat, tamen laborare cœpiſſent, & ipſe eadem annonæ caritate vehementer premeretur, Ægyptum petere cogitavit. At quum ab uxoris forma ſibi ingens periculum parari intelligeret, non ignarus incolarum ſalacitatis & intemperantiæ, conjugem monuit, ut Ægyptiis ea de re percontantibus reſponderet, ſororem ſe eſſe ſuam, E ratus ſe hac diſſimulatione præſens diſcrimen evaſurum. Neque dictum a veritate aberat: erat enim Sara Abrahæ nepos ex fratre: quare idem nepotem ſuum Loth alloquens: *Viri*, inquit, *fratres ſumus*. Moſes item: *Viri fratres eſtis*: & Jacob Labanum ſic interpellabat: *In conſpectu fratrum meorum atque tuorum, quæ tua ſunt ſcrutare*. Idque fert uſus, ut non eos ſolum, qui ex communi parente F nati ſunt, fratres appellemus; ſed illos quoque, qui nobis cognatione, aut neceſſitudine conjuncti ſunt. In hunc pariter ſenſum exponenda ſunt, quæ idem Abraham Abimelecho Regi Palæſtinorum dixit: *Soror mea eſt patris mei filia, non matris meæ*; ubi nepotem Tharæ, ipſius filiam eſſe aſſeruit, quum Regem certum fa-

CAP. XIX.

S. Ephr.

Int. 13. 8.
Exod. 2. 11.
Int. 31. 32. 37.
Int. 20. 5.

facere vellet, se omnino non fuisse mentitum. Rapitur itaque Sara in domum Pharaonis, & in tentatione relinquitur: ut Abraham per omnia probaretur. Præterea, quia Sara conjugem, non ita se ipsam, sterilem arbitrabatur, inde credibile fit permissum fuisse, ut a Pharaone raperetur, quo se infœcundam esse disceret, quod postmodum ingenue fassa est: *Nunc*, inquit, *cognovi*, *quoniam conclusit me Dominus*, *ne parerem*. (Int. 16. 2.)

Unde supputandi sint anni quadringenti, quibus Abrahæ posteritatem servituti subjiciendam Deus prædixit?

(S. Ephr. Int. 15. 13.) Age vero, expositionem illorum verborum: *Quadringentis annis servituti subjicientur filii tui in terra non sua*, unde petemus? Existimo, istam annorum summam, cui etiam addendi sunt anni triginta, non Abrahæ posteros dumtaxat comprehendere, sed & ipsum Abraham. Quare in hunc censum venire oportet annos quindecim Abrahami, Isaaci sexaginta, & Jacobi triginta supra centum, quo temporum spatio in terra sua habitarunt, hoc est, in locis hæreditario jure sibi obvenientibus. Facta autem supputatione ab ingressu Israëlitarum in Ægyptum, inveniemus in quarta generatione Calebum & Josue, pueros autem duodennes, qui terram promissionis intrarunt, in quinta. Abrahæ ergo Deus Chananitidem addixit, ut ex Scriptura colligitur, quum annum octogesimum quintum ageret, & hinc epocha Ægyptiacæ servitutis ducenda est, sicut divinus Apostolus Paulus innuit. (Act. 13. 20. Galat. 3. 17.) Supputa nunc Abrahæ annos quindecim, sexaginta Isaac, Jacob unum & octoginta, Levi quadraginta, Cahati octo & sexaginta, Amrami octoginta, totidem Mosis: & in summa annos triginta supra quadringentos invenies.

(Sup. 10. 11.) *De terra illa*, a Chaldea, *egressus est Assur*, *qui Rachabot urbem condidit*, *& Niniven*, *Chalanem*, *& Resen apud Niniven*. Ajunt Rachabot esse, quæ nunc Hadiab; Chalanem & Resen, quæ Chatra & Risaina. Semi genealogia cum suo stipite generationes viginti complectitur, Japhet quindecim, Cham triginta.

Et

A

CAP. XX.

[illegible]

ET egressus est Abraham, ut iret in terram Chanaan, & pertransivit terram usque ad Sichem. Loth vero habitavit in civitatibus Cacar, quæ & Sodomorum. Quum omnes Chananæorum terræ ad Abraamum ex Dei designatione pertinerent, eo jure usus, nepoti Loth cessit regiones, quas Jordanes alluit, terras scilicet Sodomorum.

B

CAP. XXI. Jacob. Edess.

[illegible]

MElchisedec Rex Salem protulit panem, & vinum: & ipse sacerdos fuit Dei altissimi: & benedixit ei dicens: Benedictus Abram a Deo excelso, qui possedit cœlum & terram. Hæc solummodo de Melchisedeco Scriptura memorat: genus & gentem, & cætera omnino reticuit. C Quamobrem disputant viri docti, & quærunt quæ sacra historia consulte prætermisit, idcirco, quod Melchisedec ad Israëlitarum populum, cujus origines & gesta narranda susceperat, nullatenus pertineret. Perinde nec operæ pretium putavit, externi hominis genealogiam retexere, aut nativitatis & obitus tempora indicare. Illud itaque nobis tantummodo compertum est, Melchisedecum D in oppido Salem habitasse, in provincia Amorrhæis filiis Chanaan subjecta: unde conjectare licet, illum etiam gente Chananæum fuisse. Similiter liquet, eundem urbis Salem Regem extitisse, simulque Sacerdotem Dei Altissimi: & Deum verum cœli terræque conditorem adorasse: proptereaque Deo gratiosum, & a suis gentilibus, quibuscum morabatur, magno in honore habitum. E Nam etsi Amorrhæi, communi gentium superstitione imbuti, Deos inanes colerent, Melchisedecum nihilominus magnopere suspiciebat, velut ministrum præstantissimæ cujusdam naturæ, quam ab oculis suis remotam cœlum habitare credebant. Hanc porro gloriam Melchisedec consequutus est, ut ex ipso nomine colligitur, a regia dignitate, quam inter suos obtinebat, tum vel maxime ab insigni probitate & F sanctimonia: *Melchisedec* namque utrumque significat, *Regem* scilicet, & *justum*, qua nominis prærogativa manifeste præsignabat Jesum Christum, quem Prophetæ Regem justum passim prædicant. Rursus quum idem in urbe Salem, idest pacis, regnasse dicitur, Christi pariter regnum adumbrasse visus est, qui princeps

ceps pacis appellatus est, & Rex mansuetus & mitis, pacemque attulit, & bellum extinxit. Præterea quum audis, Melchisedecum nec habere patrem, aut matrem, nec vitæ initium aut finem, nec in patrum genealogia locum; mente assurge, & cogita Christum in carne sine patre natum, Deum sempiternum, & immortali ævo fruentem. Et hæc quidem ab expositoribus traduntur. Singulare illud, quod mihi, hunc locum attentius consideranti occurrit, puto Melchisedecum peculiari Dei providentia inter dæmonum cultores immunem servatum fuisse, non ea dumtaxat de causa, quam Apostolus exposuit, ut expressam scilicet nobis imaginem Christi suo nomine suisque gestis describeret; verum etiam istud divino beneficio dispositum fuisse, quo Abram Dei amicus, inter barbaras nationes constitutus, in Melchisedeco consolatorem inveniret: atque simul etiam intelligeret, adesse quoque inter gentes a pietate remotas pios veri Dei cultores. Et hanc existimo fuisse causam, nec forte postremam, cur Abramo designatum fuerit domicilium in ea provincia, in qua Melchisedeco quasi hospite & sodali frueretur. Iterum observa, Melchisedecum Abramo benedicentem, quum *Deum excelsum* nominasset, adjecisse: *Qui possedit cœlum & terram*. Quo nimirum Abram certior fieret, a Melchisedeco Deum, quem ipse colebat, adorari, ac proinde communem utrique esse religionem. Tum vero certus Melchisedecum non modo esse Regem, sed etiam Dei altissimi Sacerdotem, benedictionem ab eo toto pectore accepit, eique vicissim decimas tota voluntate dependit. Demum ex testimoniis Sanctorum discimus, Melchisedecum in sacris faciendis a recepto gentium more discessisse: nec enim in sacrificio pecudum carnibus aut cruore utebatur, pane dumtaxat vinoque Deo vero litare solitus: quo quidem ritu mirifice expressit typum hostiæ spiritualis, ac rationabilis, & incruentæ Corporis & Sanguinis Christi. Mihi vero eximium in primis & insigne Christi symbolum visum est, quod Melchisedec nec regnum, nec sacerdotium ab alio quopiam accepisse proditur, vel alteri tradidisse: qua in re Christi regnum & sacerdotium perfecte absoluteque expressit. Unum enim est & singulare Christi regnum, & sacerdotium, quod utique nec unquam cœpit, nec unquam finietur; quoniam Christus est *Sacerdos in æternum*; sem-

Isa. 9. 6. Zachar. 9. 9. Ad Hebr. 7.

A semper offerens hostiam Deo Patri, orationes illorum, qui in eum, & per eum crediderunt, eumdemque perfecta puraque religione colunt.

Isaac Abrahæ a Deo promittitur.

CAP. XXII.

S. Ephr.

ET *dixit Abram ad Deum: Quid dabis mihi, en ego vadam absque liberis? Et Eliezer Damascæus vernaculus meus erit hæres meus*. Eliezer iste Damascæ vernulæ filius erat; ac proinde & ipse vernaculus Abrahæ: non ergo frater, aut ulla ipsi cognatione affinis, sicut imperiti quidam censuerunt.

Jac. Edess.

Quidam interpretes non satis consone opinati sunt, hunc Damascenum Eliezerem Ismaelem fuisse, Abrami filium ex Hagare Ægyptia Saræ ancilla natum. Hoc sane omnino falsum est, & cum Scriptura pugnat: quod quidem pluribus demonstrare pronum est; tum in primis ex eo, quod Abram Eliezerem vernaculum appellat, idest, servum. Huic porro filium in domo Abrahæ natum fuisse credibile est, ad quem alludens Abram: *Ecce*, ait, *filius domus meæ erit hæres meus*. Cui respondit Dominus: *Non ita, sed filius tuus, qui egredietur de femore tuo, ipse erit hæres tuus*. Jam si Eliezer non est alius ab Ismaele, sed ipse; de femore utique Abrahæ illum egressum fuisse negari non potest, quum Ismael Abrahæ filius fuerit. At contrarium ex Scriptura manifeste deducitur, quæ Eliezerem non Abrahæ filium, sed servum, & servorum magistrum appellat, & Abrami domus præfectum, atque procuratorem.

S. Ephr.

Et dixit Deus ad Abram: Sume tibi capram triennem, & vitulum trimum, & arietem trium annorum, & turturem & columbam. Hujus loci expositio a Chaldæorum ritibus petenda est. Mores scilicet gentis istud ferebant, ut juraturi per dissecta victimarum cadavera, certo utrinque ordine atque loco disposita transirent, & singuli præscripta verborum formula ita precarentur: faxit Deus, ne similem exitum ipse feram. Ergo Deus cum Abramo homine Chaldæo agens, patrium ejus morem etiam extra patriam usurpare voluit, & per quandam dispensationem Chaldæorum solemni cæremonia suum ad Abram juramentum sancire, eo vel maxime, quod talis per dissecta ho-

hostiarum membra transitus, qualis nempe Deum decebat, Christi venturi mysteria adumbrabat. Quum igitur ea, quæ dixi, bestiarum corpora dissecta distributaque fuissent, subdit Scriptura, infestas avium turmas in illa involasse: quas Abram abigere oppido nitebatur, quum nefas esse duceret, sacras Deo hostias, & ad juramenti solemnitatem de more positas immundis alitibus permittere.

Quumque sol occubuisset, irruit super Abram timor & tremor. Quæres, quæ metus hujus causa? Edisseram quantum vires ferent. Existimo hoc pariter repetendum a moribus Chaldæorum. Solebat gens auguriis dedita, avium volatum explorare, & qua versus tenderet observare. Hunc Deus Chaldæorum esse morem sciens, simile quidpiam tunc fieri indulsit. Quum ergo volucres turmatim circa subjecta cadavera volitarent, Abram vetere, sibique a puero inolita consuetudine ductus, intentis oculis circumspectabat, quid aves illæ demum agere, quave versus vellent tendere. Existimabant enim Chaldæi nefastum dirumque esse, si carnivoræ alites victimis insisterent. Præterea verisimile est Abramum proprio etiam capiti periculum ab illis metuisse. Sed utroque metu illum Deus ocyus liberavit. Nec enim, ait, volucres istæ te petunt, sed tuos: qua de re hoc habeto, nepotes tuos in terra non sua peregrinos fore, ibique plurimum vexandos a pluribus. Ægyptios innuit; atque ea immanitate lacerandos, qua vidisti dissectas carnes a feris alitibus discerpi. Sed & illud certum tene, posterorum tuorum persecutionem brevi finiendam, & persecutores poenam celerrime secuturam.

Quum autem sol occubuisset, facta est caligo tenebrosa: & ecce clibanus fumans, & lampades ignis transeuntes inter divisiones. Ignis notum lætitiæ symbolum Deum significabat. Clibani fumantis, & ardentis lampadis transitus confirmat, quod supra notatum est, Deum in præsenti actu Chaldæorum moribus sese accommodare voluisse. Chaldæis nempe istud quoque solemne fuit, ut lampadem manu gestantes, inter dissecta hostiarum corpora, & certo utrinque ordine disposita transeuntes, factas pactiones sancirent. Nos vero sic ista cogitemus, ut hinc ad sublimiorem sensum mentem sublevemus: & in duodecim sectionibus bestiarum simul & volu-

[illegible]

A lucrum, duodecim Israëliticas Tribus expressas contemplemur, atque in his Apostolos duodecim: utrique enim Abramum patrem habuerunt. Quod autem subtexitur, apparuisse inter dissecta animalium membra fornacem fumantem & ardentem lampadem, Christum illuminatorem hominum adumbrabat: qui enim credentibus lux est, idem non credentibus ignis erit in die iræ.

B Offertur vitula triennis cum cæteris animantibus perfectæ ætatis, quia perfectus est Christus in divinitate unicitatis suæ. Cur autem doceat Scriptura animalia quidem divisa fuisse, volucres non item; disce mysterium. Quia postquam Deus Verbum carnem assumsit, non uno eodemque modo ipsum contemplamur: aliud enim intelligimus, quum per æternam generationem ex Patre natum fuisse dicimus: atque aliud, quum per dis- C pensationem carnis, carnem pro salute nostra de Virgine induisse prædicamus. Nihilominus, etsi in Christi contemplatione duos tenere modos loquendi oporteat; at unus atque idem est verus Christus indivisus: cujus rei expressa figura est volucris, quæ divisa non fuit. Comparatur item turturi & columbæ Christus, quia ipse est turtur sapiens & mitis, di- D sertus præ filiis hominum, qui sancte pieque vivendi præcepta nobis tradidit; cujus vocem, Euangelio circumquaque personante, orbis universus audivit. Intelligitur autem quasi terrenus, propter suam humanitatem: tales enim sunt taurus, capra & aries. Sed quia Deus est, idem sublimis & cœlestis est, talis nempe est avis; & quamquam pro nobis fuit occisus, verumtamen caro ejus non vidit corruptionem. E

[illegible]

CAP. XXIII. *S. Ephr.*

T*Ulitque Abraham butyrum & vitulum, & posuit ante eos*. Quod tantam panis & carnium copiam Abram Angelis obtulerit, non hoc fecisse credendum est, ut eos saturaret, sed ut ex superantibus inde reliquiis, Angelorum benedictiones cum domesticis participaret. Subdit, *&* F *posuit ante eos*: indicat neutiquam ausum fuisse Abraham, quum Angelis mensæ accumbere, sed famulorum in morem illis accumbentibus adstitisse. Sara vero retro, & a tergo conjugis constiterat; quumque ab eo in spem prolis erigeretur, risit in corde suo.

In tempore hoc revertar: & erit Sa- [*ra*]

ræ filius. Patet his verbis sobolem Saræ promitti: promissionem autem idcirco post prandium distulit, ne forte putaret Abram eam sibi ab hospite promitti ad aucupandum epuli lautioris honorem. Cur autem Angeli Sodoma profecturi, id Saram latere voluerunt? Consulto hoc factum, ne illa fratri Loth interitum instare suspicata, lamentationibus & fœmineo clamore oppleret omnia. Abrahæ contra manifestandam esse profectionis causam Angeli censuerunt, ut suas preces interponeret. *Dixit Deus: non abscondam servo meo Abram quod facturus sum*. Porro si Abram pro Sodomitis orans, infra numerum decem justorum descendere noluit, credo eum intra hunc limitem se ideo continuisse, ne videretur de Lothi dumtaxat salute sollicitus: præsertim quando illum a Deo minime desertum iri, credere debebat; nec certe suam erga nepotem caritatem esse divina majorem. Interea considera, Deum Sodomitarum neutiquam misertum fuisse, Abramo nequicquam pro illis orante. Attamen, ne in eo negotio se a Deo contemtum putaret, confestim ab illo intellexit, Sodomitarum insaniam in tantum auctam, atque pervulgatam fuisse. ut habito censu, ne justi quidem quinque in ea hominum frequentia reperti fuerint. Et vero credibile est, Deum Abrami precibus commotum, sceleratæ gentis miserturum fuisse, quamque promeruerant, cladem aversurum, si non plures, quinque saltem justos invenisset. Inde porro factum est, ut Abram certior factus, ne paucos quidem pios inter Sodomitas inventos fuisse, non modo æquissimo animo ferret, intercessionem suam admissam non fuisse; sed & ipse secum statueret, illos haud immeritos periisse. Aliam adhuc ob causam Deus Sodomitarum misertus non est: ne scilicet, si ruinam evasissent, vicinos populos suis moribus inficerent. Sed in hoc ipso, quod Sodomitis pœnam irrogavit, dupliciter profuit: primum, quia flagitia eorum, ne in immensum excrescerent, opportuna castigatione coërcuit. Secundum, quod propter infamem crudamque necem Dominus in futuro judicio cum ipsis mitius agere statuerat, etsi non omnem, quam meruerant, pœnam illis remittere: id enim Christus innuisse videtur, quum dicit: Sodomam & Gomorrham majorem remissionem in judicio inventuras, quam civi-

Matth. 11.

[illegible]

A vitates, quæ Apostolorum prædicationem respuissent. Postremum, illorum supplicio cæteros populos absterrere, similique pœnæ metu emendare volebat. *Et pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem, & sulphur a conspectu Domini.* Quod ait, *Dominum a conspectu Domini ignem depluisse*, Sodomamque consumsisse, Filium connotat, per quem omnia facta sunt, & quod *Pater non judicat* (*Jo: 5. 22.*) B *quemquam, sed omne judicium dedit Filio.* Simile in Zacharia occurrit: *Dixit Dominus*, inquit, *ad Satan: increpet Dominus in te Satan.* (*3. 2.*)

Superiori capite Dei cum Abramo colloquium Scriptura retexens, nusquam meminit, illum Abramo se aliqua sub imagine videndum obtulisse: sed, *factus est*, ait, *sermo Domini per visionem ad Abram &c.* Mox quum Abram divino (*Jac. Edess.*) C instinctu concitus dixisset: *Filius domus meæ erit hæres meus*: Deus illi filium nasciturum pollicitus, adjecit: *Ego sum, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam.* Quumque instaret Abram, ac diceret: *Unde sciam, quod possessurus sum eam?* Deus illi diserte prædixit futuram nepotum servitutem, & celerem servitutis finem, & utrumque in lampadibus repræsentavit, & in victimis, quas D ad sanciendum pactum cum Abramo fœdus ab eodem mactari præceperat. Paulo post etiam Ismaelem ex ancilla dedit. Cæterum in ea allocutione Deum ea quidem verba fecisse ad Abramum Scriptura refert. Utrum autem sese illi videndum exhibuerit, non indicat. Quod tamen non siluit hoc capite, & sequentibus, ubi disertis verbis narrat Deum Abramo loquutum fuisse, simul etiam se E conspicuum & spectabilem præbuisse, puta quando dixit: *Ego Dominus omnipotens: ambula coram me, & esto perfectus*, promisitque multarum gentium patrem se illum facturum, nomenque mutare jussit, & circumcisionis ritum suscipere. Et quando mutato similiter nomine Saræ, liberos ex eadem se illi daturum respondit. In præsenti capite aliam apparitionem Scriptura narrat a superiori- F bus in eo dissimilem, quod in illis significat Deum apparuisse & loquutum fuisse, nec vero indicat utrum sub aliqua corporea specie videndum se obtulerit: quod quidem hoc loco late fuseque explicuit, pluribus retexens, quomodo simul Deus se Abramo spectabilem fecerit, simul ab Abramo claro die conspectus

Sup. 15. 3. — *Sup. 15. 8.* — *Sup. 17. 9.*

ctus fuerit. *Quumque*, *inquit*, *elevasset Abram oculos*, *apparuerunt ei tres viri stantes prope eum*. At quidnam id est? Unus loquitur: *Dixit Dominus*, ait, *ad Abram &c.* idemque in numero plurium enunciatur, & sub multiplici imagine paret. Quid? num quispiam in hoc vado hæsitabit, ut argutando post multa concludat, inepte veram hic Dei apparitionem obtrudi? Quum Scriptura contrarium affirmet, subdens: *Vidit tres viros*, *& cucurrit*, *& adoravit pronus in terram*. Hæc sane verba veram fuisse apparitionem manifeste convincunt, nec nisi vero temere & imperite, ad significandum merum phantasma & inane spectrum distrahuntur. Jam quum & vera fuerit apparitio, & unus apparuerit, unusque conspectus fuerit, idemque in tribus fuerit adoratus, quemnam hunc fuisse putemus? Illum certe, quem arbor vitæ in medio paradisi locata repræsentabat, Patrem, inquam, Filium & Spiritum: unum Deum, unam essentiam, regnum, dominationem atque virtutem unam. Quod etiam Abram intellexit, & facto & dicto testatus est, quando tres personas haud aliter, quam unam & alloquutus est, & adoravit: *Domine*, inquit, *si inveni gratiam in oculis tuis*, *ne transeas servum tuum*. Mox mutato verborum ambitu subdit in numero plurium. *Tollite pauxillum aquæ*, *& lavate pedes vestros*, *& recumbite sub arbore &c.* Omnia audis in numero plurali; talia vero, qualia bonos hospites in amica domo audire oportebat. Cæterum, etsi horum gestorum narratio per multas ambages ac tormenta verborum ducta sit, nec oppido in multis sibi constet, quin singularem numerum cum plurali in eodem contextu sæpe confundat; nemo tamen talia relegens contra mutire audeat, ut dicat, tres, non unum fuisse Deum. Tres utique fuere personis & proprietatibus distincti, non unus: adeo ut si pure & vere de illis loquimur, ita statuamus: est hoc unum tres: hi tres unum sunt. Scilicet, nec qui alterum adstruit dicens: est hoc unum tres, destruit alterum: hi tres unum sunt.

Post hæc subdit Scriptura, Hospites, qui Abramo apparuere, comedisse. Visi nimirum comedere, cum reipsa non comederint. Deum enim nec manducare, neque cibo egere manifestum est. Quod si eos comedisse dicas, cedo, quo modo? Sin autem negas, qua ratione Scriptura affir-

A B C D E F

[illegible]

A affirmat, eos comedisse? Ita quidam disputant, & quæstionem urgent. Quo modo id fieri potuerit, vel factum fuerit? Quibus primum dicimus: ubi de Deo sermo est, illud *quomodo* otiosum esse, quum omnia Deo possibilia sint: etsi bene multa, quæ ab eo fieri possunt, non perinde a nobis possunt comprehendi. Modus ergo, quo Abrami hospites comederint, præpostere ac perperam a nobis B quæritur. Nec vero immerito reprehenduntur, qui temere & nimis curiose talia scrutantur. Interim ad legentium utilitatem, qui bono modo ista scire desiderant, hoc habeto. Quemadmodum Deus pro ea potestate, cui cuncta parent, Abramum alloquuturus, corpoream imaginem assumsit, quoniam alia ratione ab homine videri non potuit natura ab omni materiæ concretione sejuncta: C ita congruenter dicimus, Deum in præsenti apparitione speciem corpoream vere exhibuisse, & in vera imagine comestionem: quandoquidem verba Scripturæ istuc proprie significant, quamquam vero verius sit, Deum neutiquam corpus habere, aut, quod corporum proprium est, comedisse. Illud tamen pro certo habendum est, qualis qualis ea comestio fuerit, cibos utique eodem tempore ad D Dei nutum evanuisse. Si quæras, quo modo id factum? cogita Deum id fecisse, cui omnia obediunt.

Quæ porro ab Angelis, Sodomam petentibus, interim acta leguntur, mirifice declarant admirabilem Dei clementiam & benignitatem, qui neminem vult perire, paratus pœnam etiam peccantibus remittere, modo inter eos inveniat aliquos, etsi nec magnos, nec multos, E quorum incolumitati & saluti ex jure & justo cavendum sit. Hic simul observa, eos, qui Sodomam profecti dicuntur, homines idcirco appellari, quod sub humana specie ab Abramo suscepti sunt. Eosdem etiam Angelos quandoque nominari, quia duas divinas personas repræsentabant, Deum Verbum, & Spiritum Sanctum, qui magnæ mentis Dei Patris Angeli dicuntur. Quod autem Scriptura F duos dumtaxat Sodomam profectos indicat, & tertium, quem Dominum appellat, præterit, mysterium est, quo intelligas Patrem per Filium, & Spiritum Sanctum omnia agere: rursus, quod, ut Christus ait, *Pater non judicat quemquam*. Alioquin, qui factum, aut fieri potuisse dicas, ut, relicto Patre, Filius disce-

Jo: 5. 22.

discederet, qui perinde ac Pater implet omnia, quique dicit, *Pater in me est, & ego in Patre*? Hic vero locus maxime confirmat, quod frequenter superius adnotavimus, hujus libri authorem Spiritum Sanctum sæpe stylum ad captum nostrum, qui pueri sumus, attemperasse, ut in sequentibus etiam manifestius apparet, dum Angelos hunc in modum Lothum alloquentes inducit: *Non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc*. Ubi duos præter usitatum loquendi morem singularem numerum usurpare audis. Loth similiter in eodem insistens numero illos interpellat: *Ecce*, ait, *inveni gratiam coram te*: *& magnificasti misericordiam tuam, quam fecisti mecum, ut salvares animam meam*. Cui illi, in numero itidem & pronomine singulari sistentes, respondent. *Ecce ego suscepi faciem tuam, etiam in verbo isto, ut non subvertam urbem, pro qua loquutus es*. Quemadmodum itaque ista manifeste convincunt, Angelorum hic vocabulum ex quadam dispensatione usurpari, nec vero Angelum fuisse, imo verum Deum, qui dicebat: *Non possum facere quidquam*: ita perspicue probant, Deum hujuscemodi loquendi modos ex usu nostro mutuatum fuisse, quum, sententiam adversus Sodomitas dictam, statim exequi nollet, morasque interim captaret, donec Loth perfugii locum, quem petebat, iniret.

Jo: 10. 38.

De filiabus Loth.

S. Ephr.

De filiabus Loth, quæ seipsas temulento parenti prostituerunt in Segor urbe refugii, hæc discito. Primum, quod filiæ Loth in eo loco invenere vinum, præsignabat, prædia opesque Segor ad earum hæredes quandoque transituras. Quod autem duplicem ignominiam quæsierunt singulæ propriam, connotabat, sobolem in duas gentes divisum iri. Credibile tamen est illas mores correxisse suos, & posteriore continentia priorem intemperantiam purgasse. Peperit ergo major, natumque appellavit Moab, qui ob meritum patris in gentem postmodum excrevit: peperitque minor, nomenque filio dedit, *Bar Ammi*, Filius populi mei: fuitque pater filiorum Ammon.

De

A

[illegible]

De Abimelecho Saræ nuptias ambiente.

Quoniam Sara acceptum de futura prole oraculum opere complendum vix credebat : imo recogitans rei magnitudinem , & difficultatem perinde atque impossibilem , secum ipsa risisse dicitur . Propterea ut miraculum miraculo fidem præstrueret , continuo vetula anus ad pristinam juventutem revocatur , eo utique numine , quo Naamanis *Caro restituta est sicut caro pueri* , & arida Aaronis virga refloruit . Quamobrem nec mirum fuit , si Abimelech ejus nuptias ambiverit , quas tamen adeptus non est , quia Sara Isaacum in ventre portabat . Rursus quia Abrahæ oratio intercessit, ne uxor ejusmodi probrum sustineret . Ne porro Abimelech Saram contingeret, Deus hominem subito sopore oppressit . Divinitus ergo prohibitus est a Saræ concubitu , ne post nasciturus Isaac non Abrahæ , sed Abimelechi filius crederetur : quæ est tertia causa , cur tanti filii mater Regis libidini permissa non fuit. Correptus a Domino Abimelech , quod Saram etsi citra vim & injuriam abduxisset : *Domine* , ait , *num etiam gentem justam interficies* ? Quo ostendit, se ex inculpabili ignorantia talia ausum fuisse. Atenim Pharaoni , Deo permittente , patuit ad Saram accessus , quia eadem conjugem ex præsumta opinione sterilem esse credebat , ipsique palam istud exprobrare solebat . Abimelechum rursus vehementer terruit pœna mulieribus inflicta , *quarum vulvas* , ut Scriptura ait, *Dominus conclusit*. Tradunt nimirum, Rege Saram ad proprias ædes traducere cogitante , fœminas ad ipsum quoquo nexu attinentes, vehementissimos dolores continuo sentire cœpisse , quales parturientium esse solent; nec tamen quotquot gravidæ erant , emisso fœtu iis relevari potuerunt usque adeo, donec Sara marito restituta fuit.

4. Reg. 4. 14.

Dixitque Abimelech ad Saram : Eo quod velaveris oculos omnium , qui mecum sunt &c. Abimelech cum Sara conqueritur injuriam , sibi suisque domesticis factam : quandoquidem Regem palam objurgaverat, & quidem acerbissime, ut diceret: Iniquus es Rex, si legitimæ uxori scortum superinducere paras . Jam , si , quod supra animadversum est , Sara ad an-

A annos primæ juventutis reducta non fuit, adeo ut repubescens deperditam oris speciem reparaverit; quis credat Abimelechum anum capularem & nonagenariam deperiisse? Cæterum Abram non est mentitus Abimelecho affirmans Saram sororem esse suam ex eodem patre natam, non item ex eadem matre. Soror enim ejus ex patre fuit, quia filia fratris; non etiam ex matre, quia Aran Saræ pater Abrami sororem non duxit, sed uxorem B ex alia stirpe sibi quæsivit. Postremum hic subjicio, quod supra notandum fuit, Abramum, quando dixit: ego vadam absque liberis: ita loquutum, non quod existimaret se vitio ætatis jam devexæ filios procreare non posse. Constat enim eundem postmodum ex Cetura plures liberos sustulisse; sed quia operis magnitudo, de quo Abram cum Deo tunc agebat, talibus verbis indicanda fuit. Sic C David septuagenarius virginem duxit in remedium frigoris oblatam; ab ea tamen abstinuit, non quo defectus annis, liberis operam dare non posse se crederet, sed quia ob factam Uriæ injuriam castigatus, concupiscentiam frænare didicerat; sive quia, ut alii senserunt, sic Deum oraverat: *Proba me Domine*, *& tenta me*: nunc rursus tentandus fuit, qui alias in Bethsabea tentatus, turpiter labi permissus D fuerat, ne in superbiam laberetur.

Psal. 25.

DE IMMOLATIONE ISAAC.

CAP. XXIV.

S. Ephr.

Post verba hujusmodi dixit Deus ad Abraham: surge tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac; & vade offer illum mihi in holocaustum super unum montium, quem dixero tibi. Accepto Dei oraculo Abraham continuo ad imperata facienda E se accinxit, nec invitus, nec trepidus, nec anxius. Non enim præcipientem interpellavit, aut secum de præcepto obmurmuravit: huccine, inquiens, reciderunt ingentia illa promissa: *In semine tuo benedicentur gentes: tuque multarum gentium futurus es pater: & filius tuus, qui egredietur de lumbis tuis, ipse tuus hæres* F *erit.* Contraria dictis omnino sunt facta: hunc scilicet hæredem jubet modo mactari sibi, imo cremari. Nil minus Abraam cogitabat, imo tutissime credidit Deo dicenti: nec dubitavit fore ut ille, qui ex utero sterili prolem concesserat, hominem sibi amicum eo carere solatio minime esset passurus; quin etiam posset pue-

A puerum jugulatum & extinctum, vivum sanumque parentibus restituere. Magna profecto fuit Abrahæ fides, ut omnia, quæ Deus pollicitus fuerat, citra omnem inquisitionem crediderit fore implenda.

Tertio die elevavit Abraham oculos suos, & vidit locum a longe. Quo indice agnovit? Quum hoc cœlesti voce Abrahamo significatum fuisse Scriptura non referat, existimo, si quidem Deus
B Abrahamo locum sensibili signo declaravit, id verbis, aut nutibus præstitisse, puta digito montem monstrando. Sed & credibile est, Abrahamum, quum magno Sacerdoti Melchisedecho in eo monte sacra facienti frequenter adstaret, ab eodem didicisse, sacramentum salutis humanæ eo in loco fore complendum. Perinde probabile est Melchisedechum di-
C vinitus admonitum, ob reverentiam futuri mysterii ibidem sæpe sacrificasse, & orasse. Istuc pariter in causa fuisse ajunt, ut Adami cadaver ejus filii illic humaverint; indeque, diluvio imminente, in arcam a posteris translatum, iterum, illo cessante, in eodem monte fuerit repositum. Hunc ergo montem condixit Abrahamo Deus, mandavitque, ut filium suum Isaac eodem in loco immolaret, in quo
D ipse filium suum tradere in mortem decreverat. Porro arietem ibi non fuisse, indicat Isaaci interrogatio: & ligna ejus humeris imposita testantur, nec inibi arborem extitisse. Mons ergo arborem, arbor arietem protulit: ejus proinde ramis hærebat: inde extractus pro Isaaco immolatur.

Jacob. Edes. Dei consilium in præcipienda Abrahamo filii immolatione fuit, primum, ut
E illius fides & caritas, ea data occasione, magis innotesceret, eoque clarior & illustrior virtutis ejus notitia ad posteros propagaretur. Rursus ut in sacrificio Isaaci, quod tamen perfectum non fuit, perfectam immolationem, & veram mortem Unigeniti Filii Dei, velut in propria & viva imagine intueremur. In ea scilicet actione Isaac Christi personam gessit. Pue-
F ri eidem adjuncti, viæ quidem comites, mysterii tamen ignari, Judæos ignorantes & divini consilii minime conscios significabant; perinde atque asinus, quo cum expectare rediturum jussi sunt, eorundem Judæorum stolidam cæcitatem. Aries Isaaco substitutus agnum Dei figuravit, qui abstulit peccatum mundi. Necesse quippe fuit sacrificium consummari, etsi ab

ab Isaaci immolatione salus mundo fieri non potuit. Postremum ne si Deus Abrahamo filium immolare concessisset, istud parentibus exemplum fieret proprios filios necandi: propterea aries pro Isaaco mactatur. Quum vero audis, illum cornibus hæsisse arbori, quam hebraicus textus hic סבך *Sebac* appellat, nec istud abesse a mysterio Crucis discito; nec hostiam a sacramento sancti altaris.

A [illegible]

CAP. XXV. *S. Ephr.*

D*Ixitque Abraham ad servum suum seniorem domus suæ: pone manum tuam super femur meum, ut adjurem te per Dominum Deum cœli & terræ.* Idest: per Jesum Christum Deum cœli & terræ. In hoc scilicet sensu eum loquutum fuisse credibile est, qui ad cognoscenda divinæ mentis arcana admissus, ipso Deo docente didicerat futurum in novissimis diebus, ut Christus susceptæ ex ipsius sobole carni communicaret, ductaque a Davide origine ex Salomone, & Nathano, velut ex naturæ legisque utero nasceretur. Alium etiam sensum capiunt illa verba: *Pone manum tuam &c.* ut intelligatur Abraham adjurasse servum per pactum Circumcisionis: eodem ritu Jacob, quum mortifere ægrotaret, Josephum adjurasse dicitur.

B [illegible]

C [illegible]

CAP. XXVI. *S. Ephr.*

A*Braham vero aliam duxit uxorem nomine Ceturam, quæ peperit ei Zamran, & Jecsan &c.* Etsi Abraham plures ex Cetura liberos sustulisset, eos tamen domi retinere noluit; quin plurimis affectos donis Orientem versus secedere jussit, aliasque sibi sedes quærere, & Isaaci posteris tributa pendere.

D [illegible]

ABRAHAMI TENTATIONES.

E [illegible]

DEcem tentationes Abrahamo acciderunt. Prima, jussus natale solum relinquere, statim paruit, & Deo vocanti obsequutus est. Secunda, sublata est Sara in domum Pharaonis; & Abraham de Deo conquestus non est. Tertia, pastorum Loth jurgium, cujus causa nepoti optionem detulit, ut, quas vellet, terras sibi haberet, & ipse ab eodem secessit. Quarta, quando delatas a Sodomitis manubias ultro recusavit, etsi ob restitutam eisdem proprio periculo libertatem sibi obvenientes. Quinta, quum Deo pollicenti copiosam posteritatem, & stellarum numerum multitudine æquaturam,

[illegible]

F [illegible]

[illegible]

[illegible]

A ram, credidit: *Et reputatum est ei ad justitiam*. Sexta, quum Hagarem supra Saram sese insolentius efferentem, ejusdem potestati iterum subjicere compulsus est, mox etiam relegare, Deo dicente: *Ejice ancillam*: nec Saræ restitit, ut, eadem invita, ancillam retineret. Septima, quum Circumcisionis signum suscepit, & nomen mutavit. Octava, Saræ raptus, Abimelecho ejus nuptias optante. Nona, quum
B audiit Deum præcipientem: *Tolle filium tuum, quem diligis Isaac, & offer illum mihi in holocaustum*. Decima, quum servum Isaaco uxorem quærere jussit, dicens: *Pone manum tuam subter femur meum &c.*

Et egressus est Isaac ad deambulandum sub vesperam, idest, *ad orandum*, sicut in Hebræo legitur. *Perrexitque Rebecca, ut consuleret Dominum*. Responditque Melchise-
C dec: *Duæ gentes ex ventre tuo dividentur, & gens gentem superabit*. Tradunt Rebeccam Deum consulturam, ad Melchisedechum sacerdotem jam senem ideo profectam fuisse, quod confideret, eo orante, viscerum tormento se fore relevandam: quod & factum est, ingruentibus illico partus doloribus, ut domum festinato redire cogeretur. Duæ gentes & duo populi, Idumæos manifeste designant, & Hebræos. Et
D egressus est primus capillorum habens anulos, seu cincinnos, pro quo in Hebræo, stolam hispidam.

Perrexitque Rebecca, ut consuleret Dominum &c. Hæc primum ad sensum historicum exponenda sunt. Locus igitur, quo Rebecca profecta est, indicandus, & persona, per quam Dominum consuluit. Dicimus Rebeccam ad sanctum senem Melchisedechum accessisse, sacerdotem Dei
E altissimi, & expressam Christi venturi imaginem. Quare per eundem mulieri Dominum respondisse in hæc verba: geminos in utero geris, futuros duarum diversarum gentium principes. Quamquam ex præcedente Dei electione, qui natu major, dignitate minor erit, & fratri serviet: & hic illum superabit, & subiget. Quæ quidem ex subjecto argumento, & mente dicentis, significant Idumæorum gen-
F tem, cujus auctor Esau, potentia & opibus minorem futuram populo Israëlitico, Jacobi minoris fratris sobole. Eadem ad sensum allegoricum traducta repræsentant, velut in propria & perfecta imagine, futuros Judæorum & gentium casus. Judæorum namque natio omnium quondam nobilissima, & in Dei cultu prima, ab co-

Jac. Edess.

eodem tandem filii natu maximi prærogativa, & juribus spoliata fuit, domoque ejecta. Populus vero gentium alias despectus, & a sua conditione minimus, a Deo electus est, arctaque eidem affinitate adjunctus: quemadmodum vaticinatus fuerat Daniel Propheta, & affirmat divinus Apostolus Paulus, hæc de Rebeccæ filiis scribens: *quum nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, innotuit præcedens electio Dei, ut esset non ex operibus, sed ex vocante: dictum est enim, quia major serviet minori, sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

CAP. XXVII. S. Ephr.

E*T ascendit inde in Beer Seba.* Istud puteo nomen hæsit ex juramento, quo Isaac, data pace, Abimelecho suam in eo loco fidem obligaverat. Aqua scilicet, quæ præteritæ contentionis & rixæ causa fuerat, cadem inimicitiæ discordiæque symbolum ac monumentum evaserat. Et quoniam, quid post eas rixas alter in alterum animo interim coqueret, neutri patebat; indeque alteri alter suspectus erat: recte visum utrique fuit, concordiam & mutuam caritatem jure jurando firmari. Juramentum, hebraice Seba, æquivocum est, ut septenarium etiam numerum significet. Credibile est in utraque significatione nomen puteo factum fuisse, id est, tum ex septenario numero ovium eo in loco ab Abimelecho accepturum, tum ex dicto ibidem, pace confecta, sacramento.

Jac. Edess.

Unde nomen puteo inditum fuerit, qui passim Bersabea appellatur, non satis liquet; Divina Scriptura plures causas, & ab invicem longe remotas indicante. Constat tamen eam appellationem natam fuisse; vel ex septem agnis, quos pro pretio putei Abraham Abimelecho constituit, vel ex jurejurando, quo mutuam sibi invicem fidem ambo sanxerunt. Juramentum quippe Hebræis est Seba, adeo ut Bersabea idem sit, ac puteus juramenti. Aliam adhuc innuit Scriptura ejus nominis causam illis verbis: *Venerunt servi Isaac annunciantes ei de puteo, quem foderant, atque dicentes: invenimus aquam: unde appellavit eum Seba, idest abundantiam; & nomen urbi impositum est Bersabea usque in hodiernum diem.* Inde puteo etiam nomen hæsisse videtur.

S. Ephr.

Esau quadragenarius duxit uxores Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon Hevæi. Filia Ismaelis Isaaci filio Esau nupta, primum dicta fuit Mahalath,

[illegible]

lath: deinde nomen mutavit, & *Basemath* appellari annuit, obsequuta marito, istuc flagitanti in gratiam filiæ Elon *Basemath* defunctæ, uxoris sibi quondam carissimæ.

Esau quadragenarius duxit uxores Judith filiam Beeri Hethæi, & Basemath filiam Elon Hevæi, quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ. Viri docti bene multi opinati sunt, has Esau uxores easdem omnino esse, quas infra Scriptura aliis nominibus recenset: eas scilicet nomen mutasse putant, & post nuptias ea nomina sibi ascivisse, quæ Scriptura infra commemorat. Alii nihilominus aliter sentiunt, & has ab illis diversas fuisse affirmant; & hanc ego opinionem sequor. Ex prioribus namque uxoribus Esau liberos sustulisse non constat, quippe quæ sanctorum animum offenderant. At istæ ab eodem postmodum ductæ, Hada videlicet filia Elon Hethæi, & Ooliba filia Anæ filiæ Sebeon, & Basemath filia Ismaelis, plurium filiorum fuere matres, quos Scriptura distincte enumerat. Invenimus pariter sanctum Job ex Esau stirpe satum, ab Abrahamo generationum ordine quintum. Abraham scilicet genuit Isaac, hic geminos Jacob & Esau, Esau ex Mahalath filia Ismaelis suscepit Rahuelem, & hic genuit Zare, cujus filius Jobab, qui & Job. Ex eodem Scripturæ loco simul discimus duos Amalech. Primus fuit, quem Scriptura commemorat, ubi narrat Reges Chodorlahomoris socios venisse ad fontem Dina, ipsa est Racam, & omnes Amalecitarum principes percussisse. Alter fuit ex stirpe Esau filius Thamnathæ, concubinæ Eliphaz filiæ Seir. Fuere autem duo populi ejusdem nominis, genere tamen distincti. Qui autem cum Israëlitis pugnasse dicitur, existimo fuisse primum illum natione Amorrhæum.

Jac. Edess.

Infr. c. 36. 2. 3.

Sup. 14. 7.

Exod. 17. 8.
Nu. 14. 43.

[illegible] UTRUM

A

Utrum idem Abimelech fuerit, qui primum cum Abrahamo, deinde cum Isaaco foedus et amicitiam iniit.

[illegible]

Jac. Edess. Narrat Scriptura, Abimelechum, Geraræ in Palæstina Regem, cum Abramo societatis & amicitiæ fœdus jurejurando sanxisse. Hinc inter hujus libri expositores quæstio, magna utrinque contentione, disceptatur: dum alii affirmant, hunc Abimelechum, ejusque militiæ principem Phicol eosdem esse, quos Scriptura refert cum alio interprete Isaacum post annos centum convenisse. Alii contra diversos fuisse contendunt. Mihi sane videtur, attenta temporis distantia, incredibile, eosdem ipsos esse potuisse: qui enim ad Abrahamum venere, cum eodem pactionem fecisse dicuntur anno ætatis Abrahami nonagesimo nono, quando nondum Isaac natus fuerat. Qui autem postmodum cum Isaaco congressi sunt, convenerunt anno quadragesimo ætatis Jacob & Esau; & videntur, alium pacis & amicitiæ conciliatorem adhibuisse, communem forte utriusque partis amicum, quem hic Ochozath Scriptura appellat. Ex hac longissimi temporis differentia plane constare videtur, multo probabilius esse, istos ab illis alios fuisse, atque omnino diversos. Quare existimo eos, qui Isaaci amicitiam ambierunt, nepotes fuisse illorum, qui de pace parentem ejus Abrahamum interpellarunt. Hunc nempe morem hominum esse constat, ut defunctorum parentum nomina filiis, ac nepotibus imponant.

B C D E

[illegible]

Sensus allegoricus benedictionum Isaac: ubi de Jacob et Esau.

[illegible]

Cap. XXVIII. *S. Ephr.* Jacob populum ex gentibus collectum designat, qui quidem, antequam in Christum crederet, Judaico minor fuit; Christi vero suscepta fide, primogeniti prærogativam adeptus est, & per spiritualem regenerationem, & rerum divinarum scientiam non humano, sed divino consilio crevit in millia sine numero, & in myriadas sine fine. Esau similiter Israëliticum populum figurabat, qui primus in di-

F

[illegible]

A Dei familiam ascitus fuit, & ab eodem audiit: *Filius meus primogenitus Israel*. Sed quoniam Deum, a quo mirabiliter & magnifice fuerat liberatus, deseruit, & ab illo per Prophetas sæpe reprehensus, minime resipuit, quin imo Dei Filium novissimo tempore ad se venientem indignis modis excepit, conviciisque & contumeliis affectum egit in crucem; justo utique judicio exhæres factus est & domo ejectus. B Mox ingrato Judæorum populo substituta fuit ecclesia gentium, populus simplex dolique expers, & Jacobo admodum similis. Hanc Deus suis benedictionibus dignam putavit & magnifice auxit. Sic Deus ad effectum perduxit, quod ab omni æternitate decreverat futurum rato tempore, ut *fierent novissimi primi, & primi novissimi*. Perinde Rebecca, quæ prudenti consilio benedictionem Jacobo comparavit, C Ecclesiæ, quæ domus Dei est, personam gessit. Ecclesiæ namque filius populus gentilis per Jacobum figuratus, piæ matris opera benedictionem consequutus est: & quidem duplicem, alteram sublimem & cœlestem, humilem alteram ac terrenam: utramque per Christum, Rebeccæ nepotem, *qui factus est nobis a Deo justitia & sanctificatio*. Ita demum Abrahæ D facta promissa Deus perfecte absoluteque complevit. Dixerat enim: *Benedicentur omnes gentes in semine tuo*: Gemina utique benedictione, ut dixi, sublimi, & humili. Unus enim est Christus ex humanitate humili, & ex divinitate sublimi. Idemque *benedictio uberum & vulvæ* factus est nobis, qui pro nobis ab uberibus sanctæ Virginis lac suxit, quando *per viscera misericordiæ suæ* etiam *pro nobis homo factus est*.

Exod. 4.23.

1. Cor. 1. 3.

E *Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus*. Plenus ager, cui Isaac filium suum similem dicit, Paradisus fuit, idemque benedictæ Mariæ figura est: Maria nimirum cœlestem illam spicam nobis protulit Christum nova secundum carnem generatione natum, ex qua panis vitæ confectus est nobis. Eadem virgo fuit ager, cui benedixit Dominus, nobisque dedit spicam cœlestem F pro campo, cui idem Dominus maledixit: terra quippe maledicta Heva fuit, illa mater viventium.

S. Ephr.

CAP. XXIX.

S. Ephr.

ET *ait Esau ad Isaac: num unam tantum benedictionem habes pater?* Unam utique benedictionem habuit Deus: unus enim est Christus, *qui factus est nobis* ju-

A *justitia*, *& sanctificatio a Deo*: & hanc benedictionem populus gentilis ad Christum conversus sustulit, ille, inquam, populus, qui per fidem factus est filius Abrahæ, & benedictionem perinde ut Abraham accepit ab illo, quem Abrahæ filia Virgo Maria peperit secundum carnem. Mysterium igitur attende, nec putes Isaaco benedictiones defecisse. Sed quum prævideret unum Christum esse venturum, & hunc ab Ecclesia gentium B recipiendum fore, prænunciavit Judæos sine benedictione mansuros. Quod autem postmodum Esau benedictionem accepisse legis, id porro significabat, Esau posteros Christum Judæis promissum postea suscepturos.

CAP. XXX.

S. Ephr.

V*Idit Jacob in somnis scalam &c.* Sic arcano sermone vocat viam, per quam Christus de cœlo in terram patri- C bus promissam venit, & inde ad inferos descendit. Quum vero Patriarchæ apparuisse audis quosdam scalam ascendentes, atque alios descendentes, homines & Angelos cogita, illos quidem cœlo invectos, hos vero in terram delapsos, postquam Christus in terram è cœlo descendit, suoque descensu *maceriam inimicitiarum solvit* (Ephr. 2. 14.). Tum enimvero summa imis conjunxit, & supremos infimis sociavit. D *Et Dominus stabat super eam*. Necdum enim Verbum Caro factum descenderat: sed quod rato tempore futurum in præsenti parabatur, Jacobo in visione monstrabatur. Idcirco autem scalæ speciem induxit, ut suæ de cœlo descensionis mysterium explicaret. Perge porro atque in eodem symbolo Crucem Christi agnosce. Dominus enim in summitate scalæ visus, Christus est Cruci suffi- E xus: simul Angeli descendere visi sunt, quia ad ejusdem sepulcrum constat Angelos descendisse. Sic porro a Christi morte homines per Crucem ejus ascenderunt, & descenderunt Angeli. Hi quidem, quum nostræ salutis in Christo administratores a Deo missi, terram deinceps frequentare cœperunt. Nos vero cœlum conscendimus, postquam Christi ope Dei F mandata complere, & legem observare didicimus.

Et tulit lapidem, *quem supposuerat capiti suo*: *& erexit in titulum*, *appellavitque nomen loci illius Bethel*, idest, *domum Dei*. Hæc agebat Jacob præsentia contuens, & futura præsagiens. Simul lapidem unxit, simul votum nuncupavit, & la-

[illegible]

A lapis quidem Ecclesiam Christi manifeste figurabat: conceptum autem juxta lapidem votum, vota omnium gentium & dona signabat, ad Christi Ecclesiam affluxura: quam quidem ex variis gentibus coalituram, idem Jacob prænunciavit; quum virgas versicolores secus profluentem pecori potaturo supposuit: colorum enim varietas multiplicitatem & diversitatem gentium, ex baptismo renascentium B adumbravit.

[illegible]

QUARE JACOB, QUI GEMINAS SORORES DUXIT, A SCRIPTURA REPREHENSUS NON EST.

[illegible]

CAP. XXXI. *S. Ephr.*

JAcob Rachelem sibi desponderat: Racheli Liam fraudulentus Laban supposuit: utramque demum Jacob ducere compulsus est. C Liam quidem, utpote quam a corporum commistione suam carnem fecerat: sique repudiasset, stupro infamem in posterum fecisset. Rachelem vero, ne fidem falleret. Egit itaque Jacob, quod justum & æquum fuit: culpa proinde omnis in Labano hæsit. At, qui factum dices, ut Jacob Liam cum Rachele confunderet? Videtur enim incredibile, contubernales fœminas, post D diuturnam in eadem domo moram, ignotas illi esse potuisse. Hic enimvero mirare eximiam Jacobi verecundiam & pudorem, qui tam longa consuetudine victus non est, ut alterutram sororem curiosius aspiceret; adeo ut Liam dignoscere, nisi post nuptias, non potuerit.

[illegible]

CAP. XXXII. *S. Ephr.*

D*Ixit Rachel ad Jacob: da mihi liberos, alioquin moriar.* Hæc Rachel, E verita, ne, si liberis orba maneret, mariti odium incurreret; hunc ergo urget, ut uxoris orbitati prospiciat: quippe quæ bene noverat Abrahamum orando conjugis sterilitatem curasse: Rebeccam similiter Isaaci precibus magna progenie auctam: inde conjectabat Jacobo orante se pariter aliqua a Deo prole beandam, præsertim postquam animadvertit, ad illius votum agnos in ventre matrum co- F lorem, quem ipse optaverat, induisse; credidit eadem illum potestate præditum in mulierum conceptiones. At Jacob talia petenti stomachatus, ut qui Deo se æquiparari cerneret: quid? respondit: *Num pro Deo ego sum, qui privavi te fructu ventris?* Ostenditque, cujus esset potestas rerum, quemve credere oporteret

ret dominum ventris, & in ventre formandi fœtus opificem. Sic Rachel, conjuge monente, didicit sterilitatis curationem a Deo esse quærendam.

CAP. XXXIII. ET XXXIV.

Jac. Edess.

ET reversus est Laban in locum suum: Jacob quoque abiit itinere, quo cœperat, fueruntque ei obviam Angeli Dei, quos quum vidisset, ait: castra Dei est locus iste: & appellavit nomen loci illius Mahanim, & misit Jacob nuncios ante se ad Esau fratrem suum &c. Merito & jure rogabis, quæ causa fuerit, cur sancto Jacobo Angelorum agmina id temporis ostensa fuerint? Istuc divino consilio gestum & provisum fuisse, certum est. Periculum quippe imminebat, cujus apprehensio Jacobum in eam trepidationem metumque conjecerat, ut prope de salute desperaret. Afflictum itaque Deus atque trepidantem Angelorum conspectu recreat & confirmat. Idem illi paulo ante præstiterat, quum Laban adversus eum infestus veniret: nam & dilecto suo Jacob comitem se individuum dedit, & Labanum severa increpatione compescuit, cavitque, ne genero negotium facesseret. Quare oppido consentanee factum est, ut quoniam Deus illum fratris adventu consternatum videbat, propterea que donis illum placare satagentem, isto etiam metu liberaret, doceretque, timentibus Deum Angelos perpetuo adesse ipsorum salutis & incolumitatis procuratores & custodes: quod Psalmista quoque testatur: *Castrametati sunt*, inquit, *Angelorum Domini castra in circuitu timentium eum, & eripient eos.*

Psal. 33. 8.

S. Ephr.

Jacob septuagesimo septimo ætatis anno profectus est in Phadan (Mesopotamiam) Syriæ. Idem octogesimo quarto duxit Liam & Rachelem, octogesimo quinto ex Lia suscepit Rubenum, sexto Simeonem, septimo Levi, octavo Judam. Nonagesimo primo Jacobi anno Rachel peperit Joseph, & annum nonagesimum septimum agens Jacob ex Phadan Syriæ in Chananitidem revertit: & Rachel alterum Filium enixa est Benjaminum, in Ramatha juxta Ephratam in tractu Jerosolymitano.

Et apparuit Angelus, & cum eo luctabatur, & tetigit coxam ejus, & recessit, hoc est, contracta est. Luctatur Jacob cum Angelo, Angelum superat, idemque ab Angelo superatur: Docendus fuit, quid propriæ vires ferre possent, quid minime: & propriam quidem infirmitatem didicit, dum ad simplicem Angeli at-

[illegible]

attactum obriguisse sibi femur sensit: sed quantum roboris ad hanc imbecillitatem aliunde accederet, intellexit, quando Angelum validis amplexus lacertis, dimissionem petere coëgit, & petenti negavit usque adeo, donec benedictionem amoris testem ab eo vicissim acciperet: hoc enim contendit, ut pugna ex amore suscepta videretur. Dedit Angelus, ne si non dedisset, ille sibi Angelum infensum suspicaretur, quod homo ipse luto & argilla concretus cum illo certare ausus fuisset. Cæterum hujusmodi pugnam ab Angelo compositam fuisse credo, vel quod Jacob decimas, quas Deo pridem addixerat, fratri modo transmittere cogitabat, vel potius ut eundem Esau adventu consternatum erigeret, oblata fortissimi luctatoris specie: & Angelum quidem, se vidisse Jacob paulo post fratri affirmavit: *Faciem tuam*, inquit, *vidi sicut Angeli*. Porro femoris stupor, & inde sublata facultas genitiva grande mysterium portendebat. Quid istuc? Jacobi scilicet soboles Israëlitarum gens sterilis & ægra jacet: fructus honoris, quibus olim exuberare solebat, jam nullos habet, ex quo cum Christo pugnavit. Angelus luctator is plane fuit, qui magnæ mentis Angelus dicitur, Dei Filius, idem dum Jacobum debilitato femore claudicantem reliquit, futura simul adumbravit. Sic enim postmodum actum est, ut Deus homo fieret, & factus homo a Judæis acerbam luctam sustineret, qua tamen illi miserandum in modum debilitati, a semita fidei in posterum claudicarent.

Contemplare quicumque diligis disciplinam, qua charitate Deus multifariam multisque modis iis, qui diligunt eum, prospiciat, subsidia & solatia opportune submittens, quibus confirmati, discant ipsius promissis citra omnem hæsitationem tutissime confidere. Enimvero providens, quale malum Jacobo a socero pararetur, Angelos illi corporis custodes exhibuit. Iterum quum idem fratris metu perturbatus, fugam meditari cœpisset, & opportuna in deserto Jaboc perfugia circumspiceret, cavernas & spelæa atque inaccessas rupes, familiamque interim in duas turmas dividere cogitaret, ut dum altera pugnando hostem detinet, alteri parandæ salutis viam muniret: bonus Deus, etsi cerneret Jacobum facta sibi promissa oblitum, præcipue quod dudum ipsi diserte affirmaverat, dicens: *Revertere in terram patrum tuorum, eroque tecum:* ni-

Jac. Edess. in schol.

nihilominus famulum suum nequaquam deseruit; quin potius ejus animum a divina providentia suspensum attendens, & quamquam humana consilia minime negligeret, in divino tamen auxilio spem salutis suæ illum posuisse, alterum ei solatium in ea cura præbuit, illudque sane maximum. Ergo sicut pater parvulum filium ad pugnam erudire cupiens, cum illo certare se velle simulat, consertisque manibus patitur se ab illo superari, postremum fingens sese neutiquam pares nato habere vires, ad ejus pedes prosternitur, quasi vero tanti adversarii impetum sustinere non possit: quamquam mox assurgens ejus ignaviam ac timiditatem serio increpat, & admonet, ut data occasione quoslibet adversarios, etsi viribus ipse minor, adoriri non dubitet: nec aliam arbitror fuisse præsentem Dei cum Jacobo pugnam. Interim cogita, quomodo Deus, rem ordinaverit: nempe disposuit, ut Jacob ad hanc luctam tum demum descenderet, quum jam nox incubuisset, & ipse præsentis periculi metu consternatus, solus in deserto ageret, vallibus obseptus & montibus, uxorumque & liberorum, atque armentorum cura fatigatus. Has inter angustias deprehensum divinus luctator aggreditur, consertaque pugna, demum per quandam utique dispensationem sic verba componit; quasi vero de manibus ejus elabi non possit. *Et mansit*, inquit Scriptura, *Jacob solus: & ecce vir luctabatur cum eo usque mane &c. Dixitque ad eum: dimitte me, quum videret, quod ejus virtutem superare non posset.* Agesis, quis hac in aqua non hæreat? Audiens a Deo non potuisse superari hominem, & eum hominem, suapte videlicet indole timidum, cuive, ex accidente tunc metu, palpitabat cor & genua tremebant? Quid igitur? Patet utique Deum cum parvulo suo Jacob lusisse: ea scilicet erat vis amoris, quo Dei Filius in eum hominem ferebatur, qui suus futurus erat in carne pater: carnem quippe Verbum induere, præfinitum erat, & in terris videri. Et sane quando ajebat: *Dimitte me, quia ascendit aurora*: quis ejus auctor moræ fuit? Amor utique: ista namque agebantur, ut Jacob assuesceret, Deum habere sibi præsentem, eodemque præsente nullum timere. Credibile est, per eam occasionem Deum Jacobo præterita etiam beneficia repræsentasse. Memento, ajebat, te pridem mea ope protectum, quum Laban odio iraque effera-

[Syriac text]

A ratus adversus te procurreret. Meo scilicet nutu factum est, ut nocturna visione deterritus, ab omni vi & injuria abstineret. Et nunc quid est, quod trepidas? Fratrem times, qui Angelum superasti? Censen' te vinci posse ab illo, qui a me victus non es? Talia ad patrem patrum velut in signo loquebatur in ea lucta Deus Verbum, Angelus ille magnæ mentis sempiterni Patris, quo ejus animum B vicino fratris adventu tremefactum trepidantemque confirmaret.

Et emarcuit coxa Jacob, quum luctaretur cum eo. Magnum his verbis mysterium latere video. Quid istuc? Deus Verbum ejus femoris contactum tunc desideravit, de quo postea carnem assumsit; quam tamen in infirmitate & timore usque adeo continere voluit, donec veniret tempus, quo ejusdem gloria ma- C nifestata est. Interim dum concupiscente animo femur illud palpat, simul sacrat & format in mysterium, cujus comestio, hoc est comprehensio filiis Israël interdicitur. *Emarcuit femur ejus, quam ob causam non comedunt nervum filii Israël, qui emarcuit in femore Jacob, usque in præsentem diem*. Spiritus enim hodie quoque dicit, Judæos usque in præsentem diem non comedere, hoc est, non comprehen- D dere Verbum, *Christum* videlicet *in infirmitate Crucifixum*, atque, quum Deus esset, ex illorum patre carnem assumsisse. Jstud mysterim condunt illa verba: *Filii Israël non comedunt nervum contractionis*, idest, nervum, qui emarcuit: hoc enim significat ܢܫܝܐ Nervus siquidem a lucta debilitatus obriguit in femore Jacob.

2.Cor. 13.4.

Dixitque ad Jacob dimitte me, quia ascendit aurora. Emicat lux, & aperit se E dies, nocturnæque fugere tenebræ, postquam tibi cœlestis illuxit sapientia. *Respondit: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Ait ergo: quod nomen est tibi? Respondit: Jacob. At ille: nequaquam, inquit, Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel: quia obfirmatns es &c.* Idest fortiter & constanter pugnam aggressus es cum Angelo & homine, & in potestate F habuisti virtutem ejus. Quamobrem non dicetur tibi nomen Jacob, illud scilicet nomen, quod tibi præteritæ vitæ acta fecerunt, vel quum fratrem in utero matris supplantasti, vel quum benedictione & primogeniti prærogativa spoliasti. Sed, ex quo Deum vidisti, ejusque conspectum, homo quum sis, ferre potuisti, Israel vocaberis, idest, vir videns Deum: hoc

hoc enim plane reddunt totidem hebraicæ voces, quibus illud nomen componitur. Deum ergo vidit Jacob, non Angelum, etsi Angelum Scriptura dicere maluit propter Judæos, gentem oppido rudem & hebetem. *Et vocavit Jacob nomen loci illius Phanuel, dicens: vidi Deum facie ad faciem, & salva facta est anima mea*. Phanuel, idest, visio Dei. Si ergo locum Dei visionem appellavit Jacob, & indigenæ hoc etiam tempore eo nomine appellant: ergo Deum vidit, & ab eodem mutato nomine Israel vocatus est, idest, vir videns Deum.

Ortusque est sol, postquam transgressus est Phanuel. In veritate oritur sol justitiæ Christus illis, quibus aditus patuit ad Phanuel, idest, ad contemplationem divinorum. Constat itaque ex dictis, Deum in specie Angeli hominis justo Jacob apparuisse, tum ut adventu fratris exterritum confirmaret; tum vel maxime, ut futuram divini Verbi in carne manifestationem hisce figuris, quasi rudiore manu expressam nobis traderet. Hoc ergo ejus mysterii mysterium fuit.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

CAP. XXXV. S. Ephr.

F*ilii Sebeon Aja & Ana. Iste est Ana, qui invenit aquas in solitudine, quum pasceret asinas Sebeon patris sui*. In Hebræo legitur: *Invenit fortes in solitudine*. Nota. In utroque testamento occurrit frequenter vocabulum Hemre [illegible] pro quo imperiti quidam legerunt Hmore, idemque significat, quod Atone [illegible] nomen asinis & equis commune, etsi aliquando etiam ad significandam quævis genimina usurpetur.

Et hi sunt Reges, qui regnaverunt in terra Edom, Bela filius Beor, nomenque urbis ejus Denaba, & regnavit pro eo Jobab filius Zaræ de Bosra: ipse est Job.

E [illegible]

F [illegible]

QUOR- [illegible]

A

[illegible]

QUORSUM DEUS ISRAELITAS IN ÆGYPTUM MIGRARE JUSSIT.

Jacob. Edes.

JAm illud in quæſtionem merito vocatur, cur Deus Jacobum de Chananitide in Ægyptum diſcedere voluerit? Quæve hujus tranſmigrationis cauſa? qui B Deo propoſitus finis? ut Jacobo Ægyptum cogitanti diceret: *Noli timere: deſcende in Ægyptum. Ego deſcendam illuc tecum, & ego inde reducam te.* An ut, fame Chananæos premente, Iſraëlitæ victum in Ægypto quærerent? At palam eſt, Deum, qui alias ſe illis ubique adfuturum ſpoponderat, aliunde eiſdem annonam parare potuiſſe, & ſicut Pſalmiſta ait: *Alere eos in fame.* Quare non erat, C cur ad Ægyptios profugerent. An rurſus, quia Deus ſtatuerat, Hebræos in gentem magnam facere & multiplicare vehementer, ipſos ſolum mutare, & in Ægyptum ad habitandum ire neceſſe fuit? Hæc opinio, etſi minime probanda, ſuos habet auctores, qui ajunt Iſraëlitas, ideo in Ægyptum traductos fuiſſe, quo frequentius, magiſque ſuboleſcerent. Tradunt enim, qui de rerum natura diſ- D putant, Nili aquam ad fœminarum etiam fœcunditatem plurimum conferre. Sed ut hoc verum ſit, in comperto eſt, Deum ad propoſitum ſibi finem, eo modo haudquaquam indiguiſſe. Vera itaque divinæ ordinationis ratio ex ipſo eventu videtur eſſe petenda. Quare autumo, idcirco Iſraëlitas in Ægyptum abductos fuiſſe, ut temporis proceſſu in gentem excreſcerent, indeque Ægyptiis merito ſuſpecti, E in ſervitutem redigerenrur; ex qua in eas difficultates & anguſtias inciderent, ut nullum inde ſibi exitum patere conſpicati, ad Deum Patrum ſuorum animum mentemque converterent, ejuſque clementiam toto pectore exorarent, ut idem ferret opem, qui ſpem dediſſet. Interea Deus ea accepta occaſione ſimul eos ab injuſta vexatione liberaret, ſimul F de fornace ferrea ægyptiacæ ſervitutis per ſigna & portenta magnifice & mirabiliter eductos, maximiſque etiam beneficiis affectos, ſibi tandem in populum peculiarem, in partem & hæreditatem ſuam aſſumeret. Sic enim ſcriptum eſt: *Pars Domini populus ejus Jacob, funiculus hæreditatis ejus Iſrael.* Hanc fuiſſe puto veriſimiliorem cauſam, cur Jacob

Pſal. 32. 19.

Deut. 32. 22.

cob cum filiis in Ægyptum migrare juberetur.

Jac. Edess. Interim & hoc adnotandum, verisimile esse, non eos tantum, quos Scriptura indicat, Jacobum Chananitide decedentem sequutos fuisse, imo vero plurimos ejusdem provinciæ, seu indigenas, seu advenas Israëlitis Ægyptum petentibus, qui forte ad multa millia excesserunt, se socios adjunxisse. Nam etsi Jacobi eo transmigrantis comitatum animabus septuaginta constitisse Scriptura tradat, hunc tamen numerum ad solam illius sobolem referendum esse, ex ipso historiæ contextu perspicue colligitur. Neque enim in eum censum venire certum est, uxores filiorum Jacob; has vero quis dubitet, maritos fuisse sequutas? Ipsisque proinde dedisse se viæ comites plerosque earundem affines, cognatos; fratres præsertim & parentes, in ea scilicet temporum acerbitate, quando famem, in Chananitide adhuc grassantem, incolæ qualibet opera impensaque fugere cupiebant. Perinde nec ambigendum est, ut dominos abeuntes servorum ancillarumque turba affectata fuerit: nisi dicas Jacob & filios ejus proprio servitio caruisse. Rursus quoniam nec hactenus lex illa lata fuerat, populo Dei vetans promiscua ex quavis gente conjugia; fere certum est, filios Jacob id temporis fœminas alienigenas bene multas familiares habuisse. Præterea postquam apud Chananæos percrebuit fama, Josephum Ægypto præfectum fuisse, omniaque regni negotia pro arbitrio moderari, credibile fit, quamplurimos spe melioris sortis excitos, una cum Israëlitis contubernalibus suis in Ægyptum migrasse. Quemadmodum quum iidem Hebræi ab Ægypto Mose duce redirent, Scriptura narrat, plures externos convenas & promiscuam Ægyptiorum indigenarum turbam, abeuntibus sese associasse, patratis a Mose prodigiis & signis invitatos.

[illegible]

Comparatio benedictionum Jacob, et Mosis.

[illegible]

S. Ephr. Jacob Rubeno violati paterni thalami injuriam exprobrat, & pœnam statuit. *Errasti*, inquit, *sicut aqua, & non subsistes*: idest, diffluxisti velut aqua, rupto, quo cohibebatur, aggere, quando in officio continere te ipsum oportebat. Quamobrem, sicut quæ stagnum non patiun-

[illegible]

[illegible]

A tiuntur, aquæ præterfluunt, & diſpereunt: ſic nec tibi in tua hæreditate diuturna dabitur mora, neque in catalogo benedictionum locus. Moſes Rubeni tribum, paterno ſcelere contaminatam, ſuis benedictionibus expiat, & in ordine & numero fratrum reponit. Ruben enim fratribus Joſephi necem deliberantibus reſtitit, & ſaniora conſilia ſuggeſſit.

Exinde Jacob in Simeonem & Levi B inſurgit, præteritæ vitæ acta utrique cum acerba opprobratione regerens: etſi, quam ſontibus comminatur, pœna poſtmodum in eorundem verſa fuerit compendium. *Simeon*, ait, *& Levi vaſa furoris: quia in iracundia ſua occiderunt viros, & in furore ſuo enervaverunt vitulum*. Vitulus ſaginatus pro nobis mactatus Chriſtus eſt: idcirco ambobus triſtia vaticinatur pater, aliud verbis, aliud in myſterio ſi- C gnificans. *Diſpergam*, inquit, *eos in Jacob, & dividam eos in Iſrael*. Quod & factum eſt. Nam Simeonis, Levique poſteri diſperſi ſunt in populum gentium, qui eſt Jacob & Iſrael Dei. Quamquam alii aliam præter eam, quam verba præferunt, aſſignant cauſam, cur Jacob tam acerba oratione in Simeonitas, & Levitas uteretur. Conſtat enim, ajunt, eos, qui Chriſti necem maxime procurarunt, Le- D vitas fuiſſe, quibuſcum Simeonis poſteros conſpiraſſe, probabile eſt. Moſes in actis Horeb Jacobi oraculum declaravit & ex parte implevit. Nam illa vaticinii pars: *Dividam eos &c.* juxta hiſtoricum ſenſum completa eſt, quando in diviſione terræ promiſſæ, tribui Leviticæ propria nuſquam fuit conſtituta ſedes, aut fixis circumſcripta finibus provincia. Simeonis vero tribus, quod parva eſſet, intra E fines hæreditatis fratrum ſuorum recepta fuit.

Exod. 32. Num. 15. Joſ. 19. 9.

Jacob. *Juda catulus leonis: a cæde aſcendiſti, fili mi*. Hæc ſpectant Judæ acta in cauſa Thamar & Joſeph. Thamarem namque ad ſupplicium prope ducendam abſolvit, & indemnem cum prole ſervavit: & poſtmodum fratribus Joſephi necem conſultantibus interceſſit. Moſes: F *Audi Domine vocem Judæ, & ad populum ſuum duc eum*. Babylonicam captivitatem innuit, indeque Judæorum reditum. *Manus ejus judicabunt ei*. Ideſt: ipſe ſuis ſibi viribus, & armis dominationem & regnum vindicabit.

Jacob, Zabuloni & Iſſachari hæreditatem ipſis obventuram deſcribit: promittitque Zabuloni navalia, portus & oras ma-

maris, hisque confines montes: Issachari pingues hortos & opulenta arva. Moses: *Lætare Zabulon in exitu tuo, & Issachar in tabernaculis tuis: populos ad montes vocabunt.*

Jacob: *Dan judicabit populum suum*: quod in Samsone impletum est. Moses: *Dan Catulus leonis, lac suget de Mathnin.*

Jacob: *Gad aget turmas & trahet agmen*. Exitu comprobata prædictio est, quando Moses Gaditis, quibus proprias sedes & agrum dudum assignaverat, præcepit, ut reliquis tribubus armati præirent. Sic sequentium respublica, præeuntium virtute & armis constituta fuit. Moses: *Benedictus, qui in latitudine posuit Gad. Quasi leo requievit: fregitque brachium & verticem.*

Jacob: *Aser bona est terra ejus, & præbebit Regibus cibos*. Moses: *Aser oleo tinget pedem suum*. Ambo tribui Aser pollicentur agros uberrimos & feracissimos.

Jacob: *Nephtali legatus celer dans pulchra eloquia*. Moses: *Nephtali abundantia perfruetur, & replebitur benedictione Domini.*

Jacob Josepho benedicturus commemorat primum exercita alias a fratribus in eum odia; exinde suam in eundem benevolentiam declaraturus, amplissimas a coelo, terra, marique benedictiones precatur, easdemque prædicit usque *ad spem collium æternorum* duraturas: idest, paradisi deliciis continuandas. Moses Jacobi benedictiones explicat, & ampliat, dum Josephi posteris principatum vaticinatur. *Cornua rhinocerotis*, ait, *cornua ejus: Hæ sunt myriades Ephraim &c.* Quæ verba supremam Ephraimitis potestatem & imperium pollicentur.

Jud. 19.22. Jacob: *Benjamin lupus rapax*. Alludit, vel ad raptum uxoris Levitæ, vel ad prædam, quam Saul Benjamita devictis Amalecitis extulit. Moses: *Benjamin amantissimus Domini, inter humeros illius habitabit*. Locum situm inter humeros Domini dicit Jerosolymam, quam Benjamitæ habitarunt. Jerosolyma nimirum media inter confinia duarum tribuum posita est. Quamobrem Rachel eo in loco extincta, in ditione Benjamiticæ tribus mortua dicitur & sepulta.

1. Reg. 15.9.

Sup. 35.11. & 48.7.

Jac. Edess. *Juda te laudabunt fratres tui &c.* Quid? Ista ne quispiam Judæ dicta, putet, ut ad Christum neutiquam pertineant? Imo & maxime: quem enim confitemur sempiterni Patris Verbum, hunc credimus in novissimis diebus de stirpe David filii Judæ in carne genitum, & ex Maria semper Virgine, Deique Genitrice natum. Illum perinde merito appellamus Ju-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[Syriac text illegible]

A Judam, ideſt, confitentem Deo: Chriſtus enim in hac parte muneris & negocii noſtri nobis præivit, & antegreſſus, viam monſtravit, factus initium viarum noſtrarum: noſque fratres ſuos ſuum Patrem laudare docuit; vel quando, ut ex Euangelio diſcimus, dicebat: *Confiteor tibi, Pater Domine cœli & terræ, quia abſcondiſti hæc a ſapientibus & prudentibus, & revelaſti ea parvulis. Ita Pater, quia ſic placitum fuit ante te.* B Vel quando ante ſuum in carne adventum Davidis ore Patrem alloquens, illa canebat: *Narrabo nomen tuum fratribus meis: confitebor tibi in Eccleſia magna, in populis multis pſallam tibi.* Hic ergo verus eſt Judas, idemque frater noſter, quem proinde merito ac jure prædicamus, & divinis laudibus efferimus, ex quo Deum agnovimus, & in eum credidimus. Atque per ipſum, tamquam per C fratrem: *Primitiæ quippe noſtræ Chriſtus eſt*, & ipſe orare nos docuit, & ut homo nobiſcum communem Patrem laudat & glorificat: nos quoque dicimus: *Pater noſter, qui es in cœlis.*

[21. 23. 34. 18.] [1. Cor. 15. 23.]

Adorabunt te filii patris tui. Ideſt, Chriſtum omnes filii patris ejus. Filii Dei dicuntur, quotquot crediderunt in Unigenitum Dei, & hominum Salvatorem: hujuſque fidei merito adoptionem D filiorum receperunt per illum, qui inimicos ſuos apoſtatas Angelos propria virtute vicit. Quod etiam David in pſalmis ſignificavit Prophetarum ſpiritu occinens. *Exurge Domine in ira tua, & exaltare ſuper cervicem inimicorum tuorum.* Idem eſt *catulus leonis*, & Rex omnipotens, qui a cæde ſurrexit, *& quaſi leo & catulus leonis requieſcens accubuit.* Ideſt, mortem ſua E voluntate ſuſcepit, & in ſepulcro jacuit, unde nemo illum ſuſcitare potuit: ſed *Deus ipſius Pater*, ſicut ſcriptum eſt, *ſuſcitavit eum a mortuis*, & ipſe propria virtute ſeipſum ſuſcitavit.

[Pſal. 7. 7.] [Gal. 1. 1.]

Ad Chriſtum etiam pertinere manifeſtum eſt, quæ ſequuntur: *Non deficiet ſceptrum de Juda, & Rector de femore ejus, donec veniat cujus eſt* principatus, *& ipſe erit expectatio gentium*, quippe qui cunctarum gentium futurus eſt Salvator. Et quidem Jeſum F Chriſtum omnium gentium ſpem eſſe & votum, etiam Spiritus Sanctus omnium Prophetarum ore prædicavit; promiſitque ad ſalvandas omnes gentes illum eſſe venturum: quod & præſtitit. Ubi enim venit plenitudo temporis, defecitque principatus tribus Juda, venit Chriſtus; quodque ex omni æternitate fuerat defini-

finitum, rato tempore effectum dedit.

Ligans ad vitem pullum suum, & ad palmitem asinam suam. Palmitem & vitem appellat Judæorum Synagogam in Sodomitico & Ægyptiaco agro subolescentes. Cætera diserte prænunciat etiam Zacharias, dum civitatem Jerusalem hunc in modum alloquitur: *Ecce Rex tuus veniet tibi, justus, mansuetus, humilis & Salvator, sedens super asinam & super pullum asinæ.* Venit utique Christus, & asinæ pullo vectus Jerusalem intravit. Et sicut alius Propheta prædixerat, ab infantibus & lactentibus laudatus est, atque a promiscua turba cum ramis palmarum & olivarum exceptus fuit.

9. 9.

Dealbabit in vino stolam suam, & in sanguine uvæ pallium suum. Ille videlicet, qui per Esaiam dicebat: *Torcular calcavi solus.* Solus enim torcular calcavit, qui solus pro nobis passus est: *Cujus vestimenta aspersa sunt, & rubrum factum est indumentum ejus sanguine gentium, quum ascenderet de Edom pulcher, & decorus in stola sua.* Qui Angelis percontantibus: *Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum?* (Hæc nempe dicebant, clavis terebratas manus & pedes ejus intuentes.) Respondit: *His plagatus sum in domo mea dilecta.*

Zachar. 23. 6.

Oculi ejus splendidiores sunt vino, & dentes ejus lacte candidiores. Non alius, imo idem est, cujus in judiciis æquitatem laudavit Esaias: *Non enim*, inquit, *juxta visionem oculorum suorum judicabit, neque juxta auditum oculorum suorum arguet: sed judicabit in justitia pauperes, & arguet in æquitate pro egenis terræ: & percutiet terram virga oris sui; & in spiritu labiorum suorum interficiet impium.* Eodem utique afflatus spiritu David, dentium Christi candorem, sermonum scilicet puritatem significaturus: *Eloquia Domini*, ait, *eloquia munda, argentum electum probatum in terra.* Constat itaque, Jesum Christum esse verum Judam, cujus laudes Jacob suus in carne pater hisce oraculis circumscripsit, inquiens: *A cæde, fili mi ascendisti*: instinctu afflatuque divino præsentiens ejus passionem, & obitam in Cruce mortem, ejusdemque ad inferos descensum, atque mirabilem a mortuis resurrectionem.

11. 3.

PA-

A

[illegible]

PATRIARCHÆ JACOB DE ANTICHRISTO IN BENEDICTIONE DAN VATICINIUM.

Jac. Edess.

D*An judicabit populum ſuum, ſicut una de tribubus Iſrael.* Etſi hæc ad Dan illum Patriarchæ Jacob filium juxta hiſtoricum ſenſum pertineant; ſi tamen myſticam intelligentiam petas, Antichriſto, B & quidem aptiſſime, accommodantur. *Judicabit*, inquit, *populum ſuum*, ideſt, impios homines, quotquot illi obſequentur & ejus ſe dominationi ſubjicient. Idque faciet ea auctoritate, qua Principes ſubditis ſibi populis jura dare ac dicere conſueverunt. *Sicut una de tribubus Iſrael.* Tribus Iſrael vocat populos in Chriſtum credentes, qui Iſraëlis ſecundum ſpiritum C cenſentur filii. Significat igitur, gentes Antichriſto mancipatas, ab illo ſcilicet lethifero ſerpente ſeductas ejuſdem inſtitutis ac legibus victuras, ea regiminis forma, qua fideles Epiſcoporum Eccleſiæ Chriſti imperio reguntur & juriſdictioni parent. *Fiat Dan coluber in via & aſpis in ſemitis.* Colubri ſymbolum Antichriſti proprium eſt & antiquum: talem enim appellavit Eſaias: *In die illa*, inquit, *adducet Dominus gladium illum durum*, D *& grandem, & fortem ſuper draconem, ſerpentem fugacem, ſuper ſerpentem tortuoſum: & interficiet draconem in illa die.* Quod etiam indicat Apoſtolus ſcribens: *Et cum revelabitur ille iniquus, quem Dominus Jeſus interficiet ſpiritu oris ſui. In via*, ideſt, quemadmodum coluber inſidioſos tranſitus obſidet, unde in prætereuntes improviſus inſiliat & perimat; ſic Antichriſtus E in hominum perniciem perpetuo incumbens occupabit vias, quas viderit ab illis frequentari, ut illuc tranſeuntes pro libidine opprimat. *Aſpidem in ſemitis* item appellavit, ut ſignificaret ingentem Antichriſti malitiam: iſtud quippe genus ſerpentum omnium terræ reptilium peſſimum eſſe produnt; ajunt tamen non in viis publicis, ſed in callibus anguſtioribus, minimeque tritis, paluſtribus, & gramiF noſis occultum immotumque manere, indeque tranſeuntibus inſidias tendere. Eſt & alia cauſa, cur Antichriſtus colubro & aſpidi ſimilis diceretur: quippe qui dum in omnem occaſionem nocendi perdendique homines incumbit, pro eorundem opificiis, actibus, nutibus, motibuſque ſeu manifeſtis, ſeu occultis perpetuo excubabit.

27. 1.

2. Theſſal. 2. 8.

Qui

Qui mordet equum in ungula, ut dejiciat retrorsum ascensorem. Locus admodum obscurus: constat tamen, hisce ænigmatis iniquitatis mysterium circumscribi. Jam quum symbola equi & equitis potestatis indicativa sint, quærendum est, quænam sit ista potestas, & quemnam equitem coluber ille dejiciat, & interimat? Et potestatem quidem seu dominationem eam esse puto, de qua loquitur unus de choro sanctorum vir a Deo doctus: *Vidi*, inquit, *mulierem circumdatam auro, sedentem super bestiam coccineam, plenam verbis blasphemiæ, habentem capita septem & cornua decem, & poculum in manu sua plenum abominatione & immunditia fornicationis ejus, & in fronte ejus scriptum mysterium: Babylon magna, mater abominationum terræ. Et vidi mulierem illam ebriam de sanguine Martyrum Jesu.* Hanc porro *mulierem*, ideſt, gentem rerum dominam, *vectam bestia*, ideſt orbis imperium obtinentem, invadet *coluber* Antichristus, seducet & perdet. Jam illud imperium ad eos pertinere, qui Latini dicuntur, Spiritus in sanctis viris inhabitans declaravit, & docuit per Hippolytum Episcopum & Martyrem in eo libro, quo Joannis Theologi Apocalypsim interpretatur. Ergo agesis & haustam ab illo lucem regeramus. *Coluber* Antichristus Danitica matre nascetur, patre Latino, qui clam, nec amore legitimo, quasi lubricus anguis ad ejus fœminæ concubitum prorepet. Ex hoc nefario commercio ille filius peccati conceptus, stato tempore edetur in lucem, victurus in communem perniciem & depravationem hominum, quotquot veritati mendacium antevertent. Venturi nepotis typum in ipsius avo Dan expressum agnosces: hic enim de patre libero natus est, & ex matre serva, ex Bala, videlicet, Rachelis ancilla, quæ, hera eas nuptias ex zelotypia invidiaque procurante, a Jacobo ducta, marito fidem minime servavit: quin a diabolo seducta, cum Rubeno privigno suo incestum commisit; ut si modo licuisset, prima femina Hebrææ gentis nefario concubitu corrumperet. Antichristus itaque genus ducet ex duobus populis omnium maximis & celeberrimis, maternum quidem, ut dixi, ab Hebræis, a Romanis paternum. Adultus *in equum & ascensorem* insiliet, ideſt, Romanum populum & imperium invadet, capiet & perdet. Id nempe designat ille equitis in tergum casus: *Invadet*, inquam, *morsibus*, ideſt, fraudibus

Apocal. 17. 3.

[illegible]

A bus & vestigiis. *In ungula*, idest, postrema Romani imperii mundique ætate. Quocirca Daniticæ Tribui congruenter accommodatur, propter Antichristum ex eadem nasciturum, illud Prophetæ oraculum: *Ab Aquilone pandetur omne malum super omnes habitatores terræ*. Quemadmodum pari jure ad Tribum Juda, propter Christum de eadem natum, quidam referenda putant illa alterius Prophetæ B verba: *Deus ab Austro veniet*: attenta nimirum utriusque Tribus sorte: Danitæ quippe in divisione terræ promissæ partem Aquilonarem obtinuerunt, Judæi Australem. Quæ quum futura Jacob prospiceret, & immensam Danitici colubri perversitatem, & ab eadem sequuturam universi orbis cladem secum pensitaret, divino impetu concitatus illas voces pietatis & religionis plenas effudit: *Salutare* C *tuum expectabo Domine*.

Jer. 1. 3.

Habac. 3. 3.

Benjamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere dividet spolia. Hæc de Apostolo Paulo Benjamini nepote Jacob vaticinabatur: quem lupum rapacem merito dixit, rapacitatem interpretatus summam ejusdem in addiscendis Mosaicæ legis institutis contentionem, & insatiabile studium. Ejus porro adolescentiam *mane* vocat, quando ad pedes Gamalie- D lis *comedebat prædam*, divinarum Scripturarum scientiam hauriebat, qua esca saturatus, exinde Christi discipulos ferox & infestus invasit, nisusque est fugare atque dispergere. Postquam vero illum Christus cepit, & in vas electum refinxit, lupumque in canem gregis custodem transformatum jussit suam Ecclesiam tueri, & insomnem ad ejusdem custodiam excubare; tum vero illum *ad dividenda spolia* E *misit vespere*, idest, exactis adolescentiæ annis, *illa* utique *spolia*, quæ ex lectione & studio legis collegerat: quod Paulus summa cum fide, & constantissima animi contentione exequutus est in omnibus Judæorum synagogis, & gentilium civitatibus, docens ex Lege & Prophetis, eum, quem Jacob omnium gentium spem & expectationem fore prædicaverat, non alium esse præter Jesum Christum Naza- F renum. Benjamin ergo Paulus est, qui lupus rapax hic a Patriarcha vocatur.

SANCTI PATRIS NOSTRI
EPHRAEM SYRI
IN EXODUM
EXPLANATIO.

CAP. I.

IN libro Pentateuchi ſecundo, quem Exodum dicimus, hæc narrantur. Jacobi cum ſeptuaginta liberis in Ægyptum adventus: Joſephi, & fratrum, coætanæorumque Ægyptiorum obitus: novus Rex creatur, qui Hebræorum infantes necat. Moſes per arcam ſervatur, & adoptatur a filia Pharaonis: ad fratres regreditur jam adultus, ſiqua liberandi populi occaſio ſe daret, proviſurus. Ægyptium Hebræo inſultantem interimit: Hebræum populari ſuo injuriam facientem increpat: capitis accuſatus profugit in Madianitidem: ad puteum conſidet, & ſorores ab injuria vindicat: in domum Jethri introducitur, & Sephoram ejus filiam ducit. Interea Pharao moritur, & ingemiſcentes filii Iſrael ob duriſſimam ſervitutem, orant & exaudiuntur. Apparet Deus Moſi in Rubo: virga in colubrum vertitur: manus lepra inficitur & ſanatur: Moſes in Ægyptum proficiſcitur: occurrit in diverſorio Angelus, illique necem intentat: Aaron, Ægyptum introeunti fratri fit obviam: Moſes populi ſenioribus ſuam miſſionem ſignis approbat: Pharaonem alloquitur, qui dimiſſionem populi negat, & Hebræos duplo gravioribus oneribus fatigat: paleas ſubminiſtrari vetat: virga in ſerpentem tranſit, & fluvius in ſanguinem: Ranarum plaga, deinde peſtilentia: rurſus pediculorum illuvies, & beſtiolarum noxiarum mixta colluvies: ignis, & grandinis procella, & locuſtarum turmæ & atra nox, primogenitorum denique ſtrages. Agnus mactatur, & manducatur. Iſraëlitarum poſt hæc feſtinatus ex Ægypto exitus: armati viam ineunt: profecturis viaticum providetur ex auro, argento, veſtibus & ſpoliis Ægyptiorum. Mare finditur: Hebræi trajiciunt: Ægyptii, refluente pelago, fluctibus obruuntur: Maria diviſi maris prodigium hymnis celebrat. Jſraëlitæ per triduum aquarum penuria laborant: ſalſæ, quas reperere in Marath, ligno immiſſo dulceſcunt: depluit manna: coturnix involat in caſtra: aquæ in monte Oreb de petra a Moſe percuſſa fluunt: ab Amalecitis Iſraëlitæ bel-

[illegible]

bello petuntur : Jethron Mosis socer generum invisit : lex in monte Sinai populo traditur : Deus super montem descendit : leges & præcepta ibidem tradita : Moses ascendit in montem, atque tabulas inde reportat : Tabernaculi construendi forma & materies præscribitur : populus, Mose in monte moras nectente vitulum fabricatur : Moses revertit, & populi flagitium atroci pœna vindicat : iterum in montem subit : novas tabulas accipit : Deum orat, ut cum filiis Israel ascendat, & ait: *Ostende mihi faciem tuam, ut cognoscam te*: postulationi indulget Deus, simulque commendat leges post adorationem vituli traditas : describitur constructio Tabernaculi, ejusque instrumentum, & sacræ mensæ die prima mensis primi erectio : nubes interdiu Tabernaculum perpetuo inumbrat : ad ejus motum Israëlitæ pariter castra movent. Hæc in libro Exodi scribit Moses, narrationem his verbis exordiens.

Et hæc sunt nomina filiorum Israel, qui ingressi sunt in Ægyptum, septuaginta animæ. Hoc dicit, ut ostendat opere completam Dei ad Abraham promissionem. Qui enim supputatis etiam parvulis, quando Ægyptum intrarunt, septuaginta animarum summam vix implebant, spatio ducentorum & viginti quinque annorum, quibus ibi manserunt, in sexcenta millia armatorum increverunt, præteritis iis, qui vigesimum annum necdum expleverant. Postquam mortuus est Joseph, defecitque ipsi coæva progenies, rerum potitus Rex novus, novum consilium perdendi infantes Hebræorum inivit. Atrox facinus, nec tamen sine causa : diabolus enim non ignarus, fluxisse jam annos servitutis, Abrahæ olim prænunciatos, indicta puerorum generali internecione, eorundem Salvatorem involvere & extinguere moliebatur. Pharaonem perinde angebat, quod animadverteret Hebræorum sobolem amplissime propagari, atque in dies incrementa maxima capere, adeo ut tota Ægyptus Israëlitis, non secus ac vermiculis profuso perpetuoque proventu scatentibus, æstuaret ; inviditque Hebræorum felicitati, præsertim, quod mali dæmones Israëlitarum ex Ægypto exitum propediem imminere nunciarent. Hanc porro notitiam, quam ex epocha annorum, quibus ejus gentis in Ægypto mora definita fuerat, facile colligebant, prædicare atque in vulgus dissipare satagebant, ut futura præsagire, & ex certo divinare crederentur. Pharao itaque infan-

tes disperdere, parentes labore vexare decrevit, cæteroqui minime necessario; horrea siquidem construere jussit. Enimvero si Ægyptiis & Chananæis, atque Amorrhæis annonam per septennium famis Josephi horrea affatim suppeditarunt; incredibile omnino est eadem ad solam Ægyptum alendam minime suffecisse. Atenim quo vehementior cura Pharaonem agitabat, ut Israëlitarum gentem extingueret, eo majori & frequentiori proventu subolescebat; & quo acriori contentione eos affligere conabatur, eo acerbiore dolore Rex ipse discruciabatur. Quin & Ægyptiorum vulgus Hebræorum præsentiam conspectumque ægre ferre jam cœperat.

Interea Pharao veritus, ne si parvulorum corpora in profluentem mitterentur, fluminis aquæ tot cadaverum tabe infectæ putrescerent; obstetrices accersit, ut faceret interfectrices, curamque officio contrariam injungens, proprium nomen mentiri cogebat: nec enim parentibus opem, sed fœtui necem afferre jubebat. Sed illæ Regis mandata nedum exequutæ non sunt, ut quæ jussæ fuerant, infantibus vitam eripere, ipsæ suam pro illorum salute prodigere, non dubitarent. Deo autem secus disponente factum est, ut die, quo piæ obstetrices confessionis coronam se accepturas sperabant; divino afflatu edoctæ, sapienti responso vitam, resque suas in tuto planissime collocarent. *Et bene illis fuit*: Idest opibus filiisque auctæ sunt multis, jure merito quod multos infantes servassent propriæ familiæ periculo, quam a Pharaone ob detrectatum ejus imperium penitus excisum iri, nec temere, nec inepte suspicabantur.

Quum itaque Rex a fœminis illusus, sibi tamen illudi minime intelligeret, mutato consilio, statuit, aquas puerorum sanguine inficere, & pisces suos humanis carnibus saginare. Quocirca, tametsi luderet operam, perpetuo succrescente Israëlitarum sobole, infantibus flumen opplevit, ut volebat: sed & Ægyptus Hebræis simul oppleta est, quod nolebat. Fluvium putrefactis cadaveribus corruptum sibi plaudebat, sed respectans Ægyptum ejusdem generis vermibus nil minus, quam antea scatere, vehementer angebatur. Adeo Regis votum & curam non carnificum opus frustrabat, sed exitus; quando etsi rejecta a profluente cadavera, non secus ac locustarum acervi, ripis Nili aggerarentur, infantium nihilominus vagitibus vocibusque omnia Ægypti compita via-

A vixeque personabant, quo Regis animus acerbiore dolore tabesceret.

In hæc tempora Israëlitis tristissima incidit ortus Mosis, quem, pulcherrimam oris speciem admirata mater, sui capitis periculo diu occuluit; donec permisit magistratuum metus, qui si factum suboleviffent, puero interfecto, universam familiam excisuri prævidebantur. Hinc porro colliges, quam solicite, quamque B severe persecutores latebras omnes pertentare perscrutarique solerent, adeo ut mater Mosen celare se posse desperaverit. Sed & animo etiam sedulo perpende, quanta cura providentiaque divina gratia Israëlitas tueretur, atque sustineret: quum ex Ægypto decessuri sexcenta armatorum millia sub signis habuerint. Re itaque fere desperata, mater quum infantem in arcula composuisset, intimum ingressa C conclave, humique provoluta, mox subortis lacrymis, alta ducens suspiria, Abrahami Deum contra Pharaonem appellabat. Tu Domine, ajebat, benedixisti populo nostro, ut in gentem magnam cresceret, & ecce factum est, quod dixisti. Tuis nihilominus dictis contraria agitat Pharao, & instat, ut intercepta generis nostri propagatione, semen, cui benedixisti, extinguat, & deficientibus colonis, terræ nostræ D regiones desertas & incultas efficiat. Assederat juxta ripam fluminis Maria soror Mosis, visura exitum, quem puer arcæ inclusus, & in aquas missus, habiturus esset. Lactabant parentum spem Dei providentia, necnon infantis species pulcherrima, sibique pollicebantur fore, ut qui primus arculam pertentaret, pueri elegantia caperetur, ereptumque fluctibus sibi asservaret. Commodum accidit, ut, fla- E grante sole, Pharaonis filia vehementius eo die æstuaret; eam ut molestiam declinaret, ad flumen venit lavatum. Nec dubium, quin fervor diei reginam domo pepulerit; sua tamen voluntate prodivit; quia vero horam anticipare coacta est, exitum non ex voluntate fuisse, dici potest: sua ergo voluntate ducebatur etiam invita, ut nimirum è fluvio extraheret puerum, qui toto pelago ulturus erat F fluvio mersos infantes. Regina jubente, undis capsa elata fuit, prodiditque puerum formosissimum, quem intuens Regina, id temporis prole destituta, filium credidit sibi a patriis diis è media profluente delatum, idemque affirmabant circumstantes ancillæ: puerum itaque perinde atque oblatum a superis munus accepit: hoc

hoc amplius, quod ſperabat, fore, ut idem ejus opprobrium auferret, dolorem leniret, atque paternum etiam imperium perpetuaret. Interea infantis ſoror Maria, quæ hactenus in ejuſmodi occaſionem incubuerat, Reginæ occurrit, non quidem triſtis, nec tamen læta: nam utrumque cavendum erat, ne frons, oculi, animum proderent; perſonam ergo negotio accommodatam induit: re autem ex ſententia procedente, ſuggeſſit, ex Hebræorum gente nutricem infanti eſſe quærendam, operamque ſe daturam ajebat, ut talem haberet, quæ lactis ſimul & animi candorem ſinceritatemque ipſi aſſerret. His quippe moribus habituque corporis præditam eſſe oportere fœminam, Reginæ obſequio mox admittendam. Ea ultro annuente extemplo advolat illa domum, puerique matrem adducit, habitu indutam cultiore, & dona ferentem pro ſua conditione præſtantia. Flagitanti Reginæ, ut puerum caperet, ægre annuere videri voluit, cogendaque fuit, ut nutrix fieret infantis mater, quæ cunctas domeſticas opes prodigere voluiſſet, modo Moſen naufragio eriperet, & ſalvum habere liceret. Quum autem gratis habere licuit, hæret, moratur; accipit tamen, & capſulam puerumque aſportat. At enimvero, quem cum lacrymis extulerat, incredibili cum gaudio recepit; quemque ad flumen intempeſta nocte deportaverat, reportavit prælatis per viam funalibus & facibus domi flagrantibus. Nempe matri licuit videre natum, qui, ne videretur, per trimeſtre tempus latuerat. Sic lucem hauſit ex aquis, puer miſſus in aquas, ut lucem amitteret.

Hunc in modum eductus, educatuſque Moſes, poſt exactam in paterna domo infantiam, ad Pharaonis regiam delatus eſt. Et vero tametſi parentes ex illius pulchritudine eximiam capiebant voluptatem, non parum tamen circa linguæ impedimentum laborabant. Interea Moſes tum ex ſigno Circumciſionis, tum ex proprio nomine, ac præcipue ex ſecreta relatione matris & ſororis intellexit, ſe Jochabed genitrice natum: intellexit ſimul quadringentorum annorum inſtare finem: quamobrem meditari cœpit, atque pertentare, ſiqua via ſalutis daretur. Incidit in hoc tempus Ægyptii cædes. Præfectus hic erat, quem Moſes occidit, hominem nempe omnium Pharaonis procerum crudeliſſimum, qui a Moſe ſæpe ſæpius admonitus, increpituſque, ſapere nunquam di-

didicerat. Cadaver infodit arenæ: arenæ quippe infodiendus fuit, qui sobolem ex benedictione Dei ultra numerum arenæ maris propagandam vexabat; & iste quidem sepulcrum juxta flumen in arena invenit: nam sociorum cadavera maris fluctibus hausta, mox rejecta alias arenas impletura erant. Die altero Moses domo egressus, Hebræos offendit inter se jurgantes; & licet sontes fustibus castigare, vel etiam ultimo supplicio afficere posset, concessa tamen sibi filio Regis potestate minime uti voluit, sperans iniquum aggressorem æqua admonitione correctum iri. At homo audacissimus non modo monitorem non audivit, sed etiam parricidii publice palamque postulavit: *Quis*, ait, *te constituit principem super nos*? Vitiligator impudentissime, hæccine in filium Regis blatis, & ais: *Quis te constituit super nos principem*? Quin & super Præfectos, quibus ipse subes, hic constitutus est princeps. Qui ergo præsidi præest tuo, hunc enimvero tibi præesse negas? Expavit nihilominus Moses, quum secus atque ipse speraverat, rem diffamatam divulgatamque animadvertit. Cæterum Hebræus, qui Mosi cædem exprobravit, non videtur is fuisse, qui a vexatione crudelis Ægyptii Mosis opera vindicatus fuerat; si enim iste probus, & innocens non fuisset, utique reprehensus a Mose, neque pro illo Ægyptius vita privandus fuisset. Quare Hebræus ille, qui vindice Mose Ægyptii manus evasit, contra jus fasque ab eodem exercitus fuisse videtur, quemadmodum virgines juxta puteum postmodum ab eodem Mose defensæ. Porro Moses voluit Ægyptii cæde Hebræos ab illo iniquissime oppressos sublevare: & Hebræus quidem, qui beneficium acceperat, Ægyptii cædem populari suo amice & secreto, ut fit, patefecerat: at hic ex malignitate summaque voluntatis perversitate secretum suæ fidei commissum publicavit. Hinc protinus ad Pharaonem res delata est, indeque data occasio, & materies calumniarum Satrapis, & Præfectis Mosi ubique infensis & inimicis, ut qui illos crebro objurgaret, quod injusto sævoque imperio Israëlitas premerent. Horum itaque delationibus, & impulsu citatus Pharao in tantam iram exarsit, ut Moysen posthabita ejusdem adoptione, extremo supplicio afficere deliberaverit. Quod subodoratus Moses, simul veritus, ne a parentibus, quos adoptio dederat, parentes, quos a natura acceperat, sui supplicii causa poenam sustinerent, in Madianitidem profugit.

Ibidem accidit aliquando, ut dum ad puteum assidet, & fallit horas, cerne-

neret hauftas a quibufdam puellis aquas, ab ignavis paftoribus, eo fupervenientibus, in proprium ufum derivari. Id enimvero Mofes juftitiæ & æquitatis perpetuus vindex, minime tulit, repulfifque iniquis paftoribus, virgines ab eorum infolentia liberavit. Quin commiferatione fexus permotus, etiam aquam ipfe haufit, earundem gregibus fuffecturam. Miranti autem patri celerem filiarum reditum, caufamque percontanti, puellæ Mofis æquitatem, & mifericordiam magnopere laudarunt; adeo ut pater hominem domum accerfiri, introducique jufferit; venienti hofpitaliter occurrit, & menfam apparat, gratiam, acceptam juxta puteum, domi rependfurus. Hic Mofes anceps, quo fe verteret, quove fe colligeret, fimul atque a facerdote fibi propriam domum oblatam audivit, intellexit a Deo, qui ipfum olim in flumen miffum ab interitu vindicarat opera filiæ Pharaonis, atque dudum Ægyptii Regis manus fugientem protexerat, hanc modo facerdoti mentem injectam fuiffe, ut fe externum hominem fibi familiarem, & generum afcifceret. Sic, afpirante Deo, Moyfes Ægyptiorum Magorum infidias evafit, & amicum facerdotem invenit; & ficut huic res fuas committere non dubitavit, ita nec Magos extimuit, a quibus etfi pro beneficio nullam gratiam retulit, damnum certe nullum accepit. Interea dum fratrem extorrem & profugum lugent Aaron ac Maria, & quotquot ante præfens infortunium Moyfen fuum effe jactare & prædicare folebant, facerdos Madianita omnefque ejus domeftici & affines, præftantis formæ dignitatem & fidem hofpitis admirati, imo verius Dei rebus Moyfis perpetuo afpirantis, inftinctu impulfi, eidem Sephoræ nuptias offerebant, inftabantque, ut acciperet: fperabant nimirum generum cura gregum, moleftiffimo fcilicet negotio, uxorem ejufque forores levaturum, ficut olim Jacob Labani filias a fimili labore atque fordibus exemerat. Sacerdoti & hofpiti annuit Mofes, ejufque filiam duxit, ex qua quum duos filios fufcepiffet, alterum de more circumcidit, alterum ne circumcifionem fubiret, audacter defendit mater, patris fratrumque confifa favore, atque præfentia. Nam etfi fummopere ambiverat communem cum Mofe thorum, nullam tamen in religione communionem conforttiumve hactenus admiferat; facerdotis nempe proles, carnibus profanarum hoftiarum pafta, plurium Deorum cultum a pueritia imbiberat. Nec tamen

[illegible]

[illegible]

men idcirco natum utrumque ſibi retinuit: ſed nec utrumque marito negavit: alterum conceſſit, ut in eo Abrahami circumciſionem repoſcentibus exhiberet; alterum recuſavit, ut in eo præputium, propriæ gentis ſignum propagaret. Contra Moyſes filiis nomen impoſiturus, nec parentem, nec ſocerum attendit; nam primogenito, ab exilio, quod Dei cauſa tolerabat, atque alteri a divina providentia, cujus ope Pharaonis minas eluſerat, mutuatum nomen impoſuit. Hunc vitæ curſum Moyſes ad annos quadraginta tenuit in Madianitide. Interim Iſraëlitæ ab obitu Pharaonis ſæviſſimi hoſtis perſecutione deferveſcente, tantiſper reſpirare cœperant. Dum ergo Dei pacta cum Abrahamo fœdera memoria repetunt, dumque ſupputant ſervitutis ſpatia, eaque ultra definitum tempus ad annos triginta excurriſſe reperiunt, Deum obteſtari, precarique cœperunt, finemque captivitati expoſcere, & exauditi ſunt; reſpexitque Deus filios Iſrael, iniquo ſævoque imperio oppreſſos, & mala, atque ærumnas, quibus miſerrime conflictabantur, recenſuit, opportunaque remedia providit.

CAP. III.

INterea dum hæc in Ægypto geruntur, Moſes circa montem Oreb agens gregem, Angelum vidit in medio ardentis Rubi ſtantem; rem itaque cominus exploraturus acceſſit ſtupens, & ſecum diſputans, qui fieret, ut Rubus, qui flammam tamdiu aluerat, eo tamen incendio neutiquam deflagraſſet. Et hactenus quidem Angelum dumtaxat videre licuerat, donec propior factus audiit è Rubo vocantem, non Angelum, qui apparuerat, ſed Deum, qui, quum hactenus in Angelo occultus latuiſſet, mox terribili ſub ſpecie Moyſi ſe prodidit, acceſſumque prohibuit: *Ne appropies*, ait, *huc*, ratus fortaſſe locum eſſe profanum: *locus enim ſanctus eſt*: nec minus horrendus, quam qui dormientem olim Jacob excepit, illum ſcilicet Angeli per ſcalam deſcendentes & aſcendentes conſecrarunt, hunc Deus in Rubo ardente manifeſtus. *Solve ergo calceamenta tua*, nudoque pede, i, calca Ægyptios; quandoquidem a triginta jam annis tempus Ægyptiacæ vindemiæ defluxit. Hic Moſes, qui hucuſque ſine pavore progreſſus fuerat, oblata repente ſpecie oculis ſuis majore, faciem continuo obnupſit. Qui enim Angelos intentis luminibus aſpexerat, oculos perinde in Deum intendere vehementer expavit. Recte Rubus ad repræſentanda myſteria Dei vivi,

vi deligitur; arbor nimirum est effingendis Deorum mortuorum simulacris prorsus inepta. Tu vero Moses, ex quo vidisti Deum in igne morantem, discito, oportere vos item per ignem servire Deo ignem inhabitanti.

Dixitque ei Dominus: *Respiciens respexi servitutem populi mei* in Ægypto ab annis octoginta: & descendi, ut liberem eum, operaque tua traducam in terram Chananæorum Patribus promissam. *Respondit que Moyses*: *Quis sum ego, ut vadam ad Pharaonem*; qui etiam quando Regni hæres audiebam, ipsi non placui? Nunc quando ad pastoralis curæ sordes abjectus sum, arbitror, Pharaonem nec meum quidem conspectum laturum fore. Ut vero hoc futurum non sit, quin etiam loquendi copiam faciat, ecquam tamen in me dignitatem, auctoritatemve suspiciat, ut dictis habeat fidem meis? *Et dixit ad eum Dominus*: *Congrega seniores*, *quorum clamor ascendit coram me*, *& dices ad eos*: *visitans visitavi vos*, *& dixi*, *ut educam vos ad terram Chananæorum*. Cæterum si forte ea te angit cura, quod vix speras populares tuos tibi ista pollicenti auscultaturos, hanc porro in me totam rejicere te jubeo, certoque confidere, tibi eos neutiquam restituros. Senioribus itaque deducentibus Pharaonem adito, missionemque postulato: *Ibimus*, inquies, *itinere trium dierum*, *ut immolemus Deo nostro*. Nec ignoro Pharaonem petitioni minime assensurum. Quamobrem & ipse, & exercitus tridui itinere ante fatigati, postremum feris alitibusque præda fient: ratum namque est impios pelagi fluctibus obruere, rejectisque inde cadaveribus littora opplere. Tene itaque, quod monebam, filios quidem populi tui tibi plane obsequuturos, Pharaonem contra tibi pertinacissime restiturum. Disce tamen neque illum istuc ausurum, fretum opum copiarumve magnitudine, aut Ægyptiacorum numinum tutela, sed ex sola superbia, quam ob audaciam *Ægyptios percutiam in cunctis portentis*, *quæ facturus sum in medio eorum*, *& postea dimittent vos*. Quin etiam, ne de exitu penitus addubites, procerto polliceor me filiis populi mei, eam apud Ægyptios gratiam præstiturum, ut dominis res suas sponte cedentibus, ingentes inde opes colligant, perinde ac si Ægyptum diripuissent, sic faciam, ut promissa Abrahæ appareant. Ita sane, ut ægyptiacarum opum direptio extortusque horrendis cladibus exitus spem reditus omnem penitus intercludant.

Ni-

[Syriac text illegible]

A

CAP. IV.

Nihilominus Moses non ignarus, quam difficilis morosique ingenii essent populares sui, signa postulabat, quibus eorum pervicaciam infringeret, adigeretque ad habendam divinis oraculis fidem. Alioquin, ait, *non audient vocem meam, sed dicent: non apparuit tibi Dominus*. Tum Deus Mosen signa desiderare intelligens, quo certo credant, respondit, te a me missum:

B *Projice virgam tuam in terram. Quam quum projecisset, versa est in colubrum, adeo ut fugeret Moses*. Cæterum, etsi ea signa Deus adhiberi jubebat ad flectendos Israëlitarum animos, eadem tamen ipsi Mosi exhibebat, quo de exitu commissæ legationis anxium confirmaret, quasi diceret: ut visa modo colubri specie exhorruisti; ita profecto futurum est, ut conspecto Pharaone trepides: at confidito, scitoque

C certo futurum, ut Ægyptii Regis potentiam pluribus debilitatam plagis prosternas, haud secus quam in præsenti colubrum in virgam coactum apprehendisti, qui ad virgam in colubrum solutam expaveras. Rursum Deus: *Infer*, ait, *manum tuam in sinum tuum*. Quod quum fecisset Moses, deformi suffectam lepra deprehendit, quumque mox indidem extulisset, protinus pristino nitori restitutam vidit. Jussit porro

D Deus populo exhiberi signum colubri, & manum lepra repente obductam, mox sine medicamine sanatam, ut hujus negotii exitum adumbraret. Nec enim, ait, Pharao, aut populus ejus colubris duriores sunt, ut perinde mihi pronum non sit eos quovis versare pro meo arbitratu & voluntate, ipsorumque mentes, ut tuam modo manum, repente mutare. Sin autem hisce duobus signis, quæ spectantibus simul

E Israëlitis & Ægyptiis exhibenda erunt, minime flectantur, haustam è flumine aquam in campos fundito: si feceris, ea protinus in sanguinem transmutabitur. Moses etsi quæ optaverat, signa jam haberet, adhuc Deum orare perrexit, ut balbutienti, istuc linguæ impedimentum auferret. *Non enim*, ajebat, *sum vir sermonum ab heri & nudius tertius: sed neque, ex quo loquutus es mecum, facta est mutatio in mea balbutie*. Cui

F Deus: hoc ipso respondit, quo parvus videris, magnus fies, quando tibi, quasi Deo taciturno, addetur interpres Propheta. Sed & *ego ero in ore tuo*: non quo lingua tibi expeditior fiat, aut sermo disertior; sed ut anxia verba magna facta sequantur.

Moses post hæc in Madianitidem domum reversus, socerum rogavit, ut liceret fra-

fratres in Ægypto relictos revisere. Concessit ille, nam etsi Mosis discessus universam Jethri domum mœrore complebat, nemo tamen illum remorari ausus est, Deo negotium istud administrante, rebusque amborum alta providentia consulente. Et quoniam Moses verebatur, ne Regni proceres, quos olim, dum populum ab eorum vexatione defendit, graviter offenderat, novum etiam Pharaonem contra ipsum incitarent; ab eo metu Deus illum liberat, dicens: *Defuncti sunt omnes viri, qui quærebant animam tuam*. Moses itaque vi cœlesti & divino numine animatus Ægyptum petebat, uxorem & filios secum ducens, & virgam ferens, quum rursus illum interpellat Deus, monetque, ut Pharaoni hæc suis verbis denunciet. *Dimitte filium meum primogenitum, ut serviat mihi*, ne propter primogenitum meum, quem etsi exitu prohibere velis, utique non poteris, ego, quod possum, interficiam tuum. Sic Deus primogenitorum cædem, quæ quidem omnium plagarum maxima fuit, primam interminatus est, postremam est exequutus, plagisque signum serpentis, omnium minimum, antepofuit.

Jamque Moses aliquod viæ spatium Ægyptum petens emensus fuerat, quum in diversorio hospitanti occurrit Deus, mortisque pœnam intentat ob neglectam circumcisionem filii, qui in Madianitide natus, nec dum hactenus fuerat circumcisus. Nec enim Moses a die, quo factus est sermo Domini ad eum in Oreb, uxorem reviserat. Porro hæc vehementer angi animo cœperat, utpote quæ plane sibi persuadere nequiret, vera esse, quæ de se magnifice maritus narrabat, quæ quidem ex hoc capite peccabat, nec ipse Moses culpa vacabat, ut qui fœminæ circumcisionis observantiam detrectanti conniveret. Interim dum ista inter se versant, incubuit nox, & ecce Angelus utriusque errorem correcturus occurrit, & docet causam adventus sui aliam non esse, quam de neglecta circumcisione amborum culpam. Id porro factum eo consilio, ne Moses ad Israëlitas in Ægypto servientes profecturus, ab eisdem merito rideretur, ut qui extra omnem teli jactum positus, circumcisionis ritum neglexisset, quem tamen ipsi ab interitu filiorum continuo acerbissimoque mœrore affecti sanctissime coluerant. Apparet autem Mosi Angelus irato similis, ut ille nimirum disceret, quem timere eum oporteret, utrum Deum circumcisionis autorem, an costam circumcisionis disturbatricem. Illo itaque An-

[illegible]

Angeli conspectu, atque mariti periculo perterrita mulier, circumcisionis ritum, de quo pridie vespere cum Mose litigaverat, perficere festinavit, & quoniam aliud non occurrebat, acuto silice filii præputium circumcidit. Dumque ille suo sanguine cruentus, se humi volutat, mater Angeli pedes complexa: *Sponsus*, inclamat, *sanguinis est mihi*, quasi diceret, ne quæso facias luctum in die convivii. Notum quippe erat Abrahamum in circumcisione filii sui Isaac, diem ingenti cum lætitia transegisse. Idcirco Sephora, *Sponsus*, ait, *sanguinis est quoque mihi*, quasi diceret, si quidem nec mei gratia, quæ tamen filium meum mea manu circumcidi, neque ob conjugis merita, simile domui meæ gaudium præstare placet, qualecumque certe concedendum est ob reverentiam mandati, quod hoc facto atque hoc die firmatum est. Angelo mox abeunte, Moses nata ex re præsenti occasione Sephoram sic interpellat: te quidem tanto terrore concussit Angeli ad momentum horæ conspectus, quantum porro me metum sustinere putas a præsente Deo? Quave puritate præparandus animus illum advenientem excepturus, præsertim quum sub qualibet fere hora is mihi sese repræsentet? Quid? quod & opera uti mea velit ad patranda facinora admiranda? etsi ad vindicanda in libertatem sexcenta hominum millia missum non alio me viatico, præter hanc, quam gesto, virgam, instruxerit. Hæc præfatus, uxorem domum remisit: duas scilicet ob causas, primum pueri modo circumcisi gratia, ne longi itineris labore atque fatigatione recens vulnus exasperaretur. Rursus, quia Sephoræ & filiorum in Ægyptum ingressus importunus videbatur eo tempore, quo generalis inde exitus Hebræorum imminebat. Interea Dominus apparuit Aaroni, præcepitque, ut venienti fratri occurreret. Voluit Deus Aaronis mentem ad fidem futurorum eventuum præparare, ut quoniam opere compleri videbat, quod de adventu fratris prædictum audierat, neutiquam dubitaret, quin cætera pariter ad exitum perducenda forent, quæ non ab alio, immo ab eodem auctore Deo nunciabantur futura.

[illegible]

CAP. V.

Divina itaque auctoritate instructi fratres, populi seniores convocarunt, & quæ Deus præscripserat, signa exhibuerunt. Dedere manus universi, ut de Moysis missione nemo dubitaret. Quare facto agmine Pharaonem adeunt, Deique nomine interpellant. *Hæc dicit Dominus: Dimitte po-*

populum meum, *ut festum agat mihi in deserto*. Pharao, sive quod Israëlitarum senatum revereretur, sive quod signa a Moyse & Aarone exhibita accepisset, tantisper cum ipsis dissimulavit, & ad Mosen atque Aaronem conversus: *Quare*, inquit, *cessare facitis populum ab opere suo?* Sed quum illi nihilominus instarent, dimissionemque flagitarent, Rex quam texerat iram, mox patefecit. Enimvero quum signa divinæ missionis quærere oporteret, illisque exhibitis acquiescere, & populum dimittere, in eas voces erupit, ut diceret: *Quis est Dominus*, *ut audiam vocem ejus?* Verumtamen quoniam, quis esset Dominus, impie sciscitatur, necesse fuit, ut qui in propria specie Deum non viderat, in signis atque portentis agnosceret. Nec enim dubium est, Pharaonem sibi ingentes illas, quæ postea supervenerunt, calamitates impiis hisce dictis accersivisse. Neque satis visum est homini ferocissimo illa dicere, sed factis dicta exaggeravit, populoque paleas subministrari vetuit. Hinc fiet, (sic enim cogitabat) ut perpetuo labore occupatis, abstractisque, nec otiari vacet, perinde nec exitum cogitare. *Quam ob causam dispersus est populus ad colligendas paleas*, quas vix, nec sine magno discursu invenire erat; mensis quippe Nisan agebatur, tempus nempe florum, non Thamuz aut Ab, quando areæ paleis abundant. Quamobrem Scribæ populi a regiis exactoribus miserrime flagellati Pharaonem tristi cum vociferatione appellarunt: flectere tamen non potuere atrocem animum; quominus etiam desidiæ inertiæque ipsos accusaret. *Vacatis*, inquit, *ideoque quæritis abire*, *& sacrificare Domino*. Quum ergo Scribæ suorum Israëlitarum calamitatem in dies ingravescere cernerent, in præsentia & ante oculos Moysis adversus ipsum & socios Deum obtestabantur.

CAP. VII.

DIxitque Moses ad Dominum; ex quo Pharaonem tuo nomine conveni, quam populus tuus speraverat, salus ipsi facta non est, sed aucta calamitas. *Cui Dominus*: *perge porro*, ait, *& quum quæsierit Pharao signum*, *projice coram eo virgam*, *ac vertetur in colubrum*. *Vocavit autem Pharao incantatores*, *& fecerunt incantationibus suis similiter*. Idest, visi sunt fecisse: quæ enim hoc loco dicuntur suis maleficiis præstitisse, hæc non utique præter morem perfecerunt; quia suam suo more artem exercuerunt: quare inexpiabili scelere se obstrinxere, si se suis præstigiis Mosen superas-

[illegible]

A rasse jactarunt. *Devoravit autem virga Mosis virgas magorum*, ut qui nequissima præsumtione rerum naturas immutare se posse credebant, nec virgas quidem suas a virga Mosis servare se posse, intelligerent. Rursus virgas virga voravit, ne mors Ægyptiorum primogenitos perinde voraret. Ex virgis enim, quæ haustæ fuerant, Ægyptii præsagire debuerunt, filiis quoque suis simile exitium imminere, si quidem futuræ ca- **B** lamitati præsentem poenitentiam interponere, neglexissent. Eo nimirum consilio Deus plagas bene multas præmisit, ut Ægyptios ad poenitentiam provocaret, atque adeo horrendam illam suorum natorum stragem effugerent: quam idcirco, utpote omnium gravissimam acerbissimamque, decreverat, etiam fore postremam.

Dixitque Dominus ad Mosen. *Roboratum est cor Pharaonis*. Non dixit: *Ego* **C** *roboravi cor Pharaonis*; sed, *Cor Pharaonis roboratum est*, *& non vult dimittere populum*. *Rursus dixit Dominus ad Moysen: Egredere ad eum, & sta juxta ripam fluminis.* Fortasse illuc venire destinaverat Pharao, fluvio sacrificaturus; vel quod soleret, ad captandam molliorem auram, eo alias ventitare. Et quidem verisimile est Regem Ægypti patrio flumini statum & solenne sacrificium frequenter factitasse juxta **D** ta decreta magorum, quibus plurimum deferebat. Hic Pharao, quum a Moyse Dei nomine interpellatus, Hebræos se dimissurum negaret, Moyses percussit flumen, quod antiquus ille Pharao polluerat; ut aquæ infantium sanguine fædatæ in sanguinem verterentur, & pisces hominum mortuorum carnibus saginati, & ipsi morerentur. Et isthæc quidem plaga, ad injiciendum dumtaxat metum componi videba- **E** tur, in ea quippe primogenitis Ægyptiorum subrogati pisces immerentes poenam sustinebant. Quare postquam piscium strage, quod petebatur, obtinere non licuit, id porro filiorum cæde ab Ægyptiis extortum est. *Fecerunt autem incantatores incantationibus suis similiter*. Neque facientibus obstitit Moses, quia nec adversus eum faciebant: quum cæteroquin promtum esset eos nunc maleficio inhibere, **F** quos paulopost ulceribus confectos fugavit. Quum itaque Moses pro se magos stare cerneret, & contra suos populares pugnare, noluit prohibere, quin una cum ipso Ægyptum quaterent. Adeo malus, pravusque animus, qui a Deo dissentit, nec secum ipse consentit. Si enim malefici sibi constare potuissent, utique oppugnan-

gnantibus repugnare, atque percutientes repercutere debuissent: at illi contra Mosi Ægyptios obsidenti, cædentique, suppetias ferre videbantur: idcirco Moses illos nec inhibere, nec morari è re sua esse putavit, qui quum ruinas Ægypti suis artibus restaurare videri vellent, majores & luculentiores faciebant. Interea Magi monebantur, rerum naturas mutari non posse, vel quum ipsas mutare videbantur. Quandoquidem aquam in sanguinem transiisse cernebant, quod Ægyptiis incommodum, idemque factu difficillimum fuit, ut autem Sanguis in aquam rediret, quod Moysi maxime molestum, maleficis contra facillimum fore credebatur, id porro factum non est. Nec incantatores facere potuerunt; quæcumque enim ex arte facere solebant, hoc solummodo faciebant. Post hæc non ait Scriptura: *Dominus induravit cor Pharaonis*, sed *induratum est cor ejus*, & addit: *Et non audivit eos, sicut præceperat Dominus: Et avertit se & ingressus est domum suam, nec apposuit cor suum super hoc.*

CAP. VIII. Quum igitur Pharao post hoc signum in sententia persisteret, Aaron virgam extulit. Virga crucis figuram expressit: ab illa cœpta sunt adversus Ægyptios signa, quando integros serpentes hausit, prænuncians Deorum inanium & idolorum interitum & ruinam; & ab eadem pariter completa sunt, quando mare interscidit, & refluentibus fluctibus Ægyptios submersit, quo prodigio Israëlitis vicinum Chananæorum excidium etiam præmonstravit. *Ascendit autem rana, & operuit terram Ægypti. Et fecerunt incantatores suis incantationibus similiter.* Si malefici Ægyptios amabant, utique ranas dissipare debebant, nec fictas veris ranis Ægyptum jam obsidentibus adjungere. Non ergo sanabant, quia ranas disperdere non valebant: sed neque percutiebant, quia ranarum spectra exhibebant. Ergo neque sanabant, neque percutiebant, quando oculos per fictas imagines ludificabant. Perierant pisces, subsiliere ranæ, alterum natantium genus, ut scilicet de vivis ranis gravissime laborarent, qui de piscibus mortuis nihil laboraverant, adeo ut Pharao eas constituta die auferri flagitaret. Quod & impetravit, ita tamen, ut earum cadavera in tumulos aggerarentur, ne scilicet Ægyptii vana fuisse ranarum spectra putarent, & meras præstigias. Sed Pharao, impetratis induciis, in flagitio obstinatus obduruit, nec Hebræis de dimissione instantibus cessit.

Quam-

A Qamobrem Aaron virgam iterum adhibere compulsus est, percussoque pulvere, pediculos repente excussit, bestiolarum infestissimum genus, quod per universam Ægyptum propagatum, homines promiscue atque bestias invasit. Hic malefici artem rursus pertentarunt, non ut plagam plagæ adderent, sicut antea solebant, sed ut oberrantia circumquaque insecta extinguerent; irrito tamen conatu, quare quum: B artem suam eo eventu vehementer depressam, ejusque vanitatem patefactam fuisse cernerent, palam confessi sunt: *Digitus Dei est hic*: quamquam Pharao nec his cessit. *Sed induratum est cor ejus*. Non dixit: *Deus induravit cor ejus*; *& non audivit eos, sicut dixerat Dominus*. Et quoniam aquarum plaga, atque ranarum, & pediculorum loca Gessen, in quibus Israelitæ habitabant, occupaverat, perinde atque C Ægyptiorum regiones, Deus mox adducturus plagam noxiarum bestiolarum mixti generis, utramque gentem ita discrevit, ut Ægyptios quidem plecteret, simul Hebræos illæsos servaret. Hac plaga vehementer exterritus Pharao Mosen & socios compellans: ite, inquit, & in nostra ditione locum deligite, ibique tute Deo vestro sacrificate. Cui Moyses: Boves, respondit, & oves Deo nostro immolare D solemus, patrios nempe Deos Ægypti: quamobrem merito nobis metuendum est, ne ab Ægyptiis religionem suam violari contuentibus, & minime ferentibus, lapidibus obruamur. Locum idcirco tridui itinere ab Ægypto remotum quæremus, præsertim, quum istuc a Deo, qui hæc sibi sacra fieri jussit, præscriptum fuerit.

CAP. IX.

E *Dixitque Pharao, ego dimittam vos, tantummodo ne longius abeatis, & orate etiam pro me*. Verum cessante culicum plaga, Pharao fidem datam fefellit, nec populum dimisit. Quamobrem Deus in jumenta pestem immisit, ita tamen ut Ægyptios dumtaxat affligeret, & Hebræorum armenta intacta relinqueret; sed nec ejusmodi calamitate a sententia dimoveri Rex flectique potuit; altera proinde plaga urgendus fuit, F ulceribus per corpora hominum atque pecudum promiscue serpentibus, quæ Moses, ipso Pharaone præsente, jactato cinere, induxit. Hic malefici Mosis conspectum ferre non potuerunt, eo minus, quia arti suæ non erat locus. Nec enim in corporibus Hebræorum spectra ulcerum exhibere ipsis licebat, nec sua, veris ulceribus sauciata, fictam ulcerum imaginem recipiebant.

 Rur-

Rursus Deus pestem se immissurum Pharaonis domui populoque gravissimam comminatus, subdit: *Idcirco statui te in contentionem*. Idest, propterea præteritis te plagis non interfeci; ut ex calamitatibus, quibus afflicturus sum ditionem tuam, meam potentiam intelligas. Hoc interim accipito, quod crastino die sævissimam grandinis procellam immittam. Quocirca satagito, ut jumenta ad sua stabula redeant, ne quum pestem evaserint, superveniente grandine, absumantur. Hic animadvertito, quomodo Deus neutiquam delectabatur in tribulatione Ægyptiorum, proptereaque malum comminabatur, antequam inferret, ut peccatores poenitentiam agerent, & ipse poenitentibus poenam remitteret. Ægyptios monuit, ut imminenti procellæ armenta subducerent, & si quidem Deo monenti obsequuti pecora contraxissent, non erat, cur grando deplueret. Porro, quandoquidem monita contemnunt, sæva cadat grando, & divinæ animadversionis mirabilem discretionem impiæ genti suorum pecorum strages testetur. Cogatur etiam in stabula armentum, ut superventura grando piorum resipiscentium pecora, Deo ducente, præteriisse videatur. Ruit itaque præceps grandinis nimbus, intermicantibus fulgetris mistus: adeo nec grando ignem extinxit, nec ignis grandinem tabefecit; quin ea adjuncta, velut aggestis vepribus; flammam extulit luculentiorem. Simili miraculo grando, velut in fornace ferrum, sic igne torrente excandescere visa est, & quod etiam mirabile fuit, ignis grandinem inflammavit, ligna minime adussit: quare etsi sæviente procella annosæ arbores fractæ dissiliere, attamen nec hortos, nec vineas, sed nec sepes flamma corripuit.

Dixitque Pharao ad Moysen: peccavi hac vice. An non ille antea peccavit, quoties obstinatus in sua pertinacia perstitit? Ita sane, sed etsi antea peccavit, hac quantumvice non peccavit. Monitus enim, ut armenta congregaret, monita contemsit: perinde graviorem præteritis noxam contraxit, suamque stultitiam magis exaggeravit. His dictis dimissus a Pharaone Moses, manus in coelum levavit; simul conticuere nubium voces, pluviaque remisit, sive quod in auram evanesceret, sive quod in nubibus quodammodo stagnaret, aut ab eisdem resorberetur. Nec enim credendum est adeo celerem fuisse ejus è nubibus casum, ut ad easdem reditus velocior esse nequiverit. Nec tamen Pharao,

[illegible]

A rao, aut servi ejus ab instituto descivere, aut de populi dimissione consilium su-sceperunt.

CAP. X.

Dixitque Deus ad Moysen: vade ad Pharaonem, illiusque fortunæ, gloriæve altitudinem ne paveto. Et mea quidem patientia cor ejus egomet obduravi, dum ejus obedientiam prætento plagis tua manu incussis; ejus namque pœnitentiam mihi perpetuo propositam fixamque habui: B etsi ejusdem versutiam, & strophas simul perspectas haberem: tibimet enim prædixeram Pharaonem voluntati vestræ nunquam obsequuturum. Nihilominus ita cum illo agendum fuit, ut signa fierent seris usque nepotibus narranda. Dixit itaque Moses ad Pharaonem: si populo exitum adhuc inhibere pergas, locustas accersam, sata, quæcumque grandinis procellam evasere, voraturas. Dixeruntque Pharaoni C servi ejus. Quandiu populus iste in nostram perniciem & scandalum retinebitur? Abeant, & sacrificent Domino Deo suo, ne forte nosmet involvat pestis, quæ dudum agros, pecoraque nostra absumsit: aut adhuc ignoras universam propemodum Ægyptum concidisse? Quamobrem Pharao Moysen accersit, &: abite, inquit, vasa quoque, & sarcinas vestras advehite, sed vereor ne a Regibus locorum, qua iter fa- D cturi estis, grande aliquod paretur malum. At si bona quidem fide populi hujus incolumitati cautum velles, in tua utique ditione morantem æquius tractasses. Sique ex sincera etiam charitate illum retinere cuperes, profecto paleas laboranti non negares, nec novo onere gravares jugo pressum durissimo. Disce tamen, populum, cui adest admirandorum facinorum molitor Deus, cum homine pugnam non timere. Indu- E xitque Moses adhuc locustas, quæ herbas, & quæcumque a grandinis tempestate superaverant, absumserunt: adeo ut Pharao conterritus, se peccasse confessus fuerit, & peccati pœnam deprecaretur. *Peccavi*, inquit, *Domino, & vobis, & nunc ignoscite mihi peccatum meum*. Porro si Pharao obduratus fuisset, ista non diceret, quia cor obduratum a pœnitentia alienum est: F si ergo flagellatus orat, atque dimissus mox rebellat, huic utique liberum arbitrium fuit, ista quippe duo ejus in seipsum potestatem attestantur.

Mox edicente Mose disperiere locustæ, postquam Pharaonem facti pœnitere cœpit. At quum a proposito postmodum resiliisset, continuo incubuit atra nox, universamque Ægyptum ad triduum tenuit.

nuit. Hebræis interim lucis usura frui concessum fuit, tum ut aliquam ab assiduo labore remissionem caperent, tum ut ad vicinum exitum vasa sarcinasque colligerent. Dixitque Pharao ad Moysen: agite dum, abite, & Domino Deo vestro servite: uxores natique sequantur; solummodo pecora satisdabitis, vos ad nos omnino redituros. Non tot sunt nobis, respondit Moyses, pecora, ut ad magna sacrificia Deo nostro offerenda sufficiant: quamobrem ex tuo te armento oporteret Deo nostro hostias supplere, si quid tamen de tuis tibi gregibus superavit: quamquam nec ipsi scimus, quibus illi litandum sit victimis, donec Deus ipse nos doceat, quas sibi decreverit hostias. *Et induravit Dominus cor Pharaonis, noluitque dimittere populum*. Si Deus obduraverat cor Pharaonis, cor utique divinitus obduratum nec flectitur, nec mutationem patitur. Si ergo Pharao correptus ajebat, dimittam, impetrata post remissione, resistebat, nec jam dimittere volebat, istud profecto non ab induratione cordis a Deo immissa fiebat, sed ab interno dictamine operantis, qui, pœna premente, ad custodiendum mandatum ipse se flectebat, at quoties a dolore metuve respirabat, proculcabat leges.

CAP. XI. PRæcepitque Deus populo, ut a suo quisque sodali aurea argenteaque vasa postularet. Nocte quippe dimidia perituros prædixit Ægyptiorum primogenitos, necnon primos animalium fœtus. Quam ob causam per universam Ægyptum, talem complorationem futuram, qualis olim fuerat in domibus Hebræorum, quando ipsorum infantes in profluentem mittebantur. Et ait Moyses. *Hæc dicit Dominus: media nocte egrediar in Ægyptum, & morietur omne primogenitum in terra Ægyptiorum &c. Et descendent ad me servi tui, & dicent mihi: egredere tu, & populus iste, & tunc egrediar*. Scilicet, quoniam qualem populus meus plagam olim accepit, ea Pharaoni a principio inflicta non fuit, idcirco in hac pertinacissima contentione adhuc obstinatus obdurat.

CAP. XII. M*Ensis iste erit primus mensium anni, ejusque die decimo tollant singuli agnum per domos, & servabitur usque ad quartam decimam diem: immolabuntque eum ad occasum solis, & aspergent sanguinem ejus super utrumque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum*. Agnus est typus Domini, qui de-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

[illegible]

A decimo die mensis Nisan descendit in Virginis uterum. A die quippe decimo mensis septimi, quo Zachariæ Joannis nativitas prænunciata fuit, usque ad decimum primi mensis, in quo Mariæ Angelus divini Verbi incarnationem nunciavit, sex menses interfluxerunt: quocirca ab Angelo Mariæ dictum fuit: *Hic sextus est mensis illi, quæ vocatur sterilis*. Die itaque decimo Agnus inclusus est, & Dominus conceptus est, & quarto decimo B Agnus occisus repræsentat Dominum in cruce mortuum. Azyma porro cum succis amaris comedenda ejusdem novum Sacramentum adumbrabant, atque tristes ac mœrentes ex eo participaturos. *Comedetis Agnum succincti lumbos vestros, & baculi in manibus vestris & calceamenta in pedibus vestris*. Hæc novum Christi discipulorum cœtum præsignabant velut accinctum, paratamque ad Euangelium promulgandum viam mox ingressurum. *Baculi in manibus vestris*, cruces C sunt Apostolorum humeris impositæ. *Et stantes super pedibus vestris*: quia nefas est, sedentes accipere Corpus vivum. *Et omnis advena non comedet ex eo*: qui enim baptizatus non est, non manducat ex Corpore: *Et os non confringetis in eo*. Nam etsi clavis perforatæ fuere manus & pedes Domini, latusque lancea transverberatũ, os tamen in illo nullum comminutum fuit.

CAP. XIII.

D Nocte media divinitus immissa lues omnes Ægyptiorum primogenitos sustulit. Qui casus universam Ægyptum, supra quam dici potest, perculit, cunctasque per loca domos questubus, & ejulatibus implevit: ingens malum, non tamen sine causa: Ægypti namque sepulcra matrum Ægyptiarum primogenitis oppleri æquum fuit, postquam Ægyptiis visum est, Hebræorum infantibus fluvium E implere. Ea demum clade fractus Pharao, extemplo Mosen & socios accersit, jubetque Ægypto confestim excedere. *Surgite*, inquit, *& egredimini a populo meo, pecoraque simul vestra hinc abigite. Abeuntes benedicite mihi*. Profatus fuerat Moses, Pharaonis servos de exitu ipsum aliquando interpellaturos: profecto amplius, quam optaverat, consequutus est; quando non modo Ægyptiorum vulgus, sed ipsemet F Pharao rogabat, imo vero urgebat, ut nec expectata luce per tenebras noctis ex Ægypto sese proriperet. Quorsum istuc? Nimirum quum Ægyptii cernerent natos suos subita morte sublatos, similem sibi exitum inde conjectabant; etsi malefacta per veram poenitentiam corrigere nolebant. *Profectique sunt filii Israel de Ramesse*

messe viri sexcentum mille, & *in Socoth castrametati sunt*. Illorum porro in Ægypto exilium ad quadringentos triginta sex annos productum fuit; qui tamen annorum numerus non ab ingressu Jacob supputandus est, sed a die, quo Deus cum Abrahamo fœdus inivit. Sic Hebræorum populus ex Ægypto evasit, spoliis Ægyptiorum onustus, & instructus armis, Deo protegente, obtensa per diem nube, noctuque viam monstrante flammea columna. Eodem tempore Moses ossa Joseph extulit, secumque asportavit.

CAP.XIV. Interea Pharao populusque Ægyptius factam Hebræis abeundi veniam damnare, multa, ut fit, inter se agitare. Quid istuc factum, ajebant, ut tantis affecti malis, Hebræos pateremur, impune decedere terris nostris? quin & communes opes, & gazas diripere, & auferre sibi? At præstat sane perire, quam Ægyptiacum imperium Hebræorum ludibrio permittere. Hac inflammati cogitatione procurrunt, rati se, cæsis Israëlitis, non modo direptas opes recepturos, sed multas etiam ab hoste manubias facturos. In hanc profecto spem Pharao Hebræos insequebatur: *At illi egressi erant in manu excelsa*; divites auro & argento, vestibus & armentis, *nec erat in eis infirmus*: quemadmodum Deus Abrahamo promiserat. Porro Israëlitæ, conspecto Ægyptiorum agmine, trepidare, fugamque circumspicere cœperunt. At quid, num is erat Ægyptiorum exercitus, ut sexcenta millia armatorum in eam trepidationem, metumque conjiceret? Haud sane, sed Hebræi uxorum filiorumque, atque pecorum animadverso periculo, illico perturbati, vix mente oculisve constabant. Ecquis, ajebant, imbelles fæminas a militari licentia vindicet, aut armenta tot prædonum rapacitati subducat? Dominus, cito respondit Moses, ipse cœptum in Ægypto bellum hic absolvet, vobis in ipso conflictu cessantibus, atque tacentibus.

Dixitque Dominus ad Moysen: *Quorsum rogas*, quæ etiam non rogatus populo tuo præstare constitui? Quin, in figuram crucis vibrata virga, feris mare? Protinus diffissum pelagus cedet loco: *Et ecce indurabo cor Pharaonis*, idest, non cohibebo audaciam Ægyptiorum. Quare divisi quidem maris spectabunt miraculum, nec tamen, tanto prodigio moniti, errorem suum damnabunt. Hinc meritos sequetur poena, & ego glorificabor a ruina,

[illegible]

na, quæ meo numine atque nutu conflata, Pharaonem opprimet & exercitum ejus universum: *Scientque Ægyptii*, prius quam pereant, *quia ego Dominus*. Istuc illi professi sunt, quando mutuo se ad fugam adhortabantur. *Fugiamus a facie filiorum Israel: Deus enim pugnat pro eis contra Ægyptios. Et sustulit Angelus columnam nubis a facie filiorum Israel, statuitque mediam inter castra Ægyptiorum, atque Israëlitarum*; effecitque, ut nubes, quæ per diem Hebræos inumbrabat, per noctem utrisque castris interposita, Ægyptiis quidem tenebras affunderet, quales passi jam fuerant in terris suis per tres dies, ac totidem noctes; eadem è contra Israëlitarum castra luce clarissima collustraret. Idque divino consilio fiebat, ut Ægyptiorum cohiberetur audacia, Hebræi vero animos interim viresque repararent. Et sane si Ægyptii, quid illæ tenebræ portenderent, attendissent, nunquam pelago se temere credidissent. Enimvero istuc spectabat producta ad multas noctis horas maris divisio, nam minimo temporis momento a Deo findi potuisse liquet: diu tamen dilatum est, inductusque interim ventus urens, qui multo labore aquas siccaret, fretumque verteret in continentem. Hæc tamen Ægyptios haudquaquam inhibuere, ne cœco impetu Hæbræis fugientibus instarent: scilicet nec tenebras utrique agmini interjectas exhorruerunt, nec horrendo maris hiatu perturbati sunt, quin nocturno tempore, per cœcos aditus, semitamque impendentibus utrinque fluctibus obseptam, populum insequerentur, cui è sublimi excubans columna viam præibat; imo vero etiam ad arma pugnamque illum provocarent.

Jamque advenerat vigilia matutina, & ecce revelatus est Dominus super Ægyptios, & turbavit eos fixitque rotas curruum eorum: seu ne populo fugienti instarent, seu ne fugerent refluentis maris undas. At illi nec præsens Dei numen reveriti sunt, nec divina virtute, rotarum cohibente motum, absterriti, resipuere & male cœpta damnarunt; sed implicitos cœno currus omni vi impellere proximoque naufragio eripere conabantur. Quum autem Scriptura dicat, Moysen elevasse manum super mare, quum aquas divideret, è contra eisdem refluentibus demisisse, credibile est, Mosen erectas in sublime manus continuisse, donec universus populus mare transmitteret: quemadmodum postea fecisse legitur, Hebræis contra Amalecitas

tas præliantibus. *Involvitque Dominus Ægyptios, nec unus quidem superfuit ex eis*. Atque adeo Hebræi Ægyptios fluctibus prius obrutos, mox rejectante pelago in littus projectos aspectarunt, sicut olim placuerat Ægyptiis, cadavera Hebræorum infantium ad ripas fluminis aggesta contemplari. Hæc in Ægypto, & in mari gesta sunt, ob quæ *filii Israel crediderunt Domino & Moysi servo ejus*.

CAP. XV. C*Ecinerunt autem Moyses, & filii Israel canticum istud Domino*: Moyse scilicet præcinente, cæteris carmen recantantibus. *Cantate Domino magnifico*: idest, Domino, qui equos, & equites justa animadversione dejecit in mare. Idem *fortis & laudabilis est*: fortis, dum Ægyptios fluctibus obruit, idemque laudabilis, dum Hebræorum saluti libertatique consulit. *Jah Dominus*. Videlicet: *Qui est, ipse est Dominus, idem factus est nobis Salvator*, idem ajo, non vitulorum simulacra, quæ dudum artificis manus effinxit. Quamobrem *iste est Deus meus & glorificabo eum, Deus patris mei* Abrahæ, *& exaltabo eum. Dominus potentissimus est, & bellator*, qui, nobis ociose spectantibus, contra Ægyptios dimicavit, pelagoque dedit Pharaonem, & quem ostentabat, exercitum; sed & procerum suorum florem ab ipso lectum & in aciem eductum eodem naufragio involvit, rubrique maris fluctibus demersit. *Descenderunt in profundum*, & imos recessus subiere maris: proprioque depressa pondere corpora, quasi lapides, quas non hauserant, hauserunt aquæ. *Dextera tua Domine glorificata est in virtute*, idest nec quum Ægyptios profligare decrevisses, dexteræ tuæ defuere vires. *Misisti iram tuam, & devoravit eos, sicut stipulam*, in Ægypto, & in mari. *Et in spiritu tuo intumescentes coiere aquæ*. Idest, vel in spiritu tuo, hoc est, concitis ex adverso ventis mox scindendæ confluxere aquæ, vel oris tui præcepto didicit salum vagas undas subsistere & velut utre clausas tandiu sustinere, donec sexcenta Israëlitarum millia littus tenerent. *Densatæ sunt Abyssi in corde maris* ad perdendos Ægyptios. Crimen naufragii causam indicat subdens: *Dixit inimicus: Comprehendam eos, dividam spolia, deglutiet eos anima mea &c. Flavit spiritus tuus, & operuit eos mare*, ipsisque occidentibus superbæ simul molitiones eorum conciderunt. *Quis similis tibi Domine in Diis nominatis? Quis similis tibi, magnificus in sancto tuo?* Videlicet in habitaculo sancto

A B C D E F [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A ɛto tuo. *Terribilis* Ægyptiis, *atque laudabilis* Hebræis; *& faciens mirabilia* in mari, & in Ægypto. *Deduxisti*, præeuntibus viam nube & columna, *in misericordia tua populum istum*, quem ab Ægyptiaca servitute vindicasti. *Audierunt populi*, videlicet *Amorrhæi*, fluvium versum in sanguinem, *& contremuerunt : pavor obtinuit habitatores Philistiim*, quum primogenitos Ægyptiorum extinctos fama nunciaret. *Principes* B *Edom & Duces Moab* terruit divisum mare. *Dispersi sunt omnes habitatores Chanaan: irruat super eos formido* : adeo ut, adempta salutis spe, cura confecti stupeant, quum Pharaonem, & ejus copias pelago haustas intellexerint. Ita, quæso, occurrentes quæquæ nationes immisso pavore obstupefactæ obmutescant; quominus bellum cogitent adversus populum tuum, per earum terras iter facturum; populum, C inquam, tuum hunc, *quem redemisti*, quem etiam *plantasti in monte hæreditatis tuæ*, vid. in terris Chananæorum. *Locum præparatum habitationi tuæ* in Jerusalem *fecisti Domine* : *Sanctuarium Domine præpara manibus tuis* : vid. numine nutuque tuo præsta, ut templi tui surgat ædificium. *Dominus regnabit super nos in sæculum*: Dominus, ajo, non exteræ nationes. *Ingressi sunt equi, & quadrigæ Pharaonis, & equi-* D *tes ejus in mare*; dumque nos comprehendere, atque opprimere contendunt; pelagus elusit conantes, reductisque repente fluctibus, inopinos corripuit, & submersit.

Sumpsit ergo Maria Prophetissa &c. Quid, num illa prophetavit? vel Scriptura ipsam hoc nomine decoravit, sicut & Esaiæ uxorem prophetissam appellavit, quum talis non esset? etsi fæminam sanctam & justam fuisse non dubitem. In geminos E itaque choros divisus est eo die populus, dignum Deo carmen cantaturus, qui eodem die pelagus sciderat, & hostes aquis extinxerat. Moses scilicet virorum, Maria fæminarum agmini præcinebant: *Cantate Domino triumphatori, quia magnifice egit*. Quando citra laborem & pugnam hostes suos obtrivit, & ingentibus hisce plagis exagitavit, quasi nihil ageret.

CAP. XVI.

F JAmque mari transmisso, ad loca Morath Israëlitarum agmen processerat; quum Deus illos tentare volens siti vexari permisit, quam aquarum penuria atque desperatio vehementer accenderat: inde materies data est protervo populo obtrectationum ac tumultus, quem ut compesceret Deus, lignum quoddam Moysi mon-

ſtravit, quod quum ille in aquas miſiſſet, continuo dulces effecit. Lignum iſtuc Crucem Domini adumbrabat, cujus attactu gentium amaritudo medicanda præſignabatur. Quumque Deus eo, quem dixi, medicamine aquarum ſaporem immutaſſet, mox condidit leges, ut nimirum virga naturam corrigeret, & libertati lex blandiretur, & ſuaderet. Ea tentatione defuncti, è locis Morath progreſſi ſunt ad regiones Elim, & inde ad deſertum Sinai. Hic deſiderium carnium novarum turbarum occaſionem præbuit; & Deus annonam populo è cœlo ſuppeditavit, adjecitque præceptum, ut diurno victu contenti, craſtini diei curam non præoccuparent. Et quia non defuere, qui ex cibi aviditate præſcriptum dimenſum excederent, quive è contra ex ſegnitie, & ſocordia ab eodem deficerent, ſupplevit defectum, & exceſſum ſuſtulit de ſuo vas ipſum, quod ad explorandam quantitatem mannæ adhibendum erat. Cæterum labor colligendi manna non ſine cauſa injungitur, qui ſegnitiem & deſidiam arceret. Sabbati nihilominus otium ſancitum eſt in gratiam ſervorum & mercenariorum, boum quoque, atque jumentorum; ſed nec ſabbatum homines impii obſervarunt, qui eo die palabundi per agros manna quæſivere; incaſſum tamen, nec enim invenerunt. Subdit Scriptura: manna ſpecie quidem coriandrum, mel autem guſtu repræſentaſſe, ut inde intelligeremus, manna ad omnem ſaporem compoſitum fuiſſe. Eoque phialam impleri mandatum fuit, atque perpetuo aſſervari: quod & factum eſt, adeo ut nec plurium ſæculorum decurſu computruerit, aut vitium ſenſerit. Nihilominus idem privatis in ædibus in poſterum diem repoſitum continuo vermibus ſcatebat. Iſtud opſonii genus Iſraelitis victum diurnum ſuffecit ad quadraginta annos, nec cœlo depluere deſiit uſque adeo, donec terræ promiſſæ fines tenuerunt.

CAP. XVII.

Ventum tandem in loca Raphidim, ubi denuo adverſus Moyſen populus, nata ex aquarum defectu ſeditione, non ut ante ſolebat, ſecum commurmurare & demiſſe fremere, imo vero aperto jurgio contendere, & rixari cœpit. *Clamavit autem ad Dominum Moyſes*, orans & dicens: *Quid faciam? populus iſte me lapidabit*; nec profecto manus ejus effugiam, niſi aquam dedero, qua modo accepta adverſum me tumultuari deſinet. Hic

[illegible]

A Hic Moses præsentibus senioribus ex cautibus montis Oreb fontem elicuit: & quoniam dixerant: quomodo Deus adest nobis, quibus nec ad restinguendam sitim, aquæ suppetunt? Idcirco proceribus populi præsentibus & aspectantibus erupit fons, certam fidem facturus, Deum a castris minime abesse. Usque adeo populus ille pervicacissimus, præteriti temporis miracula oblitus, nova quærebat, & quamvis B perpetuo oculis obversarentur mannam, nubes, & columna, sed & conturnices in castra involarent; nihilominus, quia eadem in longum tempus producebantur, illa protervi homines mirari desierant, nec miracula esse putabant; proptereaque nova signa petebant, dubitantes, hæsitantes, circumspectantes, nec Dei præsentiam sentientes.

Hic bellum cum Amalecitis cœptum C est, duce Josue. Moses interim subiit in montem, virgam manu ferens, quam cæteroqui nunquam gestare solebat, nisi quum patrandorum miraculorum necessitas instaret. Ut discas sceptrum illud sacramentum Crucis adumbrasse, cujus proinde divina virtute admiranda illa, quæ narrantur signa Moses ediderit. Moysen sequuti sunt Aaron & Hur, quem utriusque cognatum fuisse ajunt. Quamdiu er- D go Moyses in sublime erectas manus sustentabat, Israëlitæ perpetuo victores fuere, adeo ut populorum, qui in eorum perniciem plurimi conspiraverunt, nemo tamen impetum, impressionemque tulerit. Mose contra demitrente manus, Hebræi victi, cæsique fuere, & merito, ut qui Dominum & Moysen perpetuis obtrectationibus & jurgiis incesserent. Moses porro protensis manibus, simulque virgam E pectori applicitam gerens, Crucis expressam imaginem repræsentavit. Accidit itaque, ut tempore eodem Josue in acie præliando, Moses orando in monte rem gererent; populus vero modo strenue hostes fugaret, modo trepidus fugeret, ut manus Moses protenderet, ut laxaret. *Et dixit Dominus Moysi: scribe monimentum istud in libro, & Josue tradito, quoniam delendo delebo memoriam Amalec.* Istuc por- F ro publicis tabulis inscribi mandavit, tum ut vicinæ gentes, severæ animadversionis comminatione deterritæ Israëlitas lacessere desinerent: tum ut Amalecitæ resipiscerent, illisque ad sanam mentem se revocantibus, ipse latam contra eos sententiam pariter revocaret. *Et ædificavit Moyses altare, & vocavit nomen ejus, Dominus*

experimentum dedit : ideſt, tale Deus potentiæ ſuæ ſpecimen in Amalec populo bellicoſiſſimo exhibuit, ut ex illo reliquæ nationes Amalecitis nec numero, nec opibus comparabiles, facile conjectarent ſimili ſe clade repellendos, ſi quidem contra Iſraëlitas bellum reparare, auſæ fuiſſent. Jam vero, etſi Chananæi optime perſpicerent, ea, quæ gerebantur, Dei geri conſilio & numine, atque proinde ab ejuſdem voluntate pendere ſuam ſalutem, perinde atque perniciem, dexteram tamen neutiquam petierunt. Præceperat nempe Deus Iſraëlitis, ut civitatibus Chananæorum ante bellum dexteram traderent. *Et ecce manus Domini in ſolio*: ideſt, in ſede judicii, in qua Moyſen collocavit. *Et bellum a Domino contra Amalec a generatione in generationem* durabit, dum Amalec perget iſtam tenere viam, Deumque contemnere.

A B C [illegible]

CAP. XVIII.

E*T venit Jethron ſocer Moyſis, & egreſſus eſt Moyſes in occurſum ejus, & adoravit eum*. Morem ſcilicet, quem, quum apud eum hoſpes ageret, tenuerat, retinuit etiam poſtquam omnia, quæ retulimus, admiranda facinora perpetrarat. Mox eidem miracula, quæ Deus per ipſum ediderat, narravit. Ut nimirum, quod ſimplici ſermone doctus per quadraginta annos necdum didicerat, ſignorum evidentia convictus fateretur. Nunc enimvero credo, ajebat, Deum tot, tantorumque bonorum inceptorem ac perfectorem eſſe oppido ſuſpiciendum admirandumque præ cunctis gentium Diis; quippe qui talia profecto ſuis cultoribus præſtare non poſſint. Hæc Jethron, reputans Ægyptiorum adverſus Hebræos molitiones, ſeu quum natos illorum interficerent, rati, interrupta ea arte propagatione & ſobole, gentem univerſam brevi interituram; ſive quum palearum dimenſum laborantibus negarent, ut contra Moyſen commoverent; ſive quum per deſerta loca palantes opprimere cogitarent, ingentem inde prædam ſibi pollicentes; quaſi ſua recepturi, ſuiſque confuſas non ſuas opes tute direpturi. *Tulitque Jethron hoſtias Domino*. Ideſt, vel per Moyſen obtulit, vel ſepoſuit, in eo, quem Deus deſignaſſet, loco litaturus. Eodem auctore, Moſes tribunos creavit, & centuriones, quinquagenarios, & decuriones, qui populo jus dicerent, & communicato labore ipſum Moſen utcumque relevarent. Ita demum Jethron in patriam remigravit. *Men-*

D E F [illegible]

[illegible]

[illegible]

A

CAP. XIX.

M*Ense tertio* , exactis scilicet ab exitu quinque & quadraginta diebus, *ascendit Moyses in montem ad Deum . Et dixit ei Deus: Vos ipsi vidistis, quæ fecerim Ægyptiis*, plagas , videlicet , quibus cæcidi eos terra , marique , *& assumpserim vos velut super alas aquilarum*, nube vobis monstrante viam. *Et adduxerim vos ad montem istum . Et nunc si audieritis vocem* B *meam , mihi eritis dilecti , plusquam omnes gentes , eo , quod vos solos elegerim mihi ex universis gentibus , ut sitis mihi regnum , & sacerdotes , & populus sanctus* : quandoquidem ex ipsis deligendi erant Reges & Sacerdotes: sed & illi sancti erant, & puri ab omnibus immunditiis externarum gentium . Et constituit eis præcepta dicens. *Ego sum Dominus , retribuens peccata patrum in filios in tertiam & quartam ge-* C *nerationem eorum , qui oderunt me* . Nam etsi Deus hominem peccantem pro sua longanimitate & patientia sustineat , nec ipsum aut filium, aut nepotem statim puniat ; nisi tamen pœnitentiam egerint, pœnam devolvet in caput quarti, si forte paternæ nequitiæ imitatorem inveniat. *Et faciens justitiam in mille generationes iis , qui diligunt me , & custodiunt præcepta mea*: sicut hodie feci tibi, & populo tuo prop- D ter patres vestros Abraham & Isaac. Cæterum omnia mandata Israëlitis tradita, comprehensa censentur illa naturæ lege: quod tibi non vis, alteri ne feceris. *Non ergo occides*, ne quod nolis, alter te. *Non mœchaberis* , ne uxori tuæ referatur injuria, quam proximi tui uxori intulisti. *Non furaberis* rem alienam, ne alii tuam. *Non dices falsum testimonium adversus proximum tuum*, ne ille adversus te. *Non concupisces* E *res proximi tui*, ne ille tuas. Ut hinc intelligas vere ac merito a Domino dictum: *In his duobus mandatis* de dilectione Dei & proximi, *universa lex pendet & Prophetæ*. Naturæ scilicet jus a lege, & a Prophetis explicatum. Huic nihilominus aliæ leges , certis de causis noviter incidentibus merito postmodum adjectæ fuerunt. *Altare de terra ædificabis ; & non levabis* F *super lapides ferrum , ne polluantur*. Pertinent hæc ad illud : *Vidistis quod de cœlo loquutus sum vobis . Non facietis mecum Deos aureos, vel cujusvis generis . Neque ascendes per gradus ad altare meum* . Cavet itaque ne ad structuram altaris lapides politi adhibeantur, ne forte quum poliunt lapides altaris, altare Deum sibi faciant.

Luc. 6. 31.

Inf. 20. 23.

Eo-

CAP. XXI.

EOdem tempore Deus officium hominis erga proximum suum certis legibus explicuit & sancivit. *Si quis vendiderit filiam suam in famulam, illaque displicuerit oculis domini sui, ut eam ducere noluit, sicut ei spoponderat, quando illam concupivit: populo autem alieno non venumdabit eam, quia mentitus est ei, postquam illam accepit. Si quis hominem percusserit, isque mortuus fuerit, occidatur. Qui autem non est insidiatus illi, sed ipsum tradidit Deus in manu ejus*: quia nimirum definitus vitæ terminus advenerat, qui illum interfecit, imprudens & invitus, divinæ voluntatis censendus est exequutor. *Huic locum refugii constituito*. Nec ille, qui præter voluntatem interfectoris cecidit, Deo nolente vitam amisit, quandoquidem ipse interfectum interfectori objecit, ne limites divino decreto statutos prætergrederetur, sed homo mortalis vivere quandoque desineret.

Si rixati fuerint duo, & percusserint mulierem prægnantem, & non fuit exitium, quia fœtus necdum plene formatus fuerat, nec suis compactus membris, *multam solvet. Sin autem fœtus perfectus fuerat, reddet animam pro anima*.

Non immolabis super fermento sanguinem victimæ. Hoc referendum est vel ad illud: *Non invenietur vobis fermentum in mactatione agni*. Vel cavet ne confundantur sacrificia, & sanguis ultimæ victimæ componatur cum prima, quæ jam mactata fuerat, & altari imposita.

Sup. 12. 19.

Neque remanebit adeps solemnitatis usque mane. Eadem quippe die ignis altaris consummabit illum. Adipis cura, curam victimæ præstantioris insinuat.

Ecce ego mitto Angelum meum ante te. Observa eum, quia nomen meum est in illo. Quia vices Dei gerebat, Dei nomen in illo fuisse dictum est.

Et ædificavit Moyses altare, & misit juvenes filios Israel, idest filios Aaron ad præparandos vitulos in holocaustum. Nec enim hactenus uncti fuerant ad sacerdotii officia rite obeunda.

Et postquam legit volumen fœderis coram eis, illique dixerunt, omnia, quæ dixit Deus, faciemus, aspersit sanguine populum, dicens: Hic est sanguis fœderis, quod pepigistis dicentes: Omnia quæcumque dixerit Dominus, audiemus & faciemus. In sanguine fœderis, Euangelii sacramentum per Christi mortem & sanguinem gentibus inferendum præsignabatur.

Et

[illegible]

[illegible]

A

CAP. XXIV.

Et ascendit Moyses cum suis, & seniores septuaginta, videruntque Deum. Eratque sub pedibus ejus, quasi opus lateris sapphirini, & quasi color cœli quum serenum est. Later populo ægyptiacam servitutem in mentem revocabat; & aspectus cœli, quum clarum est, eosdem admonebat, quod etiam alibi præceptum est, meretricium fucum esse fugiendum. Et super seniores non protendit manum suam, quippe qui ad visionem vocati fuerant, non item ad prophetiam, quamquam & hanc postmodum acceperunt. *Et dabo tibi lapides &c.* Moyses itaque legem tabulis lapideis insculptam Israëlitis tradidit, eandemque digito Dei fuisse exaratam significavit, quo ipsis augustiorem ac venerabiliorem redderet, reputantibus illam Dei manu descriptam, ejusdemque auctoritate sibi impositam fuisse. *Et ascendit Moyses & Josue in montem, & vocavit Dominus Moysen die septimo de medio nubis, & vidit gloriam Domini omnis domus Israel.* Eodem tempore Deus tabernaculi formam & materiam, universumque instrumentum Moysi exposuit. Sacri præterea unguenti atque thymiamatis compositionem tradidit, & sacrificiorum cæremonias & ritus. Quum autem Deus Moysen ita alloquitur: *Omnem, quam ostendo tibi similitudinem Tabernaculi, sic facies*: videtur veteris testamenti Tabernaculum appellasse similitudinem seu typum, & tabernaculum temporarium, quo insinuaret, idem ad tempus duraturum, eoque demum sublato, substituendam Christi ecclesiam, & hanc, utpote perfectum consummatumque cœlestis Tabernaculi exemplar, in sempiternum mansuram. Rursus Tabernaculum similitudinem, seu imaginem cœlestis Tabernaculi dixit, ut Israëlitæ ex archetypi excellentia exemplaris dignitatem conjicerent: idcirco etiam subdidit: *Et veniam & loquar ad te supra propitiatorium*: adeoque Dei voces, quasi supra alas duorum Cherubim arcam ambientium insidentis, deferebantur ad Pontificem, cui intimum illud adytum semel in anno fas erat intrare.

B C D E

F

[illegible]

CAP. XXXII.

Videns autem populus, quod moram faceret descendendi de monte Moyses, dixit ad Aaron: fac nobis Deos, qui nos præcedant; Moysi enim huic viro, qui nos eduxit de terra Ægypti, ignoramus, quid acciderit. Itane vero Moyses ignotus, quem superato monte, nubem intrasse nuper vidistis? Quin ergo mittitis exploratum? quin

A quin potius ipsimet ad cacumen montis aditis? & si quidem eo venientibus nec Moyses, nec ejus famulus Josue appareat, tum vero deliberate. At enimvero dum manent quæcumque vobis ille comparavit, manna & coturnices, columna & nubes, itane contemnitur a vobis Moyses, ut perinde ac si nunquam fuerit, esse desiisse videatur? Attamen Aaron insanam turbam ab eo consilio avertere conatus, adeo non persuasit, ut nihil propius B factum fuerit, quam ut lapidibus obrueretur; quo mortis genere Mosis cognatus Hur ex eadem causa sublatus fuerat; quem eodem tempore in montem subiturus præsentibus senioribus populi judicem designaverat. Quum ergo ejusdem nulla postmodum mentio in sacra historia recurrat, hinc docti interpretes conjectarunt, illum interfectum fuisse in ea seditione, quæ C pro vituli construćtione adversus Aaron concitata fuit. Quum enim Hur seditiosis animose & fortiter obstaret clamans, nefas esse fidem cum Deo mutare; ajunt ab eisdem fuisse trucidatum. Aaron igitur, ut necem fugeret, populus pœnam simul veritus, ne nefarii homines pro uno plures sibi facerent Deos, susceptaque nova religione, quoniam Ægyptiorum contubernium conspectumque fugiebant, loca Ægypto vicina D occupare cogitarent; mulierum inaures ad constructionem vituli depostulavit; confidens, easdem maritos ab ea cogitatione certo avocaturas; vel quod aurum suum habere vellent, vel quod suum Deum deserere nollent; siquidem utroque in posterum carere cogebantur. Consilium elusit eventus: illico namque populus, quantum auri pondo petebatur, hinc inde a fœminis corrogatum sacerdoti repræsentavit. Adeo, quantum illi Ægyptiis antea E grati acceptique fuerant, quum aurum ab ipsis acciperent, tantum iisdem vitulus post charus fuit, quum ad conflandum ejus simulacrum, quod collegerant, aurum prodigerent. Continuo ex ea materia aurifices vitulum conflarunt, cæteri proclamarunt Deum. *Hi sunt Dii, qui eduxerunt te de terra Ægypti*. Negarunt itaque quæcumque Deus, quem oderant, terra marique fecerat; ut quæ certe non fecerat F vitulus, quem amabant, fecisse tamen videretur. Cæterum ex eo, quod Scriptura hic narrat, Aaronem populi metu consternatum vitulo construxisse aram, iterum suadetur Hur a tumultuante populo interfectum fuisse, dum, seditiosis petentibus vitulo sacra fieri, obsistit. Interea Aaron

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A Aaron, ut populum diſtineret, donec Moyſes a monte rediret: *Solemnitas*, inclamat, *erit craſtino die Domino*. Ut dies illuxit, ad aram novi numinis convenere omnes, & cæſis hoſtiis ſuſceptam heſterno die religionem ſanxerunt. Interim mirare profundam iſtorum hominum ſtupiditatem, qui dum idolo ſacrificant, manna ſimul cœleſte Dei munus comederint! biberint aquam de petra Dei beneficio profluen- B tem, & ſub tegmine nubis ab illo in remedium æſtus comparatæ, conſederint.

CAP. XXXIII.

D*Ixitque Dominus ad Moyſen*: Deus videlicet veritatis ad Deum populi. *Peccavit populus tuus*, *fecitque vitulum*, *dicens*: *Hi ſunt Dii tui*, *qui eduxerunt te de Ægypto*. Hæc ad Moyſen Deus, ut dum de peccato populi illum admonet, ad orandum pro peccantibus excitet. Quod ergo mox ſubjecit: C *Dimitte me*, *ut deleam eos*, perinde fuit, ac ſi dixiſſet: *Prohibe hoc malum*. Enimvero ſi Deus populum perdere volebat, iſtuc utique populi patrono & labefactata mœnia reficere parato neutiquam aperuiſſet: eo porro quod aperuit, palam fecit, populi interitum ſibi nequaquam placere. Prius ergo ſe præparavit ad veniam, deinde Moyſen provocavit ad precem. Nihilominus ne ſine cauſa condonaretur peccatum, neve hæc ipſa peccati D remiſſio peccantibus ingens detrimentum afferret, Moyſi patefecit pœnam, ut hanc illo deprecante tanto pluris venia æſtimaretur, paciſque ſequeſter Moyſes eo celſiorem locū obtineret. Igitur poſtquam Moyſes orando, & Patriarcharum merita commemorando Deum placavit, Joſue comitante *de monte reverſus eſt, portans tabulas teſtimonii in manu ſua*.

Dixitque Joſue: *ululatus pugnæ auditur in caſtris*. Profecto, ſi Moyſe nubem E ingreſſo, Joſue a monte ſe recepiſſet in caſtra, hæc neutiquam ex mera conjectura loqueretur: quando omnia, quæ ibidem circa vitulum gerebantur, ignorare non poterat. Sed neque fuiſſet ea loquuturus, ſi Moyſis lateri perpetuo hæſiſſet: Deum quippe de peccato populi cum Moyſe agentem audiſſet. Ergo nec populo, nec Moyſi aderat, ſed ab utriſque ſegregatus in clivo montis ſubſtite- F rat. Septem nempe dies apud magiſtrum in monte commoratus eſt: at poſtquam ille a Domino vocatus fuit, ſolus ipſe Moyſe abeunte remanſit.

Quumque Moyſes appropinquaſſet ad caſtra, *vidit vitulum & choros*, *iratuſque tabulas de monte allatas ad radices montis confregit*. Et nimirum quid eæ leges po-

CAP. XXXIII.

pulo profuissent, qui contemto Legislatore, vitulum sibi fecerat Deum? Et quoniam non constabat, cujusnam consilio, operave vitulus fuisset conflatus, Moses simulacrum scabit, & scobem aquæ inspersam populum ebibere compulit, qua hausta ejus flagitii autores, consultoresve distento statim corpore turgescebant. Nam etsi universus populus inaures ad confectionem vituli subministraverat, credibile tamen est, bene multos metu compulsos id fecisse, quando ipse Pontifex Aaron eadem ex causa idolo excitaverat aram. Illi itaque solummodo eo morbo correpti sunt, qui simulacrum excogitaverant, cæterisque autores fuerant, ut ejusdem fabricationem flagitarent.

Stans Moyses in porta castrorum ait: Si quis est Domini, jungatur mihi: congregatique sunt ad eum omnes filii Levi: Quibus ait: *Hæc dicit Dominus Deus Israel &c.* Quid, hæccine Deus Moysi edixerat? Imo vero hisce graviora, antequam a Moyse exoratus populo placaretur. Nam post orationem Moysis subdit Scriptura: *Placatusque est Dominus, ne faceret malum, quod loquutus fuerat adversus populum suum*. Viden' Moysen pacis sequestrem in monte, in castris criminum vindicem? Quum Judicem alloquitur, ad misericordiam & lenitatem ipse se illumque revocat: quum populum, ardet & fervet divini honoris studio. Quo porro idololatras severe punit, Dei decretum exequitur. *Ite & redite per medium castrorum, & occidat unusquisque fratrem, & socium suum, & proximum suum*. Omnes indiscriminatim interficite, inquit, in quibus vituli notam deprehenderitis, sive is consanguineus sit, sive affinis, sive frater, filius, aut pater: *Et fecerunt filii Levi juxta verbum Moysis, & ceciderunt de populo in illa die tria millia virorum*.

Reversusque Moyses ad Dominum ait: Obsecro, vere peccavit hic populus peccatum maximum... Et nunc dimitte eis hanc noxam: si non facis, dele me de libro, quem scripsisti. Quasi dicat: potius mihi sit, vita illa venturi sæculi carere, quam videre populi hujus interitum. Sic Moses mortem Filii Dei pro cunctis gentibus oppetendam expressit, dum optat, pro populi sui salute mori. *Et ecce Angelus meus præcedet te*. Non me, ait, viæ ducem in posterum habebis, sed Angelum. Et in die visitationis meæ in manu ejus visitabo super illos peccata eorum: *Observa eum, quia nomen meum in illo*. Populum

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A lum peccatorem ſimul animat, ſimul admonet, ac terret. Cave, inquit, huic duci tuo, in quo eſt nomen meum injuriam facias, aut aliquam offenſionem afferas, quin illum revere-re, habetoque in honore. Dei porro nomen tulit, qui vicem gerebat. *Et ait Moyſes ad Dominum: Oſtende mihi gloriam tuam*, ut noſcam te, certiorque fiam, ex iis, quæ in præſenti mihi præſtiteris, me accepturum quæ ſpondes te poſt daturum. *Reſpondit: Ego* B *traducam coram te omne bonum meum*. Ideſt, oſtendam tibi quaſi per tranſennam gloriam meam, qualem tamen tuorum oculorum acies poterit ſuſtinere. *Et miſerebor, cujus miſerebor, & diligam, quem diligam*. Ideſt, miſericors & clemens ero, nec tamen in omnes populos, nec in totam Iſraëlitarum ſynagogam. *Non poteris videre faciem meam*. Cui enim ſummi boni contem-C platio conceſſa fuerit, huic vitæ mortalis uſura carendum eſt. *In tranſitu gloriæ meæ ponam te in foramine petræ*. Tranſitum gloriæ, divini Verbi in carne adventum appellat. Petra cœtum filiorum Eccleſiæ Chriſti repræſentat, in qua lex nova gratiæ exarata eſt. *Et ducam ſuper te manum meam, & poſteriora mea videbis*. Impoſitionem manus promittens innuit, ſe Moyſi ſacerdotii poteſtatem collaturum D in ſynagoga typo Eccleſiæ Chriſti. *Et poſteriora mea videbis*. Sic corpoream naturam a Verbo divino aſſumtam vocat. Nam divina facies, quæ viſa non fuit, divinam naturam ſignat, a noſtris ſenſibus omnino ſejunctam.

CAP. XXXIV.

ET ait Moyſes ad Dominum: Dominator Dominus Deus, qui cuſtodis gratiam in millia. Hoc dicebat Moyſes cogitans, Deum ſui E temporis Iſraëlitis ea exhibuiſſe, quæ pluribus ante ſæculis ipſorum majoribus promiſerat. *Reſpondit Dominus: Obſerva omnia, quæ hodie mando tibi... Cave cum habitatoribus terræ in ſocietatem coeas*, ne vos propria religione ſeducant, & filias veſtras viri propriis erroribus implicent, fæminæque filiorum veſtrorum mentes corrumpant: quaſi dicat, ad Moyſen verba faciens: Caveto, ne populus tuus gentibus ami-F citia, aut conjugiis communione jungatur; alioquin fruſtra me ad diſperdendos Chananitidis habitatores ſollicitas. *Omne primogenitum maſculini generis adaperiens vulvam, ſanctum vocabitur*. Novi hominis per baptiſmum regenerationem indicat, & docet Chriſtianos hujus ſacramenti ſignaculum cuſtodientes Do-

mino in omne tempus sacratos esse censendos. *Non coques hœdum in lacte matris suæ*. Sensus est: siquis ab idolorum cultu, aliave secta conversus fuerit, cave, exprobres illi propriæ sectæ errores, aut mores patrios. Hœdum ergo vocat peccatorem cum Hœdis ad sinistram abigendum, matrem intelligit priscam ejusdem religionem & nomen. Alter sensus est: ut hoc præceptum alterum simile explicare dicatur. *Septem*, inquit, *diebus Hœdus sit cum matre sua*, *& octavo die*, a lacte utique avulsum, *reddes illum mihi*.

Altare de terra ædificabis; *quod si lapideum*, *non levabis ferrum super eo*, *ne polluatur*. Docet offerendum esse Deo sacrificium humilis cordis & laudis, non tamen coactum, nec vi expressum: ea enim hostia grata & accepta est, si homo se Deo statuat templum & altare suo judicio, suaque voluntate, vi sua, non aliena ductus, nec item lapidis in modum, qui secure & malleo dolatur, & artificis manu judicioque aptatur ædificio. Quo autem altare de terra quoque ædificari concedit, homini corpus de terra concretum in memoriam revocat, & innuit corpus etiam, piis tamen ante laboribus purgatum, sibi esse offerendum.

CAP. XXXVII.

Fecit autem Besleel & arcam de ligno imputribili: *vestivitque eam auro purissimo intus ac foris &c*. Arca naturam corpoream Emmanuelis repræsentat, ex incorruptibili autem ligno fabrefacta dicitur, quia Christi corpus peccati expers fuit, & corruptionem non vidit. Aurum porro extimas simul, & intimas partes arcæ operiens, divinam Verbi naturam signat cunctis animæ corporisque partibus ineffabiliter unitam. Unxit enim humanitatem nostram sua divinitate, sicut scriptum est. Rursus in arca quaternos præferente annulos hortum voluptatis illum intelligibilem contemplare, fluviosque simul inde scaturientes. Item vim sentiendi & animi intelligentes sensus, & in cornibus arcæ duos mundos, alterum intelligibilem, & alterum nostris sensibus subjectum.

Propitiatorium, ex auro purissimo fabrefactum, operiens arcam, Emmanuelem significat: Cherubim duo propitiatorio superimminentia Prophetas & Apostolos. In mensa aurea quatuor columellis fulta cogita optimam præstantissimamque

que summi opificis naturam, ipsique substantes & conjunctas substantias mente & ratione præditas. Geminæ coronæ, quibus aurea mensa redimitur, rursus tibi subjiciunt mundum utrumque superum & inferum. Labium coronas mensam ornantes distinguens & committens, Emmanuelem adumbrat. Mediator enim est, & quasi internuncius, per quem cœlestes & terrestres, superi inferique sua sensa sibi mutuo communicant & colloquuntur. Panis facierum, aureæ mensæ superimpositus, mysteria hostiæ filiorum Ecclesiæ Christi præsignat.

Candelabrum aureum magnum Crucis Christi sacramentum aperit: calami proinde, a candelabro protensi, Christi in Cruce mortui imperium repræsentant, ad omnes mundi plagas amplificatum. In malis aureis candelabrum ornantibus Prophetas & Apostolos discimus, in liliis angelicas virtutes. In septem lucernis clarissimam Euangelii lucem & septem ejusdem luminaria, aut septem Domini oculos universam terram circumspicientes.

Omnia porro Tabernaculi mysteria prædicant summi Opificis bonitatem, ejusque opificii præstantiam. Ergo dum decem è bysso cortinas, intima Tabernaculi adyta velantes intueris, ad contemplationem supremi ordinis substantiarum intelligentium assurgito; indeque ad undecim cortinas è pilis caprarum intextas digressus, & ad velamen ex pellibus arietum rubricatis consutum, ad secundi ac tertii ordinis naturas, perinde ratione & intelligentia præditas, & ab omni corporea concretione solutas, simul digredere. Hinc porro pellem arietinam janthinam prospectans, quartum & infimum ordinem contemplare, substantias nempe corporeas, in quibus mentem corpori unitam invenies. His tamen oppido antehabendam esse memento contemplationem omnium optimæ præcellentissimæque naturæ, ad quam provocat arca argentea, intra Sancta Sanctorum locata januæ adversa. Viginti asseres & quadraginta columnæ, summatim sexaginta, ad australem Tabernaculi plagam erectæ, hisque totidem è regione oppositæ, repræsentant Ecclesiæ Christi Rectores, duces & principes; quorum meminit etiam sapientissimus Salomon in Canticis Canticorum: *Ecce*, inquit, *lectulum Salomonis sexaginta fortes ambiunt*. Hinc progredere ad tria velamina ex hyacintho texta & purpura, cocco

co bis tincto & bysso retorta: primum
A
Sancta Sanctorum operiebat, reliqua duo alterum Tabernaculi, alterum atrii ostio obtendebantur. Tria ista velamina Christum mediatorem adumbrarunt. Per Christum enim perfectæ mentes, & intra Tabernaculi adyta jam admissæ, divina contemplantur: aliæ namque ad ostium Tabernaculi subsistunt, & inde per Christum ad cognitionem summi boni provehuntur: quæ autem a Tabernaculo arcentur, per Christum pariter paulatim
B
promoventur ad atrium, & caulam intelligibilem; id enim Dominus suis verbis significat, ubi se ostium appellat; ostium quidem interius perfectis, medium justis proficientibus, exterius peccatoribus pœnitentibus.

Facies ܡܢܪܬܐ, idest vas olearium ad instruendas lucernas Tabernaculi. ܡܟܒܪ in modum retis, est ænea crates ad recipiendum conservandumque ignem.
C
ܦܪܙܘܡܐ Perizoma, seu Tunica talaris, vestis erat hyacinthina, tegebatque humeros, indeque fusa ad pedes usque fluebat, habebatque tintinnabula aurea aureis malogranatis distincta, eadem ephod & superhumerale appellatur. ܡܨܢܦܬܐ fascia in modum Cidaris & Pilei, Thiara. ܟܘܬܝܢܐ vestis linea totum corpus complectens, & a junctura humerorum ad costas usque promissa.
D

Et sumant tibi oleum olivæ ad concinnandas lucernas. Oleum olivæ est doctrina Christi crucifixi, quod enim alterius generis est, peregrina & profana dogmata designat. Aaron vero & filii ejus jussi componere lucernas extra velum usque ad vesperam repræsentant legis Sacerdotes & Prophetas extra Christi ecclesiam sua sacra facientes, dum solem justitiæ oriturum præstolantur, nato autem Domino illuxit, cessavitque officium lucernarum.
E

Unum Agnum facies mane, & alterum vespere. Utrumque sacrificium plane significat Christum Dei Agnum, pro nobis immolatum. Rursus Agnus de mane mactatus, designat Innocentes & Justos; & alter vespere sacrificandus peccatores pœnitentiam agentes, pro quibus vere Christus mortuus est.
F

Sume tibi aromata prima: myrrham primam atque purissimam, & cinnamomum, casiam & oleum olivæ. Quatuor aromatum genera, totidem elementa designant, quibus concretum est corpus, a Deo Verbo assumtum.

Pontificis superhumerale ex hyacintho

[illegible]

A tho contextum, & murice, cocco bis tincto præferebant. Rationale byssinum suo candore signat indumentum justitiæ. Baltheus operis plumarii, Pontificis renes constringens, significat cingulum veritatis, & æquitatis sacerdotis mentem, animumque continens, ne ad futiles caducarum rerum curas defluat. *Et facies coronam ex auro purissimo*. Corona victorum insigne victoriam Christi designat, & ex auro probatissimo fieri præcipitur, quia Christi B triumphus omnibus numeris absolutus & perfectus fuit. Item Rationale stringitur vitta hyacinthina, charitatis quippe symbolum est, perinde ut cidaris beatæ spei & fidei in Deum.

Facies rationale judicii quadrangulum & duplex: palmi erit longitudo ejus, & palmi latitudo ejus; & consummabis in eo consummationem lapidum: ponesque in eo quatuor ordines lapidum, in primo versu erit C *lapis Sardius, & Topazius, & Smaragdus: in secundo Carbunculus, & Sapphirus, & Adamas: in tertio Lyncurius, & Achates, & Amethistus: in quarto Chrysolitus, & Beryllus, & Jaspis*. Numerus & dispositio gemmarum describunt quatuor ordines Israëlis intelligibilis: numerus autem, & varietas colorum indicat eorundem ordinum species, dignitatem & officia. Nec D vacat mysterio, quod tale genus, numerusque certus gemmarum ad Pontificis pectus apponi præcipitur: nimirum sicut gemmæ summi sacerdotis pectori adhærebant, sic omnino tenendum est, cogitationes cujusvis naturæ mente ac ratione prædi[t]æ Emmanuelis intelligentia comprehendi, ejusdemque memoriæ insidere. Rationale enim, imo vero rationarium judicii in pectore gestat vivorum mortuo- E rumque futurus judex. Rursus observa mala punica a fimbriis rationalis suspensa, aureaque tintinnabula iisdem interjecta: hæc nempe symbola sunt, & alterum quidem variarum diversarumque gentium cœtus significat: alterum repræsentat Euangelicæ legis promulgatores Christi Apostolos & Ecclesiæ Doctores illis erudiendis designatos. Præterea dum malogranata a fimbriis Pontificis pendere F cernimus, populos credentium a Christo filio Dei pendentes contemplamur: in tintinnabulis proinde agnoscimus Euangelistas, & Euangelii præcones, Ecclesiam Emmanuelis personantes voce clarissima, & supra omnem modum auribus jucundissima.

Cæterum quando Scriptura describit dispositionem, ornatumque Taberna-

naculi, Arcam, mensam, candelabrum, totiusque sacri instrumenti apparatum, videtur ante oculos ponere Christum judicem rationes anteactæ vitæ repetentem a singulis, & unicuique designantem pro dignitate locum. Venturus est enim in gloria sua, sedensque in solio regni sui opera nostra producet, & examinabit, singulisque decernet sedem in illo Tabernaculo, quod mente non sensibus cernitur, pro merito benefactorum & in pia conversatione profectu: nam qui misericordiæ opera proferent, quasi aurum intima Tabernaculi adyta obtinebunt; qui vero jejunium & orationem, quasi argentum primis succedent: ita cæteri deinceps locum moribus, quibus vixerint, convenientem capient.

Et sumes vitulum unum de armento, & panem azymum, & placentas azymas oleo consperſas, & lagana azyma oleo lita, & pone in canistro: & sumes adipem, qui operit intestina & reticulum jecoris, & duos renes. Vides tria genera præcipua hostiarum, primum taurorum, secundum arietum, tertium agnorum: quia tres sunt Sanctorum gradus, quorum proinde differentiæ, & dispares animi dispositiones his symbolis explicantur. Primus itaque gradus Perfectorum est, morum innocentia integritateque sequentibus multo superior. Secundus Proficientium, inferior, quique mediocritatem non excedit. Tertius omnium minimus & infimus, Novitiorum; magnitudo nempe corporum symbolum est excellentiæ animorum, taurus proinde animal utique ove majus & nobilius, pulchre declarat summum & supremum Sanctorum ordinem, quomodo ovis gradum isto minorem. Jam in placentis sine fermento, morum proponitur simplicitas & ingenuus animi candor. In laganis oleo consperſis & frixis disce jucundam & lætam vitam Sanctorum. Panem azymum puræ synceritatis symbolum esse satis constat. Renes exprimunt prudentiam discernendi affectus motusque animi, quos adeps eosdem renes operiens repræsentat: Renes quippe ad secretionem appositi sunt. De reticulo seu adipe jecoris quidam disputant contenduntque concupiscentiam in jecore sedem habere: hunc ergo adipem jecur & viscera operientem Deo offerendum lex præcipit, partem scilicet corporis, in qua velut in proprio fonte concupiscentiæ affectus vehementius exæstuant.

Et asperges de sanguine super extre- ad-

[illegible]

A *mum auris dexteræ Aaron* , *&* *filiorum ejus* , *&* *super pollices dexteros manuum & pedum illorum* . Arietis cruor, auribus in summo positis , aspersus supremum justorum perfectorum ordinem designat : nam quæ infra aures sunt, membra , manus & pedes , signant justos proficientes , & peccatores pœnitentes . Alii interpretes in auribus contemplantur cœlestes virtutes ad audiendam vocem sermo- B num Domini paratas , in manibus terrenis corporibus demersos immortales animos , in pedibus ipsamet corpora mortalia. Rursus, aures , ajunt, obedientiæ atque obtemperantiæ symbolum esse : manus innuere laboris patientiam & piæ exercitationis studium : pedes constantem ad omnes virtutes progressionem . Interim observa in descriptione Tabernaculi tria altaria , quorum allegoriam sic accipe , C ut primum figuram putes altaris , quod in præsenti habemus , secundum ejus , quod in cœlo speramus, tertium ejus, in quo fontes suppliciis mactandos credimus . Crustula ex simila triticea oleo conspersa humanam naturam oleo Divinitatis unctam, idest Emmanuelem significat , eademque a furfure secreta offertur ; quia Emmanuelis humanitas omnis omnino peccati expers fuit.

D

[illegible]

CAP. XXIX.

Facies agnos duos unum agnum mane , *& alterum vespere* . Uterque agnus Salvatoris nostri figuram expressit , qui mane offerebatur Christi pro Sanctis morituri typus fuit, qui autem vespere , eundem pro peccatoribus immolandum præsignavit. *Ex libamine quarta pars heminæ erit per agnos singulos* . Hemina in quatuor distincta partes corpus Christi ex quatuor E elementis concretum signat , ex hoc igitur corpore sacer ille liquor expressus fuit , quo sanctificati sunt , quotquot illo aspergi meruerunt.

[illegible]

CAP. XXX.

Et facies labrum æneum &c. Concha lavaturis exposita inter tabernaculum & altare spiritualis lavacri typus fuit , quo anima dum suis sordibus eluitur , ad ingressum tabernaculi præparatur.

F *Sume tibi aromata prima myrrhæ purissimæ quingentos siclos* , *& cinnamomum*, *& casiam & calamum aromaticum* , *atque olei olivæ heminam &c.* Hic iterum divini Verbi incarnationem recogita , & Emmanuelis corpus ex quatuor aromatum , idest elementorum speciebus compositum , positaque simul in Christo omnia : hinc

porro occurrent quinque ſpeculationes, quarum prima ipſum rerum opificem ſpectat, ſecunda pendentes ab eodem ſubſtantias rationales, tertia naturas ſenſu præditas, quarta res cæteras ſenſibus obvias, quinta, quæ ex taxatione aromatum ducitur, reſpicit tempus rerum omnium creatarum menſuram. *Juxta compoſitionem ejuſmodi unguenti non facietis aliud*. Non inquit facietis, quia unus eſt Emmanuel, cujus ſimilem nullus utique faciat. *Sume tibi aromata ſtacten & onycha, galbanum & thus*. In hac ſpecierum odoratarum compoſitione Emmanuelem tertio expreſſum contemplare; ipſe enim omnes Sanctos ad currendum in odorem unguentorum ſuorum provocat, & currentes ſibi conjungit, atque in novam creaturam transfert, eritque fortaſſe, quando eoſdem unum ſecum efficiat ſimiles ſibi.

CAP. XXXIV.

HÆc loquutus Deus Moyſen dimiſit, deſcendenſque Moyſes de monte *ignorabat, quod ſplendida eſſet facies ſua a conſortio ſermonis Domini*, nec vero ea notitia indigebat Moyſes, contra plurimum intererat, ut populus non modo id ſciret, verum etiam intueretur. Moſes igitur octogenarius ſenex aſcendit montem, indeque deſcendit niteſcente interea corpore, perinde ac ſi ad priſtinam juventutem reductus fuiſſet; nimirum quum aſcenderet Adami utique erat filius; quum deſcenderet, tranſierat in Adamum, non qualem ſerpens fecit, ſed qualem invenit. Quamobrem ad populum verba facturus, faciem velare cogebatur: eo autem Dei oraculum interpretante univerſa concio oculos humi defixos continere compulſa eſt, nec enim gloriam vultus ejus poterat ſuſtinere. Hinc porro Moyſes colligere potuit, perinde nec ſibi tolerabilem fore divinum fulgorem, quando ſuum ſuos populares videbat ferre non poſſe. Per idem tempus erectum fuit Tabernaculum, *& gloria Domini implevit illud*, illapſa nimirum cum nube Tabernaculum obumbrante. Nec poterat Moyſes ingredi tectum fœderis nube operiente omnia. Nubes quippe denſiſſima fuit, adeo ut in Tabernaculum immiſſum ambientem aërem reſpirationi neceſſarium depulerit. *Nec movebant filii Iſrael, donec nubes Tabernaculum deſereret*. Ideſt: nube a Tabernaculo digrediente, populus vaſa colligebat, quo illa duceret conſequururus; eadem porro inſiſtente, ſuum quiſque tentorium ſub ejus umbra metabatur.

ܗܘܐ ܕܝܢܐ ܡܢ ܡܫܟܢܐ ܐܬܦܪܫܘ ܒܢ̈ܝ
ܐܝܣܪܐܝܠ ܠܡܫܐܠܘ ܠܟܗܢܐ ܘܕܝܢ̈ܐ
ܡܬܦܪܫܐ ܗܘܬ ܠܗܘܢ. ܘܡܛܠ ܕܐܘܦ ܕܡܫܟܢ
ܢܦܩ ܦܠܝܢ ܡܫܟܢܘ ܠܡܫܐ ܠ ܘܠܟܠܗ
ܘܕܢܢܐ ܕܡܢ ܡܬܚܙܝܐ ܡܫܟܢܐ ܗܘܐ ܘܢܘܪܐ
ܗܘܬܐ ܗܘܬ ܒܠܠܝܐ ܠܥܝܢܝ ܟܠܗܘܢ ܒܢ̈ܝ
ܐܝܣܪܐܝܠ ܒܟܠܗܘܢ ܡܫܩܠܝܗܘܢ ܗܢܘ
ܠܫܡܝܢܐ ܢܘܪܐ ܗܘ ܕܒܕܡܘܬ ܥܡܘܕܐ
ܘܠܟܠܗ ܡܫܪܝܬܐ ܡܢܗܪܐ ܗܘܬ.

tur. *Nubes quippe Domini incubabat per diem Tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis filiis Israel per cunctas mansiones suas.* Ideſt cœleſtis ignis in formam columnæ configuratus & pernox Tabernaculo ſuperimminebat, adeo ut illud ſimul & poſita circa ipſum Iſraëlitarum tentoria larga luce compleret.

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI IN LEVITICUM EXPLANATIO.

CAP. I.

Et vocavit Dominus Moysen de Tabernaculo, & loquutus ei de Tabernaculo. At sane constat bene multa, quæ deinceps leguntur, ante constructionem Tabernaculi a Deo dicta fuisse. Quid? num Deum de Tabernaculo loquutum fuisse dicamus, quando Tabernaculum necdum extabat? Existimo, indubitabile quidem esse Dominum, quæ hoc capite leguntur, post Tabernaculi erectionem loquutum fuisse, & quidem eodem die, quo erectum fuit. Reliqua vero, etsi in hoc libro referantur facta, vel dicta, pleraque tamen Tabernaculi fabricationi anteponenda fuisse, pleraque etiam multo post contigisse. Et vero incredibile est Aaronem Pontificem, aut filios ejus minores Sacerdotes sacrificasse, vel universam synagogam victimas præsentasse, quando necdum sacrificiorum leges statutæ fuerant, nec ipsi ratas solemnesque sacrorum ceremonias aliunde apprehendere potuerant. Ejusmodi porro leges septem hisce diebus, quibus Moyses intra Tabernaculum cum Deo versatus est, magnam partem constitutæ sunt. Altero itaque ab exitu anno Tabernaculum assurrexit, novæ in Christo creaturæ sacramentum: & quidem die hebdomadis primo, ut futuræ mortuorum resurrectionis diem præsignaret. Porro ritus, quos Deus observandos statuit tum in mactatione animalium, tum circa sanguinem, & adipem victimarum in eum universim scopum collineabant, ut legum fide ac testimonio hostiarum immolationem venerabilem, atque reverendam efficeret, quam etiam ob causam a filiis Aaron victimas cædi, altarique inferri jussit, ut dum filiorum summi Sacerdotis manibus hostiæ mactantur & offeruntur, sacrificantium auctoritas dignitatem sacrificiorum tueretur.

Si de avibus holocausti oblatio fuerit de turturibus, offeret eam Sacerdos &c. Hoc referendum ad illud: *Homo, qui juraverit ut vel male quid faceret, vel bene, atque affirmaverit juramento, offerat Sacerdoti, vel similæ partem decimam ephi commixtam, vel par turturum, & dimittetur ei.*

Infr. 5. 4.

Nec

[illegible]

A

CAP. II.

Nec ex fermento, neque ex melle omnino oblationem Domino facietis. Mel offerri lex prohibet, primum quia saliri nequit: lex autem jubet omnem oblationem sale esse condiendam. Secundo, quia mellis opifices apes cadaveribus residunt, nec immunda a lege rejecta cavent. Tertium, quia mel futilem sæcularium voluptatum jucunditatem repræsentat, quam

B

lex præcipit fugiendam. Præterea dum sacras oblationes sale condiri lex mandat, docet actus nostros charitate esse condiendos; ea enim charitatis vis est, ut res terrenæ originis vitio corruptioni mortique obnoxias proprii saporis condimento faciat immortales.

Si peccaverit Princeps, hircum de capris offerret: quod si anima de populo peccaverit, offerat capram aut ovem. Hircus im-

C

maculatus pro peccato immolatus Christi immolationem significat. Eundem repræsentat capra eo, quod *pro nobis factus est maledictum*. Ovis pariter nobis illud propheticum remurmurat: *sicut Ovis ad occisionem ducetur*. Personæ, pro quibus sacrificia offerebantur sunt quatuor: Sacerdos, Synagoga, Princeps, & quilibet de populo. Primus Sacerdos primam mundi ætatem usque ad diluvium designat: Sy-

Gal. 3. 13. Esai. 53.

D

nagoga secundam usque ad Abrahamum. Princeps tertiam usque ad legem: Homo quilibet privatus quartam usque ad Domini adventum, pro quibus occisus est Christus, qui in semetipso omnium peccata tulit. Expiatio leviorum noxarum, etsi Hebræis magno constaret, gentibus ad Christi Ecclesiam accedentibus nullo suo merito tribuendam prænunciabat; sic enim statuebat lex, ut sive Sacerdos, sive Sy-

E

nagoga, sive Princeps, sive privatus peccatum, esto per ignorantiam commissum, hostia ex propriis cujusque facultatibus æstimanda purgaret. Et idcirco traditæ legis perpetua meditatio eisdem mandatur: *Scribe*, ait Deus, *mandata mea super cor tuum, & super postes portarum tuarum, ut illa recogites egrediens & ingrediens*: & Moysi pariter: *facies*, inquit, *illis fimbrias in aliis indumentorum suorum, ne obliviscantur*.

Num. 15. Deut. 22. 2. 14.

F

Et si obtuleris oblationem primitiarum Domino manipulum tostum igne, aristas fricatas glumaque purgatas offeres oblationem primitiarum tuarum. Primitiarum manipulus quis? nisi Christus, qui pro nobis moriens nobis primitiæ factus est, viamque patefecit oblationibus Justorum. Ex quadam autem analogia, thus manipulo su-

1. Cor. 15.

Gg 3

ſuperpoſitum demonſtrat commiſtionem Divinitatis Chriſti cum ejuſdem humanitate, nec enim diviſionem paſſus eſt, quum ſeipſum obtulit ad mortem.

CAP. III. *Septum hepatis etiam cum renibus faciet*. Jecoris ſeptum deſignat primam animi permotionem, ſeu impetum quibuslibet ejus operationibus præcedentem: renes cum ambiente pingui membrana ejuſdem cogitantis & deliberantis proceſſum, ſeu intelliligendi diſcernendique facultatem.

Omnem adipem & omnem ſanguinem non comedetis. Adipem quidem, ut qui corpus obeſet & farciat, atque ad luxuriam provocet: ſanguinem vero, quaſi agreſtium beſtiarum & ferarum paſtum. Item quia adipem comedentes cenſentur ſacrilegi, ut qui partem animalis ſacram impie uſurpent, officioque deſint ſuo dum rem Deo obligatam eidem reddere nolunt. Poſtremum, qui animantium carne veſcuntur, illis, quibuſcum verſantur, ſuum ſpiritum afflare ſæpiſſime ſolent, propriaque vitia infundere.

Præterea filiis Aaron mandatum fuit, ſacrum ignem cuſtodire, neve aliquando extingueretur omnino cavere, materiam proinde perpetuo ſubminiſtrare, & ſubſidentes cineres ex pyræo everrere, quæ omnia provide ſanciebantur ad conciliandam reverentiam rei divinæ.

Decreta ſimul ſacrificia perennia ſingulis peragenda diebus mane & veſpere: conſtabantque ex decima parte ephi ſimilæ: cujus media pars in ſacrificio matutino conſumebatur, reſiduum ad veſperam in ſimilem uſum ſervabatur. His adjectum fuit ſacrificium confeſſionis, in eo quippe fatebatur offerens culpam ſuam, eſto ex ignorantia & errore commiſſam. Et ſacrificium votivum, quod ſcilicet Deo quiſpiam voto obligaverat, ſive quum æger ſanitatem poſtularet, ſive miles finito bello reditum; ſive quum alia quavis ex cauſa Dei auxilium ſibi quiſpiam parandum eſſe intelligeret. Item ſacrificium ſeparationis, quod ex rebus Deo ſponte ſepoſitis conſtabat, neque ex debito, aut obligatione, ſed ex ſola offerentium devotione, & pia voluntate fieri ſolebat. Et ſacrificium expiationis, quod hircorum mactatione peragebatur: ejuſmodi enim hoſtiarum ſanguine peccata expiari lex jubebat. Item ſacrificia laudis, & euchariſtica, quibus pro acceptis beneficiis Deo agebantur gratiæ. His omnibus addita fuere illa quotidiana, mane & veſpere, atque ſtatarum ſolemnitatum feſtorumque dierum propria.

Tu-

A

CAP. VIII.

Tulitque Moyses oleum unctionis , & aspersit altare septies , obtulitque filios Aaron , & induit tunicis , & baltheis accinxit , fecitque eis mitras . Moyses itaque fratrem suum Aaron ejusque filios, quin & ipsorum indumenta sacro oleo, & sanguine hausto ex altari , aspersit , & sacravit ; jussitque per septem dies ad ostium Tabernaculi excubare. *Donec*, inquit, *perficiamini*. Hisce ergo diebus septem Sacerdotum nomen gerebant , sacerdotii functiones Moyses obibat.

B

Pars autem similæ , quæ peracto sacrificio supererit , necnon pectus & armus separationis erunt Aaron & filiorum ejus. Pectus scilicet lex Aaroni constituit, quia filios Israel Pater Emmanueli dedit , qui primi illum agnoscerent & confiterentur. Eadem lex armum filiis summi Sacerdotis secrevit , quia Christi Apostolis conversionem gentium , opus Spiritus Sancti opera conficiendum , Deus reservavit . Dum autem Sacerdotum Leviticorum ornatus , & oleo unctionis , & victimarum sanguine sacratur , utroque symbolo manifeste signabatur hostia novi testamenti super mysticam mensam a Sacerdotibus offerenda & Spiritus Sancti super eam illapsus .

C

D

CAP. X.

Egressusque ignis a facie Domini devoravit Nadab , & Abihu . Falsum est , quod quidam affirmant , sacrum ignem extinctum tunc fuisse: eodem namque die super holocaustum cœlestis ignis manifestus descenderat . Sed nec verum est illos tunc temulentos fuisse, quod alii temere prodiderunt, nam jejunio & oratione ad sacras functiones mox obeundas se præparabant: quoniam etsi primo die, quo Tabernaculum erectum est , ad Sacerdotales functiones initiati dicantur , interea tamen nec sacrificabant , nec ullo sacerdotali munere fungebantur usque ad diem octavum . At enimvero Nadab , & Abihu non unum ob crimen vapularunt , ut ex Scriptura colligitur : in multis siquidem ab illis peccatum est : primum , quia profanum ignem in Sanctuarium intulerunt, quando illum adhibere tenebantur, qui cœlo delapsus tempore fere eodem sacrificia absumserat : secundum , quia Moysis & Aaronis auctoritati derogare videbantur , ipsisque debitum honorem deterere , dum ipsis inconsultis , thura incendere sibi præsumunt : tertium , quia tem-

E

F

tempora sui sacerdotii confuderunt, dum ante constitutum diem incensi oblationem occupant. Quartum, quia intimum Tabernaculi adytum, quo semel in anno ipsorum parenti ingredi fas erat, invadere ausi fuerunt. Dum autem Scriptura filios Aaron cum profano igne in Dei Tabernaculum prosiliisse refert, factum subjicit protoplastorum stulto ambitu divinitatem sibi arrogantium. Item lex jubens holocausti ignem permanere usque ad lucem sequentis diei, prænunciabat, ignem legis usque adeo in altari arsurum, donec illucesceret dies manifestationis Christi.

Post hæc vocavit Moyses Misaëlem, & Elisaphan filios Uzielis, patrui Aaron, proinde & sui, jussitque cadavera Nadab, & Abihu cum suis vestibus efferri: unde patet eorum indumenta sacro oleo linita, quæ non peccaverant, una cum corporibus sacro item chrismate delibutis, quæ peccaverant, minime deflagrasse: nec enim flamma nudare debuit, quos circumcisio honestabat. Illorum ergo, qui alieno igne Dei indignationem provocaverant, membra ignis corripuit & extinxit, vestibus pepercit, ut nimirum geminato signo, eo major ac vehementior admiratio incesseret divinæ animadversionis severitatem contemplantes.

Dixitque Moyses ad Aaron: Tollite residuum similæ, illudque comedite in loco sancto: quia hoc statutum tuum est, & statutum filiorum tuorum, quod vobis datum est ex holocaustis. Inter hæc quum Moyses hircum, altare paulo ante illatum, requisivisset, & exustum reperisset, Sacerdotes increpuit, quod illum de more non comedissent. Sed factum excusavit Aaron: si meos, ait, juvenes, quum holocausta & sacrificia in expiationem peccatorum offerrent, cœlestis ignis absumsit, quod injussi istuc attentassent; quid putas eosdem passuros fuisse, si etiam hircum manducassent? Sensus est. Si in die iræ & indignationis mensæ accubuissemus, & horas commessando, & compotando, jocando etiam, & ridendo transegissemus, hoccine pulchrum futurum fuisse credis in oculis Domini, aut Moysi fuisse placiturum? Hæc Aaron ajebat, quia cæremoniam illam Sacerdotes omiserant, non ex contemtu legis, sed ex legislatoris Dei metu & reverentia, quem iratum delinire par erat, acerbo luctu, & ingenti mœrore.

In

[illegible]

[illegible]

A In mactatione vero vaccæ rufæ quidnam mysterii lex indicat? Mysterium utique mortis Christi: color enim sanguinem signat. Eadem jugi inexperta dicitur, quia Christus servitutis & peccati sub jugo non fuit: femella, quia talis est humana natura divinæ comparata.

CAP. XI.

B *Omne, quod dividit ungulam, atque in duas findit partes & ruminat, comedetis*. Hujus generis animantibus comparantur homines, quorum dictis facta consentiunt: præterea tales ruminare, vere dices, quia se prius circumspiciunt, & quid faciant, considerant, & quid loquantur. Item, dividere ungulam, dicuntur, quo enim ungulam findunt, turpium voluptatum cœnum citius animo excutiunt. Cæterum aliam ob causam Israëlitis præ- C ceptum est, ut ejusmodi animalia comederent, quæ alias in Ægypto passim adorari conspexerant: ut quum eadem mactarent, ex facto discerent, inutilem & vanam esse talium numinum religionem. Sanguinem etiam carnemque suillam interdixit; hoc enim cibo Hebræos in Ægypto maxime delectatos fuisse norat, & avide concupivisse in deserto. Aves, quibus abstinendum edixit, sunt Aquila, D Haliœetus, Milvus, Struthio, Accipiter, Nycticorax, Larus, Ibis, Erodius, Graculus, Pica, Upupa, Pavo, & generatim omnis avis aduncis armata unguibus, quibus arripit, & retinet. Hujus generis alitibus designantur homines violenti & rapaces; necnon qui noctem, tempus scilicet exequendis flagitiis aptum, affectant; tales enim sunt pleræque volucres hoc loco descriptæ. *Ista comedite ex omni genera-* E *tione volucres quadrupedes: Locustam juxta genus suum, Gryllum juxta genus suum &c.* Ejusmodi symbolis expressit, & veluti digito demonstravit homines, qui a terrenarum rerum amore animum sevocarunt; victuque parco contenti, quod huic superat, egentibus erogant. *Et ista immunda erunt ex omni reptili. Mustela, & Mus silvestris, & Crocodilus terrestris, & Lacerta, & Talpa, & Stellio &c. Omne su-* F *per quod deciderit quidpiam de corporibus illorum, immundum erit*. Hæc animorum vitia repræsentant, & homines spirituali lumine cassos. Subjicit deinde animantium mundarum censum, in quem venire dicit Capreas & Cervos &c. quas tamen altari vetat inferri, quomodo etiam mel. *Omne, super quod deciderit quidpiam de* cor-

[illegible]

corporibus eorum, immundum erit. At si nobis etiam invitis corpus polluitur, munditiies & puritas plane in animo constituenda est. Justorum tamen corpora munda esse indubium est, quale profecto fuit Elisæi corpus, quod etiam exanime miraculis claruit: sed & Moyses extulit ossa Joseph, & ejusdem Moysis cadaver a Domino sepultum est, & Samson ossibus armatus triumphavit, & Elias mortuum Sareptanæ mulieris filium contingens, nullam utique immunditiem inde contraxit.

Mulier quum conceperit, & pepererit masculum, secundum dies fluxus sui erit immunda, & die octavo circumcidetur caro præputii ejus, & mater non ingredietur in Tabernaculum, donec impleat dies purificationis suæ. Prima siquidem hebdomada sanguis perpetuo fluxu funditur, mox incipit in dies paulatim defervescere & minui usque adeo, donec tertio & trigesimo die penitus exarescat. Immunditiæ caussam, non natos infantes dixit, ad quos pertinet illud benedictioni æquiparandum præceptum, *crescite, & multiplicamini*. Cur autem femellam parienti duplicatur tempus purificationis? Num femina mare nobilior est, ut illi major honor haberetur? aut femellæ formatio tantundem temporis occupat, quantum ad matris purificationem lex exigit. Si hoc dicis, utique dicendum erit masculi formationem ad quadragesimum diem produci, femellæ etiam ad octogesimum. Jubentur præterea puerperæ ante ostium Tabernaculi orare: Hunc scilicet ritum ab Ethnicis usurpari notum erat. Ne ergo Hebræi putarent, augustiora suis esse Gentilium sacra, Tabernaculi aditum interdixit feminis, etsi frequenter contingebat esse pias, virisque concessit quantumvis sontibus & impiis.

CAP. XIV.

SI fuerit in cute carnis hominis crusta aut macula candida, & pilus plagæ versus fuerit in albedinem: plaga lepræ est. Considerabit eum Sacerdos, & immundum judicabit &c. Hæc repræsentant animæ delinquentis statum: nativo quippe decore nudatur coram Deo, postquam peccando stolam innocentiæ exuit, liberoque deinceps ad eundem accessu excluditur. *Cui lepra inciderit, vestes scindantur, nudetur caput, & vitta stringantur labia*. Labia quippe impiorum nil prætexere possunt, quo se a culpa tueantur, & purgent: oraque fræno coercentur, demta dicendi li-

[illegible]

libertate, prohibitoque acceſſu. *Et præcipiet Sacerdos, & afferent duos paſſeres vivos, & mundos, lignum præterea cedrinum, & coccum, & hyſſopum: mactabuntque paſſerem unum ſuper aquas fontis, & paſſerem vivum mactati paſſeris intingent ſanguine, quo etiam aſpergent eum, qui mundandus eſt.* Gemini paſſeres, quibus leproſi mundatio conſtabat, ſynagogam a Deo repudiandam præſagiebant, & ſub cruce puritatis & munditiæ fonte perimendam. Mactatus pariter ad fontem paſſer Emmanuelem adumbravit; ejuſque cruor ſacramentum expreſſit incarnationis Chriſti gentibus illatum, infuſumque in modum ſanguinis influentis in arterias, venaſque ſuas.

Veſtis lanea, ſive linea, ſi habuerit lepram in ſtamine, aut in ſubtegmine: Domus, in qua fuerit lepra, & reliqua. Hæc & ejuſmodi ſtatuuntur, ut populus agnoſceret, eam, qua Deus verus coleba-

[illegible]

(*) Leproſum Moyſes geminos jubet offerre pro ſua emundatione paſſeres; cedrum præterea, coccum, & hyſſopum. Paſſer alter mactatur ad aquas; cruor in fontem expreſſus influit; mox ſanguine jugulati paſſeris, paſſer vivus inficitur, coccus pariter, cedrus, & hyſſopus, poſtremum leproſus ipſe: avis ſuperſtes dimiſſa, in campos revolat. Hæc Domini in Cruce morientis ſunt ſymbola: factus eſt hoſtia, mortalis idem & immortalis, mors & vita ſociantur in uno eodemque ſacrificio expiationis noſtræ. Dominus Cruci ſuffixus moritur; mortuus vivit; victima occiſa & viva: ipſe unus & idem mactatur ad aquas, & ad Patrem per aëra revolat. Nullum ſymbolum inter plurima, quæ Moyſes dedit, clarius ad-

S. Jacobi Sarugenſis, Carmine in hunc locum.

batur, religionem longe auguſtiorem eſſe illa, quæ ad falſorum numinum cultum apud omnes gentes uſurpabatur. Cæterum domus leproſa populum hebraicum deſignat: lapides eadem infecti lue notant impios mortis Chriſti authores, qui Dominum egerunt in crucem. Ritus mundationis leproſi clare repræſentant gentium mundatarum Sacramentum: quemadmodum enim alterius paſſeris cruore paſſer alter eluebatur, elutuſque dimittebatur in ſylvas, ita vivi Corporis ſanguine abluta gentium corpora revixere, & ad inſtar avis in ſua revolantis nemora, in paradiſum invecti ſunt.

Et mittet Aaron ſortes ſuper duos capros, unam Domino, & ſortem alteram Azazieli in eremum. Caprum Domini faciet pro peccato: & caper Azazielis, mittatur ad Azazielem in deſertum, ideſt ad Deum fortem, Deum ſcilicet vindicatorem. Nam caper alter mittitur ad Deum Creatorem, & Salvatorem, qui Hebræos ſalvos eduxerat ex Ægypto. Propterea que mactabatur, ejuſque ſanguine ſanctuarium cum ſuo inſtrumento expiabatur; non quidem peccatis, hæc enim ſanctuarium ejuſque vaſa non capiunt, ſed ut a ſordibus Iſraëlitarum utraque purgarentur, ut qui frequenter ſive prudentes, ſive imprudentes ad Tabernaculum accederent, etiam quando mundi non erant ab iis ſordibus, quas lex eluere jubebat. Nec ideo credendum eſt, caprum illum vivum reipſa populi peccatis onerari, aut eadem expiare potuiſſe: una ſcilicet eſt hoſtia, quæ dum Crucem aſcendit, mundum expiavit. Ergo caper ille, ſordes, quæ quotidiana baptiſmata effugerant, in deſertam eremum aſportare dicebatur; quæ nempe loca ſacra polluere creduntur, deſerta utique non violabant. Hic porro caper dicebatur, facta ſortitione, obveniſſe fortitudini Dei; nam alter, quem lex decernit, ad Dominum ſimpliciter pertine-

A [Syriac text illegible] B C D E

umbrat Chriſti mortem: victima cæditur, & fundit ſanguinem, eademque & vivit & volat, magnæ occiſionis ſacramentum. Dominus in ſuo corpore moritur, in Patre vivit: vivit in propriis, cœloque inſidet apud Genitorem: moritur in noſtris, & mortuos reviſit in profundo inferno. Quid? quod Moyſes, dum ſanguinem in aquas influentem repræſentat, Baptiſmum deſignat; ideo ſecus fontem hoſtiam mactari jubet, ut per ſanguinem & aquam ſacramentum immerſionis adumbret. Fuſum in Cruce ſanguinem coccus prædicat: Cedrus fixam ſecus aquas Crucem. Hominis immundi ulceribus admovetur hyſſopus, membra aſpergit ſanguis, myſterium mundat. Mactatur ad fontem paſſer unus, alter volat, laudat uterque Domini myſteria. Occiſus aſcendit, ſuo cruentus ſanguine, immundos aſpergit, mundatque revectus per aëra. Crux, Filii Dei madefacta ſanguine, ſucceſſit ligno, quod Moyſes paſſeris cruore aſperſit. Hæc hoſtia leproſum emaculat Mundum, vanaque avium antiquat ſacrificia.

A nere, mitti jubebat ad Dei justitiam, quæ nuper in solitudine multa Hebræorum millia ultimo supplicio affecerat. Ambos tamen lex eadem Deo prius offerri præsentarique jubet, ut dum alter occiditur, Christum pro nobis occidendum significaret; alter dum vivus ad Azazielem mittitur, Christum similiter repræsentaret in eo statu, quando vivus nec unquam moriturus è sepulcro dimissus est, & in semetipso multorum peccata portavit.

B

CAP. XVIII.

E*Go Dominus Deus vester: juxta consuetudinem terræ Chanaan non facietis &c.* Hoc loco Deus, ut Israelitas futuros Chananitidis accolas & dominos in legis observantia diligentiores cautioresque reddat, suumque simul judicium tueatur, causam docet, cur pridem in Ægyptios severe animadverterit, & nunc C Chananæos perditum iret: gentis proinde utriusque scelera retexit: quo etiam intelligant, nisi ejuscemodi crimina cavissent, terram ipsis traditam, novos, nec secus quam priscos habitatores, velut cibum male ingestum, suis è faucibus rejectaturam.

C. 20. 16.

Si mulier steterit ante pecus, ut succumbat illi, lapidibus obruetur ipsa & pecus. Lapidibus obrui pecus jussit, ut una simul D propudiosissimi criminis notitia obrueretur: neve populus bestiam respectans sceleris memoriam repeteret, quod audax libertas perpetrarat.

Si quispiam comederit ex ignorantia sanctum, idest esculentum quodvis ex devotione, vel decimatione Deo consecratum, Sacerdoti tantundem restituet, & quintam partem adjiciet.

Spicas post messem vestram remanen- E *tes non colligetis: sed nec olivas decidentes congregabitis.* Hujusmodi præcepta præsagiebant charitatem & misericordiam Euangelii promulgatione, & credentium moribus sanciendam, perinde atque sequens, *Diliges proximum tuum sicut te ipsum.*

Pecus vestrum non facietis coire cum alterius generis animantibus, nec vestem, quæ ex duobus texta est, induetis. Hæc F & alia Deus præcepta dabat, ut populum suum a gentibus, quarum terras occupatum ibat, segregaret. Insuper satagebat, ne idem vanis Gentilium fabulis captus, eorumdem errores & profanos ritus cum institutis divinæ legis, castisque moribus permisceret, adeoque Deum inter & homines affectum divideret.

Non

Non augurabimini, neque divinabitis, neque nutrietis capillum capitis vestri, neque incedetis post Pythones, seu ventriloquos. Maleficorum genus est, quos Syri *Zacharæ* appellant. Feminæ autem sunt miserabiles, quarum ventres quum mali dæmones invaserint, inde puerorum voces imitantur, quas vel ex stomacho, vel per costas, vel etiam ex inferioribus corporis partibus emittunt, atque ejusmodi artificio temere credentes inducunt, ut putent futura & arcana quæque ipsis patere, eademque tute manifestare, & ex vero prædicere; quod Sauli accidisse sacra prodit historia: hac enim divinatoriæ artis specie & ipse deceptus est. Ubi etiam aliam gentium consuetudinem cavere jubet circa capillorum attonsionem: solebant enim Ethnici devotam pridem Diis suis comam nutrire, quam postmodum constituta die deponerent secus fontes illis sacros, vel in eorumdem delubris. Huic præcepto nectendum est illud. *Non facietis calvitium in capitibus vestris*: quo etiam lacerare crines prohibentur.

Deut. 14. 1.

Hebræorum festi dies. Primus Azymorum, in quo sui ex Ægypto exitus memoria colebatur. Secundus manipuli messis novæ, quo annonæ provisori Deo gratiæ agebantur. Tertius, quo ineuntis anni primordia consecrabantur. Quartus jejunio & humili pœnitentiæ datus in execrationem vituli, cui adjecta postmodum fuere alia festa & jejunia, postquam populus Babylonem deportatus fuit. Quintus Tabernaculorum, quo etiam mannæ è nubibus depluentis memoria instaurabatur. Perpetuus sacrorum ordo erat hujusmodi: incensum quotidie adolebatur. Lucernam in Tabernaculo a vespere usque mane ardere oportebat; huic similis addita est, sed perpetua. Panes autem facierum, seu propositionis a sabbato in sabbatum in altari manebant, indeque sublati a solis Sacerdotibus comedebantur.

Exod. c. 27. 20.

Cap. 21.

Non accedet ad ministerium Dei vir claudus, aut cæcus. Homines hoc modo affecti eorum vitium innuunt, quibus præposterus rerum caducarum amor spiritualem cernendi incedendique facultatem abstulit. Aut *parvo vel grandi, vel torto naso*: lex hominem taxat, ut obolentium affectionum fœtores patulis naribus captantem, sic contra fastidientem odoratissimam suavissimamque Dei memoriam. Aut *amputata aure*. Hic vides hominem, cujus nec moribus, nec auribus consonant divinæ legis voces, vel si tale quidpiam li-

A libenter audiat, confestim obliviscitur, vitiosa consuetudine implicitus & distractus. Aut *curvus*: animum cogita a rerum cœlestium cura aversum, spe ac mente in terra defixum, terrenæ originis vitio operibus mortuis & inutilibus vacantem. Aut *albuginem in oculis habens*: habes imaginem quandam hominis, cui obtigit olim sanis oculis arcana cœlestia contemplari, & divinæ lucis radios excipere: B sed postmodum affluente lutulento terrenorum negotiorum humore, lumen amisit. Neque *gibbosus*. Dum gibbum lex a Sacerdotio repellit, eos a sacro ministerio generatim arcet, quos operum mortuorum onera suo pondere ad ima premunt. Aut *alterutro teste defectus*. Nec enim ad spiritualem gradum promovendus est, cui alterutrum testimonium desit operis, aut sermonis, puta si bona verba dicat, bo- C nis tamen dictis non bona facta conjungat. Nec vir *lepra infectus, aut sanguinis fluxum patiens*. Nam & illos, qui veteris hominis imaginem portant, quosve aliorum felicitas urit, a sacro ministerio omnino arcendi sunt, sique jam obtinent, inde depellendi. Si *fracto pede*: pedem fregit, qui rerum cœlestium memoriam oblivione contrivit. Si autem & manum, illarum etiam apprehensionem meditationemque D abjecit ab animo, perinde atque divinam ab ore laudem. Aut *pumilius*: notat eos, quos piget animum a cœno attollere, quippe qui terrenis voluptatibus inhiantes humi reptare malint: nec enim supra terram assurgere potest ventris mancipium. Aut *cui superciliorum pili defluxerunt*. In hoc hominem contemplare, qui verecundiam abjecit, perfricuitque frontem, nec jam a scelere & flagitio ullo terre- E tur pudore, aut modestia retinetur. Aut *cui caligant oculi*. Innuit hominem, cujus oculis incidens squama aciem hebetavit, mentis scilicet pulcherrimum lumen obtudit. Istiusmodi hominibus lex interdicit, hostias in Sanctuario immolare; participare autem non prohibet; quia Sacerdos hominibus etiam peccatoribus sancta mysteria ministrat, non quidem ad F fruitionem perinde atque viris perfectis, sed ad expiationem.

Vetat hoc capite lex immolari *bestiam auribus mutilatam*, altera videlicet aure carentem bovem, aut ovem, symbolum detestabile inobedientiæ. *Animal amputata cauda*. Imaginem refert contentiosi, vafrique hominis, & dolis, mendaciisque assueti. *Contritis aut exectis*, aut con-

contusis animal testibus illum designat, qui virtutem rem pulcherrimam intra seipsum continet: dumque prohibet ne in proprios actus prodeat, censetur eidem fœcunditatem ademisse: corpora enim, quæ ejusmodi contusionem patiuntur, genitiva non sunt; hunc scilicet naturæ statuit ordinem author Deus. *Avulsis testiculis spado* eos significat, qui modo vitæ mollioris otio potiri liceat, concessa generandi virtute carere malint, eam dico, quæ dicendo & agendo spiritales filios parit: nolunt operari, volunt manducare. Exectum animal lex dicit, quod etsi integros testes habeat, principia generationis qualicumque ex causa corrupit, cui vere & merito comparantur socordes & ignavi homines, qui licet multa pie sapienterque deliberent, quum tamen eadem strenue exequi oporteret, hærent, pigetque bene cœpta perficere.

CAP. XXIII.

M*Ense septimo erit vobis requies, & memoriale clangentibus tubis, & est sabbatum sabbatorum: & lætamini coram Domino Deo vestro &c.* Hæc symbolica sunt, quibus videtur Deus populum suum ad lætitiam invitare ex contemplatione beatarum mentium capiendam. *Tolletis*, inquit, *citros*, *medullas palmarum*, *myrtum & salicem &c.* Quatuor arborum genera quatuor ordines contemplantium significant, quatuor quadrigis & quatuor animalibus alibi in Scriptura designatos. Primum citro figuratum ad Orientalem cœlestis Tabernaculi adstare cogita, secundum in palma expressum Australem tenere puta, tertium myrto Occasum, quartum salice Boream. Disce tamen hoc Tabernaculum manufactum non esse, dispositosque circa illud Sanctorum choros assignatam sibi stationem nunquam deserere.

Ezech. 1. Zachar. 4.

Tolle similam, & pinse duodecim placentas, ex decimis duabus singulas placentas conficies. Designat oblationem novissimam omnium gentium. Placentæ fermentatæ Ecclesias ex Hebræis & gentibus congregatas repræsentant, quas cœleste fermentum, depulsa fatuitate & fœtore sæculi, suavissimo odore & sapore condivit. Rursus in numero agnosce Apostolos duodecim, alimoniæ spiritualis penarios. Item duodecim tribus Israel Dei, in circuitu mensæ vitæ dispositas.

C. 24. 10.

Et jurgatus est in castris filius mulieris Israëlitidis, quem pepererat de viro Ægyptio, cum viro Israëlita, & explicuit filius

[illegible]

[illegible]

A *filius Israëlitidis nomen*, *&* *maledixit*. Nomen explicuit, seu distinxit, idest Deum blasphemavit, imbecillitatem objiciens, ut qui in terram, quam promiserat, populum introducere non posset.

CAP. XXVI.

INducam super vos pavorem *&* lepram, *&* *squamas*, *&* *fluxum consumentem oculos*, *&* *liquefacientem animam*. Pavorem pro stupore posuit, quia Hebræi post B illatam Christo necem nec Prophetarum, nec Sacerdotum, neque Regum voces audire potuerunt. *Et lepram*: Prædicit eosdem in vitiis veteris hominis fore deserendos, quæ sanctis aquis eluere noluerunt. *Et squamas*: Manifesta Hebræorum crimina, & vitia omnium oculis exposita. *Et fluxum consumentem oculos*, *&* *liquefacientem animam*: Significat illorum impudentiam longius manaturam, adeo ut C intellectum, mentemque ipsis eripiat. *Et recordabor fœderis mei &c.* Idest post septem annorum hebdomadas, anno videlicet jubilei, populus captivus ad libertatem vocabitur, & in pristinum statum, unde peccando deciderat, restitueretur.

Interim nota Moysen Pontificatum, suis liberis transcribere noluisse, sive propter illorum matrem, sive quod timeret, ne illis ea gloriæ fortunæque altitudo offiD ceret, sive quod nollet ipse, se populi obtrectationibus exponere. Utrumque Samueli, ejusque filiis postmodum accidit, adeo ut populus præsentis regiminis pertæsus Regem petierit. Sive demum, quod hæc humana exuisset, qui in Deum transierat.

Cæterum siquis ciborum delectum utilem esse putet, cogitet Hebræos per annos quadraginta manna pastos fuisse; E nec tamen infirmas conscientias suas escæ electissimæ usu sanctificare potuisse. Contra Noë filios, & ipsum Noë in arca vulgari cibo usos purificatos inde prodiisse; quoniam per fidem salvi facti sunt ex aquarum alluvione, toto orbe pereunte.

F

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI

IN QUARTUM PENTATEUCHI LIBRUM, QUI NUMERI DICITUR,

EXPLANATIO.

CAP. I. IN quarto divinæ legis libro, qui Numeri dicitur, Moyses Israëliticarum Tribuum censum descripsit, ut populus divinæ benedictionis virtutem, quantave inde cœpisset incrementa, miraretur; oppido quippe mirabile erat septuaginta viros intra annos ducentos viginti in sexcenta armatorum millia sobolevisse.

Et loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle summam universæ congregationis. Census filiorum Israel a Deo indictus, & a Moyse cœptus mense secundo, alteroque Hebræorum ex Ægypto migrationis anno, repræsentat censum in hac nova creatura a Christo institutum, quo filii veteris Adæ circa Tabernaculum mentibus non oculis aspectabile dispositi fuere. Secundus mensis Emmanuelis signat tempus, annus alter alterum novæ creaturæ statum: nec vacat mysterio, quod mares tantummodo numerantur, & prætereuntur feminæ: cœlitibus namque solum accensendi sunt, qui virilem animum gerunt, perfectamque virtutem integritate morum testantur, meritoque prætermittuntur cæteri, qui postquam luxuriæ ignaviæque se dederunt, videntur in feminas migrasse. Quum autem ad numerum duodecim Patriarcharum nomina dari describique legis, expressam agnosce imaginem novi census, in quo Apostolorum opera variæ diversæque ex toto orbe nationes in hanc terrenam ecclesiam transcribuntur. Et vero credibile est Angelos non aliunde sibi nomen adsciscere, quam a sui quemque chori principe, velut hic a suis Patriarchis Tribus. Quamquam vero Tribus Levi ab eodem parente Israële duceret originem, a communi tamen censu excluditur. Sancti namque homines etsi de mundo sint, ad mundi tamen censum non pertinent. Et Angelorum principes proprio quisque separatim choro præest, sicut sui corporis membris caput.

Et custodient Levitæ custodiam Tabernaculi. Levitæ Tabernaculi custodes præter

[illegible]

A ter alia officia ipsis commissa jubentur etiam observare nubem Tabernaculo obtentam, quando, quove moveret; præeuntem pone sequebantur, sive noctu, sive interdiu illam mutare locum contingeret. In suas itaque singulæ Tribus distributæ stationes, jussæque circa Tabernaculum excubare: orientalem plagam tenuere tribus Juda, Issachar, & Zabulon, in quarum castris censebantur peditum millia octoginta sex & quadringenti. B Porro istæ dato signo omnium primæ movebant, præibantque viam. Sequebantur Tribus Ruben, Simeon & Gad, quæ meridiem occupaverant, habebantque sub signis centum quinquaginta millia armatorum & quadringentos quinquaginta. Succedebant Levitæ, qui Tabernaculum portabant, præeuntibus, quas dixi, Tribubus, & sequentibus Ephraim, Manasse C & Benjamin, quæ ad Occasum constiterant, censebantque milites centum supra centum & octo mille. Claudebant agmen Tribus Dan, Aser, Nephtali, quibus ad Aquilonem statio assignata fuerat; accensitique pugnatores sexcenti supra millia quinquaginta septem.

Levitæ, quibus Tabernaculum custodire, nubisque motus observare mandatum fuerat, a Moyse deinceps censentur. D *Hæc sunt*, inquit, *nomina filiorum Levi separatim, & distinctis familiarum nominibus, filii Gerson, Lebni & Semei &c.* Gersonitarum summa erat septem millia & quingenti supputatis modo maribus a mense & supra. Isti primam pone Tabernaculum stationem nacti sunt ad Occasum, jussique illud gestare cum universo instrumento, operimenta scilicet, velamina, E ostii quoque velum, & cortinas atrii, hujusque ostio expansum velamentum. *Filii Cahat, Aram & Jesahar & Oziel*, masculorum hujus familiæ numerus a mense & supra, octo mille & sexcenti. Hi castra metabantur ad Austrum, portabantque arcam, mensam, candelabrum, altare, ejusque supellectilem & Sanctuarii vasa sacro ministerio addicta. *Filii Merari, Moholi, & Musi*. Masculorum nu- F merus a mense & supra, sex mille & ducenti. His attributa sedes ad Aquilonem, jussique Tabernaculi vectes, columnas, & bases devehere. Moyses & Aaron primum a Tabernaculo tenuere locum ad Orientem. Summa Levitarum a mense & supra, millia viginti duo. Porro Gersonitarum familiam designat servus, qui unum dumtaxat talentum accepit; qui duo

duo Meraritas; qui autem quinque, Cahaitarum figura fuit. Rursus Gersonitæ pœnitentes repræsentant, quosvis Justos Meraritæ, Cahaitæ Perfectos. Similiter in Gersonitis Prophetas agnosce, in Meraritis Apostolos, in Cahaitis administratorios spiritus in ministerium missos. Postremum in Gersonitis contemplare terrenas substantias, in Meraritis cœlestes, in Cahaitis officia Thronorum.

Dixitque Moyses ad Aaron: Accipe siclos quinque per singula capita. Siclus habet viginti obolos. Siclum sanctuarii verisimile est ab ipso Aarone excusum fuisse, propriaque nota signatum. Summa ergo Levitarum ministrantium septem millia & octoginta quinque.

Dixitque Dominus ad Moysen: Præcipe Filiis Israel, ut ejiciant de castris omnem leprosum, & qui semine fluit. Et hæc quidem non sine causa Deus mandabat, quo nimirum populus legibus edoctus aversari maculas ab homine vel invito contractas, serio consideraret, quam oppido fœda, ac perinde fugienda essent peccata libertatis nostræ. Præterea satagebat, ut qui ob eam causam a popularium suorum consuetudine tectoque exclusi, soli agere cogebantur, elaborarent, quam possent maxime, ut tales corporis affectiones ocyus depellerent, quo recte succedente cura purificati, ad convictum communem reciperentur.

CAP. V. *Vir sive mulier, quum deliquerint, reddent ipsum caput, quintamque partem adjicient ei, in quem peccaverint.* Hoc ad decimas etiam referendum est, si quando Hebræus decimam rei suæ intra constitutos dies solvere cujusvis causæ prætextu neglexisset.

Siqua mulier erraverit, & error a marito deprehendi non quiverit, oblatas a Sacerdote exploratorias aquas bibet: & siquidem polluta non est, erit innoxia, & faciet liberos; ita fiet, ut acceptam injuriam compenset subsequens fœcunditas. Verumtamen quia liberius agendo conjugem in eam opinionem impulit, expiationem ipsa petet, & maritus uxoris pudicitiæ vigil, collatæ ad ejusdem custodiam diligentiæ merito, ipsam omni culpa liberabit. *Et in manu Sacerdotis erunt aquæ amaræ exploratoriæ.* Quas videlicet Sacerdos diris execrationibus prosequebatur, & aquæ redarguitionis, seu increpationis dicebantur.

Vir,

A B C D E F

A

[illegible]

CAP. VI.

Vir, sive mulier, quæ segregaverit se, votumque nazareatus emiserit, erit Nazarenus Domino, omnem siceram non bibet, & novacula non transibit super caput ejus. Hæc ab historico ad arcanum sensum traducta sic exponenda sunt, ut Nazareus Hebræorum populum Deo consecratum significet, qui proinde cavere jubetur vinum, depravatos scilicet Ægyptiorum mores, ut qui hominem a seipso alienarent, nec vero secus, quam haustum sine modo merum. Præterea abstinere a quovis alio liquore temulentiam inferente, ideft abhorrere a quacumque profana religione. Plurimæ namque in Chananitide ejusmodi sectæ occurrebant Hebræis eo tendentibus. Vinum itaque symbolum fuit ægyptiacarum consuetudinum, sicera profanarum religionum eo tempore in Chananitide obtinentium, utrasque tuebatur & roborabat inolitus utrique genti pietatis & sanctæ disciplinæ neglectus. Uvæ proinde seu recentes, seu passæ, Nazaræo pariter interdictæ, Ægyptiorum & Chananæorum peccata repræsentant, & quas ferre solent peccata clades; prohibitus etiam omnis uvarum succus, & ipsa lora, seu liquor ex folliculis acinorum expressus, quo populus in Dei familiam susceptus iterum monebatur, cavere mala, quæ ex Ægyptiorum & Chananæorum flagitiis fluxisse, cernebat. Rursus *vinum*, ait, *& siceram Nazaræus non bibet*, ideft caveat, ne extima sui pars corpus quidpiam patiatur, unde stuporem incurrat sensuumque alienationem, neve intima & nobilior pars animus absurdis cogitationibus curisve perturbetur. Præterea dum lex Nazaræum uvis abstinere jubet, noxia pravarum libidinum genimina excindere jubet; dumque loram etiam & quemlibet succum ab uvis expressum interdicit, minima etiam curanda monet. Rursus jubetur Nazaræus fugere omnem immunditiam, quod perfectam absolutamque virtutem insinuat: caput novaculæ non permittere, quo pariter admonetur, ne animi sui pulchritudinem fœdis sæculi curis subjiciat. *Si quispiam moriatur juxta eum, simul polluitur.* Significat omnia virtutis ornamenta statim auferri, si animus cogitationibus mortiferis imperium semel consenserit.

A

CAP. VII. *OBtulerunt principes Israel munera coram Domino sex plaustra parata cum duodecim bobus*. Principes duodecim sunt Spiritus administratorii Apostolorum ductores & duces. Horum porro principum familiæ, quoniam ex eis prodierunt Prophetæ & Apostoli, horum etiam typum prætulisse videntur. Discus argenteus Apostolorum mores adumbrat. Phialæ item argenteæ, propheticæ disciplinæ & conversationis symbola sunt. Acerræ odoramentorum plenæ Emmanuelis animam repræsentant, in qua passiones ad peccatum provocantes omni caruere motu. Rursus Disci argentei typus sunt Justorum, Phialæ pœnitentium, Acerræ Perfectorum. Item in Acerra ecclesiam agnosce, Tabernaculo intelligibili oblatam; proinde aromata in acerram congesta signant familias gentium, & Christum, qui illas suo odore undique traxit, & unius fidei atque religionis societate conjunxit. Acerra similiter odoratis speciebus referta notat animum omni genere virtutis præstantem.

Cæterum nubes quandoque suam super Tabernaculo moram protrahebat ad dies, quandoque etiam ad horas contrahebat, sic ut alternis accessibus atque recessibus temporis spatia modo longiora, modo breviora metiretur, atque divideret. *Altero ab exitu anno, decimo die mensis secundi elevata est nubes a Tabernaculo*. Nunc primum nubes a Tabernaculo se extulit, atque a monte Sinai in Pharan successit.

Infr. 10. 11.

CAP. VIII. *DIxit autem Moyses ad Hobab filium Raguel. Pergimus ad locum, quem condixit Dominus daturum se nobis, quodque nobis fecerit bonum Deus, faciemus tibi, ne quæso nos deseras*. Quæ autem mox subdidit: *Et esto nobis oculorum loco*, indicant hominem fuisse prudentem, & ad regendam multitudinem idoneum. Hobab, qui Moysis socer hic appellatur, pater erat Jethri soceri Moysis: appellatur autem & ipse socer, ut qui esset familiæ pater & natu major. Dum autem Hobab rogatus Moysen sequi recusat, Judæos Christo ad fidem vocanti minime assensuros prænunciat.

CAP. IX. *FAciant filii Israel Phase*. Primum Phase in Ægypto celebratum describit lætitiam sanctorum imperfectam vitæque mortalis ærumnis dilutam: alterum post ex-

[illegible]

A exitum in eremo aperto liberoque cœlo, eorundem plenam conſummatamque poſt obitum felicitatem adumbrat. Rurſus primum Paſcha, durante ſervitute actum legis cœremonias ſtatumque deſignat; ſecundum in ſolitudine indictum poſt adeptam libertatem, novum Phaſe in eccleſia Chriſti inſtituendum prænunciabat: tertium a reditu Hebræorum in terram promiſſionis, & ejuſdem ſortitione celebratum, futurum ſignificat reditum omnium mortuorum ad vitam, & ſubſequuturum hominum & Angelorum Phaſe celeberrimum, ſortiſque unicuique obvenientis deſignationem. Rurſum juxta triplex genus hominum ad celebritatem Paſchæ legalis confluentium diſtingue triplicem in illo cœli terræque conventu perſonarum differentiam: alii ſiquidem erunt ſupra judicium, alii ſub judicio, atque alii extra judicium: qui enim chriſtianæ perfectionis ſumma tenent, & Apoſtolis ſimiles effecti ſimili luce coruſcant, utique judicio ſubjiciendi non erunt; illi contra quos ignis pœnitentiæ hic purgatos, tranſmittit ad vitam, Chriſti judicio approbandi: impii vero & increduli, qui nulla omnino bona egerunt, profecto non ad judicium, ſed ad ſupplicium ducentur, & quidem ſempiternum, juxta illud Prophetæ: *Non reſurgent impii in judicio.* Pſal. 1. 5.

[illegible]

CAP. XI.

ET *accenſus in eos ignis Domini devoravit extremam partem caſtrorum.* Hac ſcilicet pœna coërcendi fuerunt, qui a diuturna cum Ægyptiis conſuetudine ipſorum blaſphemiis aſſueverant. Carnium vero deſiderium accendit promiſcuum vulgus, quod Iſraëlitis Ægypto excedentibus adhæſerat: *Carnes erant adhuc in ore ipſorum*: itaque prius quam concupitæ carnes in ventrem deſcenderent, *aſcendit furor Domini, & obfirmatus eſt ſuper eos.* Quid ita? Quia ipſi ſimiliter in ſua concupiſcentia perfidiaque obdurabant, & ſicut ſcribit David, maligne inter ſe commurmurabant dicentes: *quoniam percuſſit petram & fluxerunt aquæ: numquid poterit etiam dare nobis panem? Tentaverunt me ecce jam per decem vices.* Pſalmiſta totidem enumerat hoc ordine. *Primum ad mare Rubrum ob aquarum penuriam tumultuati ſunt.* 2. *Tentaverunt Deum in deſerto.* 3. *Irritaverunt Moyſen in caſtris.* 4. *Fecerunt vitulum in Horeb, & adoraverunt ſculptile.* 5. *Pro nihilo habuerunt terram deſiderabilem.* 6. *Initiati ſunt idolo Phegor.* 7. *Irritaverunt Deum ad* Pſal. 104.

aquas

aquas contradictionis. 8. *Commixti sunt inter gentes, & factæ sunt eis in scandalum*. 9. *Immolaverunt filios suos & filias suas dæmoniis*. 10. *Ad iram concitaverunt Deum in adinventionibus suis*. Promiscuum vulgus, populo Dei permixtum, externorum turba erat, qui abdomini servire assueti conceptam ex inedia rabiem doloremque Israëlitis impertierunt, illa identidem obmurmurando: *Recordati sumus piscium, quos comedebamus in Ægypto &c.* Isti inquam intempestivæ sordidæque gulæ homines, qui pisces & pepones, cæteraque hujusmodi appetivere, plane repræsentant vitiosas cogitationes, quæ quum animum semel occupaverint, ad desideria carnis pertrahunt, coguntque manna intelligibile, quod est virtutis pietatisque studium, abjicere.

Et manna erat quasi semen coriandri. Simile fuisse dicit semini coriandri, quo simul insinuet omnem escam ex manna parabilem fuisse, & cibi cujuslibet saporem, pinguedinem, atque suavitatem participasse. *Color ejus quasi color bdellii*, idest glaciei, seu crystalli: terebaturque mola & frangebatur in mortario, fiebantque inde panes. Sed sive mola comminueretur, sive in mortario frangeretur, aut aqua elixaretur, aut assaretur igne, suos nihilominus sapores ad qualitatem cujusvis generis esculentorum modulabatur pro libito comedentium. Jam hic observa quatuor hominum gradus: Perfecti namque viri manna mola tritum esitant: Justi proficientes in mortario contusum: Pœnitentes quoniam panem cum lacrymis & largo fletu miscere coguntur, recte dicuntur aqua elixatum manna manducare: Peccatores vero subcinericias placentas ex manna conficiunt, quando cupiditatibus, luto & cinere sepeliendis cor implent, aut vetitis cibis ventrem.

Eliges septuaginta senes, & duces eos ad Tabernaculum, detrahamque de spiritu qui est super te, & tradam eis. Lege tibi, inquit, viros provectioris ætatis septuaginta, quos volo tibi præsto esse contra populum: quodve auferam de spiritu tuo in eos transferam, sic, ut ignorare non possint, suam ex tua virtutem manare, nec sibi tantum placere, ut tibi præferri, aut pares esse velint.

Quis dabit nobis escas carnium &c. Et dabit vobis Dominus carnes, & comedetis, donec exeat per nares vestras, & fiat vobis quasi cibus crudus, idest vertatur in nauseam, & fastidium. Concupiscen-

scentia carnium hæret adhuc populo Judæorum, quippe qui hodie quoque carnes Paschalium victimarum appetunt & veram hostiam in Calvariæ monte cæsam, cunctisque gentibus propositam fastidiunt, quomodo Patres eorum cœleste manna. Interim disce duas esse cruditatis species, aliam corporis, atque aliam mentis: & prima quidem ventriculi vires debilitat, altera animi facultates obtundit & hebetat. Exhorreamus utramque: enimvero quum Hebræi Cournicibus temperanter, moderateque vescerentur, sibi utiles experti sunt; quum autem sine modo in illis helluari cœperunt, non naturali desiderio, sed voluptate ducti, cibus alias sanus, sanitati contrarius evasit. Quare vehementer & sine fine desipiunt, qui naturæ modum excedunt, & cibi potionisque quantitatem ex voluptate definiunt. Sed etsi quotquot habent maria, pisces mitterent, putasne fieri unquam posse, ut hanc voraginem implerent?

Et ait Moyses ad Dominum: Unde mihi carnes, ut dem universo populo huic? (v. 13.) Non sunt hæc verba dubitantis, quasi vero Moyses, utrum id fieri posset, ambigeret, sed percontantis, atque scire cupientis, quomodo id præstandum foret, & unde parandæ carnes, quas Deus exhibiturum se spoponderat.

Detraxitque Deus de spiritu, qui erat super Moysen, & posuit super septuaginta seniores. (v. 25.) Quemadmodum poma vitalem succum ab arbore per ramos transmissum hauriunt; ita septuaginta illi seniores spiritum a Moyse in ipsos diffusum, sensere per intima permeare viscera. Dicitur autem spiritus Moysi detractus, & septuaginta senioribus transfusus; non quod Moysen spiritus deseruerit, sed ut doceremur, omnes intelligentes naturas spiritum a Christo hausisse. Quum autem de septuaginta senioribus, quos divinus spiritus afflaverat, viri duo, Eldad, & Medad prophetarent in castris, Josue Moysen interpellavit, ut ambos silere juberet. Unde isthæc nata interpellatio est? Tradunt, geminos illos Prophetas talem jam tum fudisse oraculum: quos ex Ægypto eduxit Moyses, Josue in terram promissionis introducet. Idcirco Moyses, equidem, respondit, istuc tibi non invideo: utinam populus universus hujus rei Propheta fieret, atque adeo divino spiritu, quem tunc conciperet, malus, quo nunc agitur, pelleretur.

CAP. XII.

Loquuta est Maria, & Aaron contra Moysen.... Et convertit se Aaron, viditque quod leprosa Maria facta est. Maria nugas, quæ hic referuntur, effutiens, Moysen dumtaxat pupugit; Scriptura tamen Mariam etiam Moysis uxori convicium fecisse innuit. Nec solummodo Maria, imo & Aaron, *Numquid*, ajebant, *cum Moyse tantum loquutus est Dominus? an non etiam nobiscum?* Sensus est. Si Deus unum interpretem arcanorum Moysen sibi delegisset, suo nos alloquio neutiquam dignaretur.

v. 2. Dixitque Aaron ad Moysen: *Ne quæso, simus velut abortivum quod egreditur de vulva matris suæ, & cujus carnis pars dimidia consumta est.* Hoc dicit non eo solum quod morbus carnem corrumperet, sed etiam quia eodem pilos depascente corpus glabrum reddebatur, qualis editur fœtus ante maturum partum ejectus, interrupto ab obsidente lue sanguinis affluxu.

v. 14. Et ait Dominus ad Moysen: *Nonne debuerat saltem, si pater ejus spuendo spuisset in faciem ejus, ad septem dies rubore suffundi? Maneat ad septem dies extra castra.* Hæc pœna Mariæ constituta fuit, ut per eam moram universa synagoga ejusdem delictum & delicti correctionem cognosceret; disceretque cavere insanam aliena facta dictave carpendi libidinem. Jam si femina spiritu afflata divino, ob jactam in fratrem contumeliam, omnem hanc pœnam tulit, si porro ipsi peccaverimus, ubi parebimus? Quod si Aaron eandem cum sorore pœnam non solvit, id porro ejusdem dignitati datum, quam Deus ampliori quodam honore prosequutus est, nostri nos officii erga Sacerdotes commonens. Nam si Deus Pontificis existimationem sustinendam, ejusdemque personæ aliquid deferendum esse putavit, quam oppido æquius & justius est, debitum honorem atque reverentiam Dei Sacerdotibus a nobis adhiberi?

CAP. XIII. v. 4.

ET misit Moyses exploratores, ut explorarent terram Chanaan, singulos de singulis tribubus: quibuscum Josue filius Nun de tribu Ephraim ex Moysis pariter destinatione profectus est. Quorsum hæc? Volebat Moyses exploratorum fidem constare, simul pertentare multitudinis animum, utrum, quæ illi visa referrent, probaret. Abiere, circumlustrataque tota Chananitide ad castra redierunt. Hic porro quum populum spe optima implere oporteret, propositaque soli feracitate & fru-

[Syriac text]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A fructuum proventu præstantiaque ad prosequenda cœpta accendere, illi contra incolarum ferociam ac numerum immodice exaggerando deterrere cœperunt, frustra contradicentibus Josue filio Nun, & Caleb filio Jephone de tribu Juda, qui de terræ promissæ fertilitate rerumque ad victum pertinentium copia & saturitate mira prædicando, populum, ut liquido animo essent, timoremque deponerent, hortabantur. Interim B in hisce duobus viris, qui juxta Mosis mandatum, explorata Chananitide, populum ad eam invadendam provocabant, imaginem contemplare Prophetarum & Sapientum, qui a Deo docti ad Judæos missi sunt, ut eosdem per viam legis ad Euangelium adducerent.

v. 24. *Et absciderunt ibi palmitem cum botro suo, quem portaverunt in vecte duo viri.* Botrus a suo pendens palmite, & C vecte gestatus, Christum plane repræsentat ab utroque Prophetarum & Apostolorum cœtu per orbem universum magnifice circumvectum. Rursus idem a palmite suspensus, Christus est è cruce pendens inter duos latrones.

CAP. XIV. v. 13. ET dixit Moyses ad Dominum: *Audient Ægyptii, quod eduxeris in virtute* D *tua populum istum &c. Et dicent: Non potuit Dominus introducere populum in terram, pro qua juraverat eis, & idcirco occidit eos in deserto.* Hæc narranda fuerunt, ut caritas Moysis ante omnium oculos poneretur: nec enim ex metu amittendæ dignitatis, sed ex amore, quo universos complectebatur, pro Israëlitarum salute intercessit, qui si periissent, gentis longe potentioris principatum Dei E oraculo sperare jubebatur.

v. 28. Et dixit Dominus: *Sicut loquuti estis, in solitudine hac jacebunt cadavera vestra.* Sed ante omnes pœna in ipsos exploratores incubuit, ut qui quum viverent, garrulitate sua promissæ terræ magnisque votis tamdiu expetitæ populo aditum occluserant, iidem præmortui sepulcrum aperirent: Sexcenta quippe millia Hebræorum simili fato sublata suos deinceps F exploratores sequuta sunt.

CAP. XV. v. 20. S*Eparate separationes Domino de primitiis pastæ vestræ placentam Domino.* Præcepit Deus populo, ut de farina subacta, antequam ipsi gustarent, crustam, seu placentam, Sacerdotibus, vel egentibus seponerent.

v. 32. *Invenerunt virum colligentem ligna in die Sabbati*. Qui ex Domini sententia mox lapidibus obtritus, pœnam sui criminis solvit: simili quippe impudentia deliquisse videbatur, qua posthac Zamri Mose & senioribus populi præsentibus ad Chozbi feminam Madianitidem intravit: nam & iste spectante synagoga universa & vacante, lignatum abiit, diemque communi religione observatum violavit, quamquam deprehensus, se id scisse negaret.

Facient sibi filii Israel fimbrias in ala vestimentorum suorum. In subsidium utique memoriæ Israëlitæ fimbrias oris palliorum assuere jussi sunt, ne illos aliquando caperet divinæ legis oblivio.

[illegible]

CAP. XVI. v. 1. *Et secesserunt a synagoga Core filius Isaar filii Caath, filii Levi, & Abirom filius Eliab. Hon quoque filius Phaleth de filiis Ruben &c.* Tumultuabantur isti adversus Aaron. Quid ita? nec enim, qui modo Pontificatum Aaroni eripere conantur, aut certe aliquem in ministerio Tabernaculi locum tenere ambiunt, istuc cogitarunt, quando in Ægypto ex luto & argilla lateres fingebant, aut ab Ægyptiis verberabantur, seu quum imminentes tergo hostes per discissum mare fugerent, seu quum Ægyptiorum copias fluctibus miserandum in modum haustas inspectarent. Causam rogas? nimirum desierant timere. Porro Core, & Abirom, cæterique conjurati, dum contra Aaronem legitimum Pontificem insurgunt, & summo sacerdotio illum exuere contendunt, Judæorum Sacerdotibus prolusisse videntur, qui contra Dominum conjuravere; & sicut ex parabola vineæ discimus, eundem hæreditate spoliare voluerunt.

v. 31. *Et dirupta est terra sub pedibus eorum, & aperiens os suum devoravit eos &c.* Sic Deus nullo strepitu sub terram misit homines protervos, qui Ægypti delicias amissas querebantur, damnumque pontificatus honore compensandum esse putabant, quasi vero Ægypti sordes & Sacerdotium essent inter se comparabiles.

v. 17. *Tolle thuribula de medio combustorum, quia sanctificata sunt thuribula peccatorum in animabus eorum, & produc ea in laminas, ut sint in operimentum altaris.* Profecto si qui Dei indignationem provocaverant, illorum nihilominus thuribula sanctificata dicuntur in animabus eorum, propterea que refusa in ornamentum altaris transierunt; quantam, putas, Confesso-

[illegible]

[illegible]

A ſorum corpora ab animarum ſuarum communione ducere ſanctitatem.

[illegible]

CAP. XVII.

ET loquutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Loquere ad filios Iſrael, & accipe virgas ſingulas ab eis per cognationes ſuas. Et quem ex his elegero, virga ejus germinabit. Motus hujus, & tumultus cauſa fuit Rubenitarum ambitus, qui cæteris nihil moventibus, ſoli cum Levitis adverſus Pontifi- B cem conſpirarunt. Nihilominus, quoniam cavendum fuit, ne reliquæ tribus in poſterum contra Aaronem iterum inſurgerent, prætexentes, Deum quidem Rubenitarum virgam repuliſſe, non item Judæorum, aut Gaditarum, idcirco Moyſes omnium Tribuum virgas in Arcam conjecit, ut omnes poſt abjiceret: nec enim dubium erat, quin, patefacta inſigni miraculo Dei voluntate, omnis in C futurum tumultuandi occaſio præcideretur. Nunc in virga Aaron deſcriptam habes effigiem adorandi corporis Chriſti: nam ſi illa reliquis in propria conditione manentibus, viridis & florens apparuit; Corpus Chriſti etiam poſtquam tumulatum fuit, incorruptum manſit, quamquam communem cum cæteris corporibus corruptibilem naturam haberet. Idem, tametſi paſſionibus irreprehenſibili- D bus per ſe obnoxium eſſet, in eo tamen ſolo manifeſte patuerunt hactenus ignotæ corporis immortalis, incorruptibilis & impaſſibilis prærogativæ. Poſtremum licet corruptibilium corporum materia eſſet concretum, nihilominus non modo corruptionem non vidit, ſed nec ſepulcro contineri potuit.

[illegible]

CAP. XVIII.

E *OMnem pinguedinem frumenti, & vini, quæ pro primitiis illi offerent Domino, tradidi tibi, & omne primogenitum in terra, boum atque ovium: primogenita hominis, & animalium immundorum redimentur: boum, caprarum & ovium non redimentur; carnes eorum habebunt ſibi Sacerdotes, excepto adipe, qui altari inferenda eſt, quumque ſecreveritis pinguedinem partis ab illa, reputabitur Levitis ſicut proventus areæ, & proventus torcularis.* His F legibus Levitis traditæ ſunt decimæ omnium bonorum & proventuum. Populus itaque Levitis decimas pendebat, Levitæ Aaroni, & Aaron Deo.

[illegible]

ET loquutus eſt Dominus ad Moyſen dicens: Adducent ad te vaccam rufam integram ſine macula, tradentque Eleazaro, facietque eam ma-

mactari ante faciem suam. Non quo Sacerdos tali hostia indigeret, aut ad sacrificium uteretur, quod quidem liquet tum ex destinatione cinerum ejusdem, qui ad purificationem immundorum reponendi erant; tum ex eo, quod lex jubet, cum carnibus animalis etiam excrementa cremari; id porro fieri a Sacerdote sacrificante, sordidum fuisset: hinc ergo planum fiebat, ejusmodi animal neutiquam ad sacrificium postulari.

v. 18. *Et tollet vir mundus hyssopum, & intinget in aquis, in quas immissi fuerint cineres vaccæ combustæ, & asperget ex eo tentorium, & supellectilem*. Recte hyssopum lignumque cedrinum & coccinum adhiberi lex jussit: quo sacra ista populo redderet augustiora, cœremonias religionis ex rerum pretio æstimanti: cogebatur enim purpuram & cætera emere: ne religio ipsa vilesceret ex vilitate materiæ, si hæc obvia fuisset, nec propriis sumtibus paranda.

CAP. XX. v. 10. *Congregata multitudine ante petram, Moyses, & Aaron dixerunt eis: Audite exasperantes: num de petra hac vobis aquam poterimus elicere &c. Dixitque ad Moysen & Aaron: Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israel, non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis*. Hæc a Domino Moyses audiit, quoniam, quum sciret oportere Dei potentiam prædicare ante petram, de petra maluit ad populum dicere. Simul eundem acriter objurgavit: sed & ipse arguitur, quod petram iterum percusserit, etiam postquam aquam fundere jam cœperat.

v. 6. *Et immisit Dominus serpentes urentes, qui mordebant populum*. Moyses dolens tot hominum millia a serpentibus prostrata, supplex oravit Dominum, ut afflictis succurreret, & exauditus est. Jam si ipse deliquerat, cur pro se non oravit? Quod si oravit, oravit utique, ut sibi ad terram promissam aditus daretur, non ut culpa dimitteretur. Quod si peccasset, de peccati remissione unice solicitus fuisset. Etenim magis præstabat, culpa absolutum mori in solitudine, quam noxæ cujusvis reum terra promissa potiri. Pro peccato itaque non oravit, quia non peccaverat; pro terra oravit, negavit Deus, quo majora præstaret. Nam & terræ promissionis gloriosiorem ingressum postea concessit, interim vero dum is in longum tempus differtur, in præsenti prospectum ejusdem indulsit.

Fac

[illegible]

[illegible]

A

Fac serpentem regulum æneum & pone eum pro signo : qui percussus aspexerit eum, vivet. Enimvero non sine ratione, qui manna pane Angelorum pasti, famem querebantur, castigantur serpentum morsibus : serpens nempe mutum animal est, terra vescitur, nec queritur. Et quidem verisimile est, Moysen eam serpentis effigiem ante fores Tabernaculi foederis erexisse, ut populus, ea plaga percussus, oculos eo converteret, unde mentem avocarat : & Dei Tabernaculum venerabilius ægris redderetur, mortiferæ affectionis medelam inde manare cernentibus. Christi interim imaginem hisce lineis descriptam contemplare : quoniam, ut ipse dixit, sicut exaltavit Moyses serpentem in deserto, ejusque contuitu grassantem in populo suo pestem dispulit; ita exaltari oportebat filium hominis in Crucem, unde cunctis gentibus salus paretur. — v. 8.

B C

Tunc cecinit Israel canticum istud. Ascende putee, concinite ei. Puteum istum foderunt Principes, duces populi alte effoderunt eum, suis baculis excitarunt illum. Foderunt, inquit, puteum istum Principes, primores viri ex familia Moysis, & alte defoderunt duces populi, idest Principes Tribuum, & baculis suis excitarunt illum, idest sua potestate, & officio. Tradunt, Petram Hebræos per deserta vagantes sequutam fuisse, & ipsis quidem proficiscentibus aquas omnino non negasse, coëgisse tamen in puteum : ubi autem populus suppresso incessu consedisset, statim plenis alveis duodecim torrentes, ut solebat, refudisse, Moyse & ducibus Tribuum baculo, & psalmorum cantu aquam cientibus. — v. 17.

D E

De solitudine datus est (puteus) *ad Mathana, de Mathana ad Nahaliel, a Nahaliel ad Bamoth vallis ad summitatem collis*. Mystice summum collis fastigium Dei naturam & perfectiones designat : Bamoth & Nahaliel Angelorum Dei throno adstantium chorique vigilum prærogativas : Mathana Prophetas divinorum arcanorum conscios repræsentat : desertum gentes, earumque per sanctos Apostolos vocationem. — v. 19.

F

Idcirco dicitur in proverbiis : ingredimini in Hesebon, idest vos Hebræi in hæreditatem vestram. *Ædificetur, & construatur civitas Sebon*, hoc ideo dicit, quod etsi ab Israëlitis primum vastata & eversa fuisset, a Rubenitis tamen, quibus in sor- — v. 27.

ſortem obvenerat, poſtmodum reædificata eſt.

CAP. XXII. v. 13.

ET *dixit Balaam ad Principes Balac: Dominus non vult dimittere me, ut vadam vobiſcum.* Quod ait, non fuiſſe permiſſum Balaamo, malum populo imprecari, non eſt, quod ſi Balaam id feciſſet, continuo populus fuiſſet maledictus, ſed ut oſtendat Satanam Juſtis nocere non poſſe. *Et vidit aſina Angelum Domini, compreſſitque ſe ad maceriam.... Percuſſitque aſinam Balaam &c.* Aſina ter a Balaamo fuſte tunditur, nec contunditur. Jumentum Balaami typus eſt humanæ naturæ, qua pro carpento abutebatur Diabolus. Aſina, ut Angelum aſpexit, infeſtum ſeſſorem dejicere nititur, quia natura humana, quum primum ſpectare meruit ſponſum viſibilem factum, jugum externi aurigæ ſua a cervice decuſſit, effectaque eſt Chriſti currus, quæ olim adverſarias poteſtates vehere cogebatur.

CAP. XXIII. v. 10.

DIxitque Balaam: *Quis dinumerare poſſit pulverem Jacob, & numerum quartæ partis illius?* Ideſt poſteritatem, arenam maris æquaturam: quid? quod nec quartam ejus partem numerando aſſequi poſſit. Et dixit Balac: *Ad maledicendum inimicis meis vocavi te &c.* Noluit utique Deus, qui populum ad ſtuprum cum filiabus Moab ſe comparaſſe noverat, præſciebatque ſequuturam in pœnam ejus flagitii mortalitatem, permittere Balaamo, Iſraëlitas execrari dirisve devovere, ne videlicet eam calamitatem, quam ſuis ſibi ſceleribus accerſiverant, ex Arioli maledictione accidiſſe putarent, atque inde erroris occaſionem arriperent, rati Ariolos divina vi præditos eſſe, qui nullam haberent. Præterea ne Balaam ipſe ſe ſuis execrationibus eam luem Hebræis immiſiſſe jactaret, virtute divina adactus eſt eiſdem optare bona, & mala ſimul eorum hoſtibus imprecari: quin etiam interitum denunciare ipſimet Regi, & quidem præſenti adſtantique ad eas, quas nuper extruxerat aras. Id enim ſignificant illa Balaami populum Hebræorum alloquentis verba: *Maledicentes tibi in maledictione reputabuntur.* Sed enim vero tanti ne fuit, ut Balaam Hebræis malediceret? An non poſt acceptam ab illo benedictionem, nec verbis, ſed factis peſſime accepti ſunt, immiſſa divinitus peſtilentia? Interea vero, dum Balaamo præcipitur

tur Israëlitis benedicere, sibi etiam illorum sortem optare permittitur. *Fiant*, inquit, *novissima mea horum similia*. Fiant enimvero, & Balaam eodem, quo illi periere, letho occumbat. Adeo benedictio in maledictionem cessit utrisque. Hebræi namque peste sublati sunt, Balaam in eo prælio cecidit, quo cœsi fuere Madianitæ, qui alias ab ipso fuerant maledicti. Nimirum & Hebræos, quibus benedixerat, & Madianitas, quibus maledixerat, similis fere ruina non diu post oppressit.

v. 17. *Orietur Stella ex Jacob*. Jesus Christus omnium gentium Salvator, cujus typum hoc loco præfert Zorobabel Salvator Judæorum. *Et consurget Princeps de Israel*, idem Zorobabel ejusque successores. *Et perdet potentes Moab*, post reditum; *& subjiciet omnes filios Seth*, finitimas Judæorum ditioni nationes. *Caput gentium Amalec*, quoniam Amalecitarum populus, cæteris nihil interim moventibus, primus Israëlitis bellum intulit. *Venient legiones de terra Cethæorum*, *& subigent Assyrios*, *& subjugabunt Hebræos*. Designat Antiochum unum ex Alexandri successoribus, qui sub tempora Machabæorum Judæos vehementer afflixit.

CAP. XXV. v. 8.

Et ingressus est Phinees post virum Israëlitam in lupanar, & perfodit ambos. Dixitque Dominus ad Moysen: Phinees filius Eleazari zelatus est zelum meum inter eos: Filios Israel, quoniam cæteris ociose spectantibus unus ipse Dei injuriam iniquissime tulit, & vindicavit acerrime: quo facto populi delictum expiavit.

v. 14. *Et nomen viri, Zamri filius Salu*, quem nec circumstantis synagogæ reverentia, nec præsentis magistratus timor cohibere potuit, quin publice & palam scortum Madianitidem intraret. Et Phinees quidem Christi figuram exhibuit, iste diaboli; diabolus siquidem impudentissimus est, homines ad omne nefas perpetuo sollicitat, quum sit omnium scelerum suasor & autor: hunc porro frænare nulla potestas, vis nulla potuit: nec enim Satanam coërcere valuerunt cœlestes Virtutes, aut Patriarchæ, aut Prophetæ. Scilicet unus Phinees impurum Zamri confixit, unus Christus diabolum hasta Crucis suæ perfodit, omnemque ejus virtutem afflixit, & prostravit. *Et prohibita est mortalitas a populo*, nimirum cessante peccato plaga cessavit.

v. 15. *Et nomen mulieris Madianitidis Cosbi filia* Sur,

Sur, *ipse erat Princeps gentis domus patris sui in Madian*. Qua in proprio tabernaculo interfecta, sodales feminæ refixis trepide tentoriis confestim se inde proripuerunt. Sic Hebræis si non voluntas peccandi, potestas ablata est: fugerunt laquei feras, ne feræ se in laqueos induerent. Cæterum verisimile est, Phineem ea occasione personam dissimulasse, habitumque tempori opportunum induisse, ut videretur amatoria meditari: quo Christi umbram descripsit, qui habitu inventus est ut homo, quum ad tollendum hominis peccatum veniret. Sed & probabile est feminam filiam Principis suos habuisse eunuchos, eosque venientem Phinees ab aditu prohibere conatos fuisse, quos ut falleret, heræ procari se simulans: nunciate, ait, Dominæ, Phineem adesse. Nec id forte Zamri intra lupanar tunc moranti ingratum accidebat, cui nimirum placebat, universam synagogam secum in eo negocio consentire: sic admissus Phinees ambos interemit. Hinc quidam conjectant, idcirco Sacerdoti attributum fuisse jure perpetuo victimæ armum & pectusculum, quod Phinees adacto in pectus telo nefarios illos confecerit, cadaveraque in humeros sustulerit. Certum est, telum illud extitisse velut terminum fixum divinæ vindictæ, ne latius in populum excurreret: factumque Phineis salutarem metum delinquentibus injecisse, & interfectorum cognatis magnam questuum & lacrymarum præbuisse materiam. In ea populi trepidatione atque luctu, credibile est, Moysen fusis ad Deum precibus acerbum animi sui mœrorem lenire studuisse, quo tantam populi sui stragem spectare sustineret.

CAP. XXVII. v. 2.

ET *hæc sunt nomina filiarum Salphaad*, *Maala & Noa*, *& Hegla*, *& Melca*, *& Thersa*. Salphaad hujus familiæ princeps absque prole mascula decesserat, quinque superstites filiæ portionem sibi dari petunt, affirmantes patrem suum neutiquam consensisse illis, qui profani incensi oblatione Dei indignationem provocaverant, populique turbaverant pacem. Idcirco nec flammis, nec terræ hiatu haustum fuisse, sed ob commune synagogæ delictum communi pœna comprehensum, cum aliis sexcentis millibus interiisse. Legem simul protulerunt, qua cautum fuerat, ne quis Israëlita ab alia tribu nuptias quæreret, ne scilicet si eidem familiæ extra propriæ tribus limites bona possidere licuisset, ordo

[Syriac text illegible]

do constitutus in prima terræ divisione turbaretur. Tropologice. Filiæ Salphaad, quibus paternam cum fratribus hæreditatem adire conceditur, sanctas feminas designant, communem cum viris in regno Dei hæreditatem adepturas.

[Syriac text illegible]

CAP. XXXI.

v. 2. *Dixit Dominus ad Moysen: Ulciscere filios Israel de Madianitis.* Madianitarum reguli quinque fuerunt, qui Dei populo magnopere nocuerunt. In his recte intelligimus quinque peccati duces: sunt autem corporis sensus, quos homines quum peccant, sequuntur: idcirco dicuntur etiam portæ omnium peccatorum: visus, auditus, gustus, odoratus & tactus. Madianitarum igitur Reges dum Phinees interficit, Christi typum expressit, qui, mortificatis sensibus, peccati errorisque vires labefactavit. Nostri similiter corporis sensus accusat Propheta & mortis fenestras appellat: *Ascendit*, inquit, *mors per fenestras nostras, calcavit arces nostras.* (Jer. 9. 2.)

[Syriac text illegible]

v. 6. *Vasa quoque sancta, & tubas ad clangendum tradidit ei.* Phinees cum Madianitis pugnaturus, sacras tubas accepit; commisso prælio, eorum copias fudit, & regulos necari jussit. Tubæ, quibus in hoc bello Phinees usus fuit, aliæ Arcam præcedebant, & allegorice Prophetas significant, qui Christum tempore antecesserunt, ejusque adventum prænunciarunt: aliæ sequebantur, typusque fuerunt Apostolorum & Euangelistarum, Christum jam venisse renunciantium.

[Syriac text illegible]

v. 22. *Aurum & argentum, & æs, & ferrum, & stannum, & plumbum, quod potest transire per flammas, igne purgabitur.* Hæc symbola sunt. Vasa itaque igne purgata, quæ aurea, Apostolos designant; quæ argentea, Prophetas; reliqua hisce viliora, puta ænea aut ferrea, varios Ecclesiasticorum Doctorum gradus distinguunt: quum & isti Spiritus divini gratiam participaverint; etsi non quantam Apostoli, & Prophetæ acceperunt, sed longe minorem. Cætera minimi pretii vasa infimos ordines repræsentant Baptizatorum & Catechumenorum.

[Syriac text illegible]

v. 48. *Quumque accessissent ad Moysen Principes exercitus, Tribuni, & Centuriones, dixerunt.... Offerimus singuli quod in præda invenimus, vasa auri, armillas, periscelides, & murenulas &c.* Principes exercitus Apostoli fuerunt, qui Christo vasa electa ex conversione gentium obtulerunt, quamquam & ipsi Apostoli, Prophetæ, & Do-

[Syriac text illegible]

ctores vasa aurea eximia fuere. Porro quemadmodum Moyses & Eleazar in Tabernaculum testimonii pretiosam supellectilem intulerunt, sic Apostolos & sanctos suos Christus, salubribus doctrinis ante purgatos, coelesti demum Tabernaculo invexit, & in magna illa atque oculis nostris abscondita gloria collocavit.

v. 28. *Unam animam de quinquaginta tam in bobus, & asinis, & ovibus dabis Levitis, quia primitiæ Domini sunt.* Primitiæ Domini fuerunt gentes ad Dominum conversæ. At sicut in præda, quam filii Israel ex Madianitarum terris extulerant, ovium numerus major fuit, sic inter eos, qui ex gentibus fidem Christi susceperunt, *non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles*, ut non longe plures fuerint simplices & indocti. Porro quemadmodum oves vulgi credentium typus fuerunt, ita boves aratores significant Apostolos, Prophetas & Doctores. Asinus patientiæ laboris in persequenda justitia symbolum est. Postremum feminarum captivarum moeror exhibet luctum poenitentium, & hominum infimæ sortis ærumnas.

1. Cor. 1. 16.

CAP. XXXII. v. 1.

HÆ *sunt profectiones filiorum Israel, qui egressi sunt de Ægypto per turmas suas*, quas Moyses distinxit, literisque prodidit, expressis locorum nominibus, unde, quove profecti sunt, donec terram laborum suorum metam intrarunt. Cogita D. Jesum Christum eodem honore Sanctos suos dignaturum, illorum itinera Angelis audientibus retexendo: itinera porro Justorum sunt ipsorum tribulationes, susceptique pro pietate labores, atque perpetuæ de virtute in virtutem progressiones.

v. 38. *Ascenditque Aaron in montem Hor jubente Domino, & ibi mortuus est.* Hic occurrit lex, qua præceptum fuerat, ut quotquot relegati in civitates refugii, clausique intra moenia velut carcere ibidem detinebantur, incidente morte Pontificis, dimitterentur. Homicidæ hi erant, qui fugientes fusi sanguinis ultores ad ea oppida profugiebant. Talibus ergo decedente summo Sacerdote, ejusdem successore annuente, domum redire tute licebat; ubi expressam cernere est diffusam coelestis Pontificis morte in omne genus humanum gratiam, eo quippe moriente revixit mundus universus mortis imperio subjectus, rediitque ab inferis.

SAN-

[illegible]

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAIM SYRI

IN DEUTERONOMIUM EXPLANATIO.

CAP. I. v. 1.

HÆc sunt verba, quæ loquutus est Moyses ad omnem congregationem Israel trans Jordanem in planitie contra mare Rubrum, inter Pharan & Thophel; & Labanam & Haseroth, & Dizahab &c. Quæ in tres libros distributa ferebantur, in unum volumen contrahenda, atque digerenda fuerunt: ne pigeret ignavos illa quærere, neve quærendi labor studiosos frangeret, priusquam quæ sibi quærenda proposuerant, invenirent. Hujus itaque compendii auctor Moses hunc ex præcedentibus codicem compegit, ut quos ista discere delectabat, eadem reperiendi difficultas ab utili lectione minime retardaret. Quid? quod & divinæ leges novo fœdere sanciendæ fuerunt hominibus, qui suscepta pridem impia vituli religione, omnem illarum gloriam dignitatemque infregisse videbantur. Præterea iterum promulganda lex fuit in eorum gratiam, qui priori legis promulgationi minime interfuerant: quibus enim lex lata fuerat, eandem referre supervacaneum fuisset. Accedebat, quod illi, quibus primum lex intimata fuerat, justo Dei judicio damnati, plerique in deserto jam occubuerant, quando hæc agebantur.

Undecim dierum iter est ab Horeb ad montem Seir. Indicandum fuit tempus & locus, in quo Deuteronomium dictum & explanatum fuit, quo in mysterio doceretur, Christum hora pariter undecima processisse ad quærendas gentes per deserta vagantes, novique Testamenti præceptis imbuendas. Rursus Pharan, & Thophel, & Labana, & Haseroth atque Dizahab, loca quinque, quintam mundi ætatem connotant, quæ secundum allegoriam dicitur adventus Domini, & parabolæ congruit, in qua legitur, Patrem familias quinquies exiisse ad conducendos operarios in vineam suam, mane, hora tertia, sexta, nona & undecima.

v. 13.

Eligite vobis viros sapientes in Tribunos, & Centuriones, Quinquagenarios, & Decanos. Tribunorum locum nunc obtinent Apostoli, Prophetæ Centurionum, Quin-

Quinquagenariorum Doctores, Interpretes Decurionum. Rursus Tribuni, idest Principes millium sui nominis prærogativa designant supremam Dei naturam, cui millia millium ministrare dicuntur, & summam sub illa Thronorum, & Dominationum dignitatem: Centuriones seu duces Centum, explicant præfecturam Principatuum & Potestatum: Quinquagenariorum gradus Angelos, Cherubim ac Seraphim significant: Decurionum, Apostolos, Prophetas & Doctores. Superior itaque interpretatio spectat Ecclesiam visibilem: posterior cœlestem menti rationique solummodo conspicuam. Etenimvero Emmanuel, nostræ factus consors naturæ per corporeæ substantiæ susceptionem, in Ecclesia visibili visibiles congruenter instituit Tribunos, Centuriones, Quinquagenarios, & Decuriones.

v. 22. *Accessistis ad me omnes, atque dixistis: mittamus viros, qui considerent terram &c.* Hic Moyses populum redarguit, ut qui nec terræ promissæ ubertatem, quam ex fructibus ab exploratoribus allatis satis conjectare poterant, nec Josue & Calebi consilia attendissent, nec vero pertimuissent Dei indignationem, immo novis, ait, injuriis faciem Domini exasperastis.

v. 37. *Mihi quoque iratus Dominus propter vos dixit: nec tu ingredieris illuc; sed Josue filius Nun minister tuus, ipse tradet terram in hæreditatem Israëli.* Quo quidem Deus Moysi aliquid detraxisse visus est, ingressum siquidem in terram promissam negavit; ejus contra ministrum Josue magnificasse ipsique Moysi antetulisse; nisi quod Josue Moyse minorem declaravit, quando ejusdem famulum appellavit, ejusque adhortationibus & consilio indigere dixit.

CAP. II.

v. 4. *Transibitis per terminos fratrum vestrorum filiorum Esau &c.* His verbis Moyses filiis Israel Dei mandatum in mentem revocat, quo cautum fuerat, ne filios Esau bello, aut quavis injuria lacesserent: quum enim eorum terras Deus Israëlitis neutiquam destinasset, easdem invadere nec utile, nec justum erat: eam quippe regionem antiquis habitatoribus Horræis ablatam, Idumæis attributam fuisse constabat. Horræi scilicet montem Seir olim tenuerant, quibus deletis, filii Esau ea juga occuparunt. Eadem perinde cum æquitate agendum intelligerent cum filiis Lot, adeoque nec bellum ipsis inferendum, quoniam, ait, terram, quam in præsenti obtinent, sibi a Deo datam acce-

A [Syriac text]

B [Syriac text]

C [Syriac text]

D [Syriac text]

E [Syriac text]

F [Syriac text]

[illegible]

A ceperunt eo jure, quo nobis Chananæorum regiones attributæ fuerunt. Idem pariter a Deo cautum fuisse dicit circa Ammonitarum provinciam, utpote quam ipse gigantibus ademtam posteris Lot adjudicasset. Cæterum filiis Israel regnum Sehon a Deo fuisse concessum, non quo populum Sehon aliunde odisset, sed quia idem Loti posteros immeritos sine causa vexasset; ea siquidem lege Dominum in B Amorrhæos Israëlitarum opera animadvertisse, qua dudum Ægyptios afflixerat, quando Hebræos innocentes opprimere voluerunt.

Noluitque Sehon Rex Hesebon dare nobis transitum: quia induraverat Dominus Deus tuus spiritum ejus. Si dicas Deum obdurasse spiritum Sehonis, sicut Pharaonis cor antehac obfirmaverat, nec temere, nec incommode dixeris; quum alter C alterius mores retulerit, perinde atque interitum. Utriusque compar Ogus Rex Basan similem etiam exitum habuit.

v. 30.

[illegible]

CAP. III. v. 4.

Sexaginta urbes cepimus omnem funiculum Argob præter plurima oppida posita in planitie, quibus regnabat Og. Sexaginta civitates, quibus regnasse Ogum Scriptura refert, mystice designant sexaginta generationes præteritas ab Adam ad Em- D manuelis adventum, quo temporum spatio mors per unum in omnes homines regnavit, dum *per unum, Jesum Christum, accipientes abundantiam gratiæ & donationis & justitiæ*, regnarent in vitam æternam. Viginti siquidem generationes numerantur ab Adamo usque ad Abrahamum, & demtis legalibus, quas Lucas tantum commemorat, ab Abrahamo usque ad passionem Salvatoris, quadragin- E ta. Convenit numerus sexaginta Reginarum, qui apud Salomonem legitur, & sexaginta Fortium, qui ejusdem lectulum ambire dicuntur.

Rom. 5. 17.

[illegible]

CAP. IV. v. 26.

Testes hodie invoco cœlum & terram, cito perituros vos esse: si quidem gentium Deos, moresque colueritis. Cavete itaque, societatem cum Ethnicis ineatis: F nam, etsi a sua consuetudine se recessuras promittant; promissis neutiquam stabunt, ut peccasse eos sincere pœniteat. Consummata quippe est illorum tentatio quadringentorum annorum mora; tantum tempus si pœnitentiam agere voluissent, datum fuit. Hinc porro perspicere potestis, eos non immeritos periisse, indidemque conjectare, vos, si quid simile per-

perpetraveritis, similem etiam exitum habituros: ajo enimvero, iterumque testem invoco cœlum, certissime perituros vos esse, nihilo mitiori judicio, quam gentes, quas Dominus disperdidit in conspectu vestro.

CAP. VII. ℣. 5. A*Ras eorum subvertite, & confringite statuas, & succidite lucos eorum*. Fana destrui, simulacra diffringi, & excidi lucos mandat, ne populus ad idololatriam pronus talium specie illectus, nemoribus & statuis ibidem erectis, numen inesse diceret.

℣. 9. *Ut scias, quia Dominus Deus vester ipse est Deus fortis, & fidelis custodiens pactum, & misericordiam diligentibus se, & iis, qui custodiunt præcepta ejus in mille generationes*. Sive quia Deus filiis frequenter exhibet, quæ patribus promisit, juxta illud: (Genes. 15. 5.) *Tu ibis ad patres tuos in pace, filii autem tui generatione quarta revertentur huc*. Sive quia ad plures generationes continuare solet gratiam, piis majoribus concessam, & ad seros etiam nepotes propagare, modo degeneres non fuerint, juxta illud: (3. Reg. 19. 34) *Salvabo Jerusalem propter me, & propter David servum meum*.

℣. 10. *Et reddens odientibus se in vitis eorum, ita ut disperdat, & ultra non differat*. Quod quidem Deus aliquando agere solet: primum, ne peccatores scelera sceleribus cumulent: secundum, ne mali male agendo liberos suos, aut populum suum corrumpere pergant: tertium, ut suo supplicio reliquis prosint, quibus exemplo minime profuerunt. *In vitis eorum*: vitam utramque intelligit præsentem & futuram, quæ corporum resurrectionem consequutura est; quando tandem Deus impiis commeritas pœnas plene rependet.

℣. 13. *Custodiet Dominus Deus tuus pactum tibi, & misericordiam, quam juravit patribus tuis, & diliget te, & benedicet tibi*. Diliget te, ait, qua ratione dilexit majores tuos, propter bona ipsorum opera; & elegit semen eorum post eos ex omnibus gentibus. Sed quoniam, quod ipsis etiam atque etiam inculcaverat, ut se uni illi placere studerent, id per summum scelus negligentiamque insuper habuerunt, tradidit illos in captivitatem. At enimvero postquam nec ea cum severitate castigati resipiscere voluerunt, eos ob ipsorum perfidiam repudiavit, eo æquissimo judicio, quo gentes ob idololatriam antea abjecerat.

Ci-

A

[illegible]

CAP. VIII. v. 3.

Cibavit te manna, quod ignorabas tu, & patres tui. Hic manna corpus Domini appellat. *Vestimenta tua nequaquam vetustate defecerunt.* Tropologice sunt dona Spiritus Sancti, credentibus iu Baptismo communicata.

v. 17.

Dominus autem tuus introducet te in terram bonam, cujus lapides ferrum sunt. Terræ promissæ regio, quam hodie Marhas appellamus, ferrique est feracissima. *Et de montibus ejus æris metalla fodiuntur*, montes innuit, qui Palæstinam ambiunt, & ferri ærisque fodinis abundant.

Germanicia.

B

[illegible]

CAP. IX. v. 9.

QUando ascendi in montem, & perseveravi in monte quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, panem non comedens, & aquam non bibens. Tres quadragenas sine cibo potuque a Moyse exactas fuisse, hinc & ex sequentibus colligitur: primam, quando legem accepit: secundam, quum pro populo oravit: tertiam, quum tabulas postremas accepturus, & pro Aarone oraturus, in montem iterum secessit. Et ex Hebræo quidem illud *oravi*, quod in hoc capite frequenter occurrit, alicubi verti potuit *jejunavi*.

C

[illegible]

Ca-

[illegible]

A

CAP. XII. v. 3.

C Avete, ne sanguinem comedatis; sanguis enim eorum anima est: idest: cave divinam naturam temere scruteris: lux hominum illa est, spiritus & vita.

[Syriac text]

CAP. XIII. v. 1.

S I surrexerit in medio tui propheta, aut qui somnium vidisse se dicat... non audietis verba prophetæ illius, aut somniatoris, quia tentat vos Dominus utrum diligatis eum. Tentat, inquit, vos Dominus verbis & factis, per prophetam signa facientem, & per somniatorem futura prędicentem: cavete, auscultetis eis, idololatriam suadentibus.

B

[Syriac text]

CAP. XIV. v. 1.

N On vos incidetis: supple ex Levitico 19. 28. *neque facietis calvitium inter oculos vestros super mortuo*. Id porro Gentiles punctis facere solebant, adhibitis post incisionem cutis medicatis succis, quibus impletæ descriptæ notæ perstabant indelebiles. Hunc Hebræi morem ab Ægyptiis hauserant, qui Deorum suorum figuras ea arte in cute depictas, gestabant. Calvitium, seu frontem notis compunctam dicit animam vitiorum consuetudine, velut indelebili nota inustam; seu peccatis ipsi immobiliter hærentibus immortuam.

C

[Syriac text]

ET

[Syriac text]

[Syriac text]

[Syriac text]

Jacobi Edess. seni scholion.

Duo hic incidunt dubia, primum de Josue ministro Moysis: an scilicet tres quadragenas, quas magister in monte sine cibo potuque traduxit, simili miraculo jejunus ipse quoque transegerit? An contra cibarium in capsa panem, montem subiturus, attulerit, ac proinde magistro jejunante, cibum sumserit. Alterum occurrit circa Moysis cognatum Hur, quem Moyse absente una cum Aarone judicem populi designatum fuisse Scriptura narrat. Cęterum quæ deinceps gesserit, quemve exitum habuerit, nusquam commemorat. Circa primam quæstionem, utrum Josue in monte comederit nec ne? nihil profecto certum, & constans afferri potest, quod plene satisfaciat: nullum siquidem vel in Scriptura, vel in verbis Moysis indicium apparet, unde liceat in alterutram partem quidquam definire. Sed enimvero quum nec Scriptura referat, Josuam cibaria in montem intulisse, nec aliunde [Syriac text] nobis opinari fas sit, illum Dei præsentis contemplatione toto eo spatio occupatum, & velut a corporis societate & contagione abstractum materialis cibi appetitione fuisse tentatum, & huic tentationi succubuisse; recte colligimus multo propius esse vero, Josuam, etsi hoc Scriptura tacuerit, toto eo dierum spatio una cum Moyse omni cibo potuve abstinuisse. Ad alteram quęstionem, quæ Moysis cognatum tangit, hystoriæ bene multæ, quas ex majorum traditione acceptas Judæi legunt, produnt, illum a tumultuante populo interfectum fuisse eo temporis intervallo, quo Moyses a Deo in montem sevocatus aberat. Quum enim idem in eo secessu diutius quam populus volebat, cunctaretur, is a Moyse proditum se fuisse suspicatus, ejusdem Vicarios Aaronem & Hur facto agmine aggressus est. Quum ergo Hur concitatam multitudinem acrius, quam res ferebat, compescere conaretur, ajunt illum a seditiosis in ore atque oculis Aaronis fuisse lapidatum: Aaroni, si molestus esse pergeret, similem exitum minitantibus.

S. Jac. Sarugen.

Justum Hur mitissimi Moysis cognatum lapidavit populus, qui vitulum finxit, & insaniit: causam, cur eum lapidaverit, nulla ejus acta usquam prodidere.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *Et hoc est animal, quod comedetis. Vitulus, & agnus, capram, & ovis, cervus, & capra, bubulus, & tragelaphus.* Mundis hisce animalibus designantur, primum homines frugi, qui ea, quæ semel animo ex virtute proposuerunt, constanter fortiterque ad rem conferunt. Secundo pii, quorum os repletur laude, ut cantent gloriam Domini, idcirco ambo isti ruminare dicuntur. Tertio studiosi B & laboris amantes, qui in plura justitiæ opera curas dividunt, cœptisque ad finem usque insistunt, quare dicuntur ungulam multifariam dividere. v. 4.

De his autem, quæ ruminant, & ungulam non dividunt, comedere non debetis, ut camelum, & leporem, & cuniculum. Hujus generis animalia significant homines non impios quidem, improbos tamen & vitiosos, qui verbis confitentur, se C nosse Deum, factis autem negant. Quadrupedes vero, quæ ungulam dividunt, sed cibum a rumine ad os non revocant, homines sunt severioris disciplinæ, qui piis exercitationibus jejuniisque vacare cernuntur, Hæretici tamen sunt. v. 7.

Hæc comedetis ex omnibus, quæ morantur in aquis; quæ habent pinnulas & squamas, comedite. Lex laudat eos, qui aquis Baptismi renati nova generatione pinnas D acceperunt, quarum adminiculo honeste viventes ad spiritualis naturæ participationem assurgunt; qui etiam squamis tegi dicuntur, quia recte factis ornantur. Quicumque vero libidinum cœno sepulti in fundo hærent, vere & merito comparantur reptilibus, ac piscibus pinna squamisque carentibus, & in lutum corporis onere depressis. v. 9.

Aves mundas nec interdicto obnoxias E lex tropologice Justos appellat, quorum mentes cœlestium rerum amore inflammatæ, illuc revolant, unde flammam hauserunt, modeste tamen, ne dum temere sublimia pertentant, a summis ad ima ruant.

Et omnem avem immundam non comedetis, quæ sunt Aquila, Milvus, & Halietus juxta genus suum, Struthio, & Acci- F *piter, Pica, & Mergus, Ciconia, & Graculus: Upupa, Ardea, & Pica juxta genus suum, Gallus silvester, & Pavo.* Triplex genus avium immundarum lex vetat, quorum plerique, puta Aquila, Milvus, Ciconia, quoniam sublime volitant & libere vagantur toto cœlo, signant curiosos rerum divinarum perscrutatores, & Hæreticos. Lex itaque volucrum hujus ge- v. 12.

generis esum interdicens admonet ejus arrogantiæ homines a spiritali mensa esse pellendos, ne audeant scrutari majestatem, & pervestigare quæ occulta & arcana sunt, abstrusa, & a nostris sensibus remotissima.

Struthioni similes esse ajo illos, qui divinæ Scripturæ verba falsis interpretationibus pervertunt, ut merito dicantur ea frangere & molere in farinam erroris & corruptelæ. Produnt enim Struthionem ferreos clavos laminasque vorare, quas indita vi stomachi concoctas excernat in fæces: nimirum & hoc isti agunt, quum verbum Dei ad suam voluntatem ex cœca cupiditate ægrotantem detorquent, ejusque vim infringere student.

Accipiter designat grassatores deceptoresque simplicium animarum. Noctuæ libidinosos & fures, noctu quippe volant. Tenebras nimirum amant quicumque furantur, aut impure intemperanterque vivunt. Ibis & Erodius homines falsos & seductores repræsentant.

Mergus, quoniam piscibus insidiatur, significat nefarios quosdam & scelerosos homines, qui Neophytos ex aquis Baptismi dudum renatos ex insidiis petunt, atque peregrinis doctrinis inescatos capiunt & necant.

Graculus & Pica homines agrestes & garrulos notant. Hocce siquidem avium genus reptilia in locis palustribus nascentia persequitur, eisque vescitur; & in desertis locis moratur; crocitat & perpetuo strepitat.

In Ciconia & Porphyrione imaginem vides voluptuariorum, qui spe turpium voluptatum quasi tabidi corporis sanie animum pascunt, & mortuorum operum cœno gaudent.

Gallus sylvester quorundam literatorum ingenia taxat, qui scientiis Gentilium mirum in modum afficiuntur, vanas Græcorum parœmias fabulasque flagitii plenas ad multam noctem lectitant, nec ad tranquillam vitam, quæ ex doctrina Christi Crucifixi ducitur, attendunt.

Pavo aut mœchos, aut superbos & arrogantes exprimit, eos præsertim, qui vestium pompam & externum corporis cultum sine modo consectantur.

v. 22. *Non coques hœdum in lacte matris suæ.* Errantis typum in hœdo habes: erroris mater secta fuit: hic porro si quando ad scholam tuam accedat, cave ne prioris disciplinæ in mores inolescat. Rursum, hœdus.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

A dus est a malo dæmone injecta cogitatio, cujus mater anima est, quam elidere oportet eadem nocte, nec cunctandum, nec committendum, ut impurus fœtus puræ matris lacte coquatur.

CAP. XV. v. 7.

NOn obdurabis cor tuum, nec contrahes manum tuam a fratre tuo paupere. Monentur divini verbi dispensatores, ne rudes & indoctos superbe prætereant, sed B cum omni humilitate omnes publice erudiant, & singulorum privatim necessitatibus succurrant, docendo quæ didicerunt.

Item: *Non contrahes*, ait, *manum tuam*, quasi dicat. Si dives fueris, fac eleëmosynas eroges. Si sanus, operi tuo faciundo impigre allabora. Si justus, adversos casus cum omni animi æquitate tolera. Si fortis, debilium infirmitatem C porta.

CAP. XVI. v. 21.

NOn plantabis lucum, neque omnem arborem juxta altare Domini Dei tui. Quia enim Gentiles nemora, & loca amœna construendis suorum Deorum delubris designare solebant, atque in hortis & viridariis dæmones colere; ut ab omni idololatrarum imitatione eos removeat, prohibet hunc morem ad divinum cultum D transferri. Tropologice, altare Deo erigendum, cordis humani symbolum est; arbores, cogitationes malæ, quas evellere & abjicere jubet.

CAP. XVII. v. 16.

NOn multiplicabit sibi Rex equos, &c. Lex tria præcipue Regibus prohibet, multiplicare equos, uxores, aurum, quorum tamen nihil non fecit Salomon.

E

CAP. XVIII. v. 14.

PRophetam sicut me suscitabit tibi Dominus Deus tuus ipsum audies. Istuc ad votum populi promittitur, qui hoc ipsum postularat in monte Horeb, *eo die, quo concio populi congregata fuit*. Cæterum etsi Deus, quod hic pollicetur, suo tempore præstitisse visus fuit, quando Moysi Josuam, & huic deinceps alios duces F Regesque substituit: attamen vere & merito dicendum est, in Christo tandem integre, & absolute eam promissionem impletam fuisse. Nam etsi post hæc tempora plures Prophetæ prodierint, nullus tamen Moysi similis fuit, qui testamentum & leges conderet; quod certe Christus præstitit, novum instituens testamentum, & leges condens hominem ad per-

Sup. 9. 10.

perfectam cumulatamque virtutem perducentes.

CAP. XIX. v. 5.

SI quis levaverit manum ad cædenda ligna, ferrumque lapsum de manubrio percusserit & occiderit socium ejus; hic ad urbes refugii confugiet: propter quod tres civitates separabis tibi in medio terræ, & para viam. Lex mandat civitatum refugii vias optimo, quo posset, modo complanari & muniri, nequa remora fieret fugienti, & inde commodum insequentibus, fugam ejus antevertendi.

CAP. XXI. v. 10.

SI quando accesseris ad expugnandam civitatem, pacem edices ei per præconem... Sic facies cunctis civitatibus, quæ a te procul sunt, & non sunt de his urbibus, quas in possessionem accepturus es, quasque hodie obtinent septem gentes, quæ filios suos cremare solent: *de his enim nullum permittes vivere, ne forte doceant te facere secundum omnem abominationem, quam ipsæ faciunt Diis suis.*

Si captivam duxeris captivitatem, & videris in numero captivorum mulierem pulchram, & adamaveris eam, & volueris habere uxorem, flebit in domo tua patrem, & matrem mensem dierum. Primum, ne mulier nuptias in luctu celebrare cogeretur. Rursum ut caveretur eidem de vi & injuria; idcirco enim plurium dierum interponitur spatium, ut interim viri voluntas exploretur. Nam si herus servam uxorem habere ex vera & constanti deliberatione decrevit, non utique ægre feret brevem moram a lege definitam: sin autem eodem die, quo feminam in potestate habere cœpit, uxorem esse velit, libidinis hic æstus fuerit, qui quum primum refrixerit, mulier repudiabitur.

v. 15. *Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, & alteram odiosam &c.* Uxor dilecta Deo, synagoga fuit, quæ etiam omnium prima domum introducta fuit; huic nihilominus antehabita est filia gentium, esto odiosa, ejusdemque filiis jura primigenia adjudicata, quippe qui synagogæ proli antelati fuerint, duplicemque incretione hæreditatis partem acceperint, Apostolorum videlicet disciplinam & oracula Prophetarum: hac enim prærogativa lex primogenitum a fratribus distinxit, esto, ex odiosa natus fuisset, modo primus.

v. 18. *Si habuerit homo filium protervum... educent eum pater, & mater... & dicent: hic filius noster luxuriosus est & ebriosus,* po-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *ponentque pater, & mater manus suas super caput ejus.* Parentes lex junxit, quod vix contingat, ut ambo in filium æqualiter immites & immisericordes sint, aut filius in utrumque æqualiter & ex toto iniquus.

CAP. XXII. v. 1.

N*On videbis bovem fratris tui, aut ovem errantem, & præteribis.* Quid? si ex odio id fiat. Frequenter enim usuvenit, ut concepta in personam ira, in rem data occasione profundatur. B Jam si Deus te misericordem in pecudem esse jubet, quam oppido magis hominis vicem dolere? Rursum si impensam jumento curam Deus se remuneraturum promittit, quanto magis si officium præstiteris fratri?

v. 6. *Si inveneris nidum avis, & matrem pullis, vel ovis incubantem, non capies eam cum filiis, sed dimittendo dimittes eam abire.* C Nam si matrem avolare patieris, illa suos forte repetet natos: sin istos capta matre reliqueris, necasti: sique utrosque sustuleris, aucupium civibus tuis sustulisti: atqui avibus divino præcepto quæsita caritas, oppido quam magnam homini quærit. Interim quoniam audis laudari clementiam, non continuo tibi animo excidat illud vulgare proverbium: qui in latronem animadvertit, publicæ salutis D negotium agit: & alterum huic respondens: qui sicarium vivere patitur, is & mortuos odit & vivos torquet, metu videlicet, dum quisque timet simili perire scelere.

v. 8. *Quum ædificaveris domum novam, septum facies tecto tuo.* Nova domus est novum testamentum, cujus septa sunt Christi præcepta.

v. 11. *Non indueris vestimento, quod ex la-* E *na, linoque textum est.* Hic rursus legislator populum a Gentilium consuetudine abducere satagit, edicens illorum non modo vitia, sed externum etiam corporis habitum, esse fugienda.

v. 13. *Si vir uxorem duxerit, dixeritque: Non inveni in ea signa virginitatis, & hinc mulierem criminandi causam quæsierit.* Si de stupro quidem constiterit, mulier lapidibus obruetur: sin contra compertum fue- F rit, feminam ficti criminis accusari, calumniator corripietur, & centum siclis argenti multabitur: quare si dives est, nudabitur, & multam solvet; sin pauper, nudabitur etiam & semet pignori opponet. Quod si dimissus accusator uxorem, quoniam repudiare non potest, vexare perrexerit, judices injuriam vindicabunt. Cæte-

terum ne viri invisas uxores perimerent, quas confictis criminibus opprimere non possent, concessus est libellus repudii, quem tamen a Moyse Hebræis permissum, Dominus docuit, propter duritiam cordis, ut etiam citra causam fornicationis uxores dimitterent.

v. 22. *Si dormierit vir cum uxore alterius, uterque interficietur, & exigetis malum de medio vestri*. Ambo capite plectantur, mulier quidem, tum quia nec pudor neque metus illam cohibere potuit, quin escam ejusmodi attingeret, tum quia inconcessas dapes avide surripuit, & intemperanter voravit. Pari supplicio lex etiam virum addixit, quia quum maritum esse liceret, maluit esse mœchus. Eadem pœna afficiendum esse lex statuit virginis desponsæ stupratorem. Sitit enimvero gladius sanguinem *bibentis aquas furtivas*. (Prov. 9. 17.)

CAP. XXIII. v. 3. *Non ingredietur in Ecclesiam Domini Ammonites, & Moabites, nec decima generatione, quia mercede conduxerunt Balaam filium Beor de Pethor Mesopotamiæ Syriæ, ut malediceret tibi*. Plane illum intelligit veteratorem, qui, quum eo, quo vocabatur, proficisceretur, negabat tamen se dictorum, nisi quæ Deus in ore ejus posuisset, aliud habens clausum in pectore, aliud in oratione promtum. Tropologice, Ammonites ab Ecclesia Christi arcendos designat idololatras, Moabites Hæreticos.

v. 7. *Idumæi in tertia generatione intrabunt in Ecclesiam Domini*, quoniam nec bellum vobis intulerunt, nec fecerunt injuriam. *Item Ægyptii*: nam etsi postremis annis vos acerbe tractaverint, memores tamen vos esse oportet beneficiorum, quæ olim, quum Joseph viveret, ab ipsis accepistis. Non tamen, nisi ante ejuraverint pravas majorum suorum consuetudines. Lex duo exigit, primum, ut in tertia generatione id fiat: secundum, ut non nisi post abdicatam patriæ religionis superstitionem. Nec vero alium capiunt illa verba sensum: perseverantes enim in more, & instituto patrum, planum est, nec decima quidem generatione Ecclesiæ Domini fuisse aggregandos.

v. 13. *Paxillum gere super arma tua, quo fodias, & egesta humo operias, quo relevatus es*. Paxillus signat prudentiam discernendi; præterea pœnitentiam, & compunctionem cordis, atque in egentes caritatem: talibus enim instructa præsidiis sapiens anima, dum malefacta deplorat, qua-

[illegible]

A quasi egesta humo abscondit. Arma sunt præcepta, vel gratia Sanctorum mysteriorum, quæ vere & merito invicta animæ armatura dicuntur.

Ne tradas servum domino suo: idest si inveneris quempiam Gentilem, puta Persam ad Idumæos fugientem, cave talem servum antiquo domino remancipes. Unde illud a Salomone transcriptum est: *Ne accuses servum ad dominum* B *suum, ne forte maledicat tibi*. Tropologice accipitur de diabolo & anima ab eo fugiente. v. 15. Prov. 30. 10

Non inferes mercedem scorti, aut pretium canis in domum Domini Dei tui. Tropologice merces scorti Hæreticorum sunt jejunia, orationes, & eleëmosynæ. Item pretium canis sunt opera misericordiæ & oblationes Gentilium & Judæorum. Utroque symbolo docet legislator, talium hominum vota non suscipi, quasi ex volun- C tate Dei sint. v. 18.

Ingressus vineam proximi tui, comede uvas quantum tibi placuerit, in vasa autem nihil repone. Quoniam pleno jam ventre saturitas esuriem pepulit, vide ut sinum inde vacuum efferas, imo vero mentem ventris cura liberam. v. 24.

Si intraveris in agrum proximi tui, spicas velle manu tua. Campum ingressus, D maturæ segeti admoveto manus, quo prementem soleris famem, cave tamen falcem simul adhibeas, quia avaritia est. v. 25.

CAP. XXIV. v. 1.

Si vir acceperit uxorem, & dormierit cum illa: si postmodum repudiata, domo ejus egressa fuerit, non reducet illam, nec domo sua recipiet. Ne dum prioris conjugis ædes frequentat, alteri, cui dimissa nupsit, occasionem præbeat suspi- E candi, ambos mutata voluntate, quæ deseruerant, castra repetere. Rursum ne mulier tali suspicione aspersa, quasi regio inhabitabilis & inculta, sic maneat derelicta. Nec enim primus feminam recipere velit, cujus consuetudo & convictus illi exosus est; nec secundus retinere, cujus fides ipsi suspecta esse cœpit.

Non accipies loco pignoris inferiorem F *& superiorem molam*. Metam, seu inferiorem molam appellat synagogam Judæorum. Catillo seu superiori molæ comparat legis præcepta & oracula Prophetarum, in quibus Deus illius populi Pater & Rector magnifice vehebatur, quamquam utraque merito illis postmodum ablata fuerint. v. 6.

v. 19. *Quando messueris segetem, & oblitus reliqueris manipulum, non reverteris, ut tollas eum.* Relinquito, ait, victum pauperi in manipulo, quem messuisti, ut invenias victum in messe, quam collegisti.

v. 20. *Quum decusseris olivas tuas, non quaeritabis post te.* Ne velis, inquit, oliveta tua, relicta carere fruge, ne velit Deus, illa inposterum omni fruge carere: partibus siquidem factis, potiorem tibi tribuit: & quum multa tibi tuleris, modicum quoddam egentibus relinquere aequum est.

CAP. XXV. v. 5.

SI quis noluerit suscitare fratri absque liberis defuncto nomen in Israel, illius vidua accedet ad eum, & tollet calceamentum de pede ejus, spuetque in faciem illius, & dicet: sic fiet homini, qui non aedificat domum fratris sui. Et vocabitur nomen illius in Israel: domus discalceati. Habes in ista muliere typum Ecclesiae. Haec enim spirituales calceos Judaeo abstulit, suisque filiis dedit: meritoque in os illius expuit, quia Christo domum aedificare recusavit, postquam, per assumtam ex Virgine carnem, filiorum Jacob factus est frater. Ergo domus discalceati natio illa dicetur, quae Christum egit in crucem.

v. 13. *Non habebis in sacculo tuo pondus majus, & minus. Pondus habebis justum, & perfectum.* Duo pondera sunt duo amores, alter fertur in plura, alter in unum: hic rectus, & indivisus; tortuosus ille & multiplex: anima sacculus est, nec ambos capit. *Non erit in domo tua modius major, & modius minor.* Duo modii veritatis & erroris symbola sunt; duplicem proinde morum differentiam explicant, prout quisque suos actus ad normam spiritus & veritatis exigit, vel carnis & erroris ductum sequitur.

CAP. XXVI. v. 1.

TOlles de cunctis frugibus tuis primitias, & pones in cartallo, surgensque perges ad locum, quem Dominus Deus tuus eliget, ut ibi inhabitet nomen ejus, & suscipiet Sacerdos eas de manu tua, & dices in conspectu Domini Dei tui. Quaesivi, quod sanctificatum est de domo mea, & dedi illud Levitae &c. Idest primitias & decimas frugum terrae collegi, & Levitae, & advenae & pupillo erogavi. *Neque comedi ex iis in luctu meo.* Idest: Prius decimas & primitias separavi tibi, non invitus nec tristis, quo peracto, partem meam comedi. *Neque quaesivi eas in qualibet immundi-*

[illegible]

A *ditia*, ideſt: Purus ab omni immunditia, fui, quando ex meis proventibus eas ſeparabam. *Neque appoſui ex eis quidquam mortuo*: Menſas innuit, quas Gentiles mortuis inſtruere ſolebant.

[illegible]

CAP. XXVII. v. 2.

QUando tranſieritis Jordanem, erigite ingentes lapides, lectos ex alveo fluminis. Jubetur populus, tranſmiſſo Jordane, ex lapidibus informibus, & B calce oblitis altare conſtruere. Tropologice altare Chriſtus eſt, ad cujus ædificationem coire dicuntur, quicumque in baptiſmo Chriſti membra fiunt, & ipſius corpus coagmentant: lapides ergo multitudinem ſignant ex variis gentibus in ædificationem corporis Chriſti collectam, quæ in unitate ſpiritus congregata in corpus unius populi coaluit. Quos etiam calce oblitos eſſe oportuit, quia candidas C veſtes induunt, quicumque ex aquis emergunt. Quo autem ab altaris ſtructura lex politos lapides rejicit, declarat, ſi quam gentes ad baptiſmum attulere juſtitiam, eam utique fuiſſe juſtitiæ umbram, & nihil.

v. 3. *Et hi ſurgent ad maledicendum in monte Garizim*. Benedictionibus præponuntur maledictiones, ut inſtituto legis magis congruentes. Lex enim ſubditos ſuos ad præ- D ceptorum obſervantiam vi metuque compellebat: benedictiones ſequuntur, quia Moſaicæ legi ſucceſſit Euangelium ſuos alumnos educans Dei amore magis quam timore pœnæ.

[illegible]

CAP. XXVIII. v. 13.

AT præmiſſis maledictionibus continuo ſubjicit benedictiones. *Benedictus eris in civitate*. Tropologice in Eccleſia Chriſti. *Benedictus in agro*, Apoſtolo- E rum in excolendo dominico agro labor. *Benedictus fructus ventris tui*, Sanctorum piæ commentationes. *Benedictus fructus terræ tuæ*, bonorum operum copia. *Benedicti greges armentorum tuorum*, fundatæ ab Apoſtolis Eccleſiæ: *Et caulæ ovium tuarum*, in Chriſtum credentium cœtus. *Benedictum horreum tuum*, ſancta menſa & Corpus poſitum ſuper illam. *Benedictæ reliquiæ tuæ*, ſanctum fermentum. *Benedictus* F *eris in introitu tuo*, introitum vocat prima chriſtianæ diſciplinæ rudimenta. *Benedictus in exitu tuo*, propoſitam in exitu vitæ poſt certamen coronam oſtendit.

v. 7. *Per unam viam egredientur contra te inimici tui, & per ſeptem fugient a facie tua*. Tropologice ſignificat, malignos ſpiritus ſæpe inſtructa acie pugnam

[illegible]

gnam aggressuros, sed, objecto septemplici virtute charismatum Spiritus Sancti, usquequaque repellendos & dissipandos.

v. 8. *Mandabit Dominus benedictiones super cellaria tua.* Cellariorum benedictionem appellat Ecclesiasticorum Doctorum eloquia, fluentia quasi imbrem: *Aperiet Deus thesaurum suum optimum cœlum*, docet Spiritus descensum a natura sempiterna. *Ut tribuat pluviam terræ tuæ in tempore suo*, idest divinorum mysteriorum notitiam.

v. 12. *Fœneraberis multis gentibus, & ipse a nullo fœnus accipies.* Omne nimirum hominum genus institutione & disciplina Sanctæ Ecclesiæ indiget, hæc vero ad egenas vanasque hominum scientias non descendit.

v. 23. *Sit cœlum, quod supra te est, æneum.* Maledictionum catalogum relegit & vehementius inculcat. *Fiat*, inquit, *cœlum tibi æneum*, quod quidem contigit in diebus Eliæ: *Et terra, quam calcas, ferrea*, idque etiam completum tempore Elisæi, quando per septennium fames Hebræos afflixit.

v. 25. Infr. 31. 30. *Confringet te Dominus corruentem ante hostes tuos.* Prædixerat Moyses: *Persequetur unus mille, & duo decem millia*, utrumque exhibuit Deus cumulatissime, Davide præcipue regnante, & alias duce Gedeone: item promiserat Deus pugnantibus certam victoriam. Sup. v. 7. *Per unam viam*, inquit, *venient contra te inimici tui, & per septem fugient a facie tua*, & hoc præstitit, ut alia quæ pollicitus fuerat, temporibus Regum David, Achabi & Ezechiæ, aliorumque piorum præsertim Principum. At postquam Hebræi a cultu Dei descivere, & in idololatriam aliaque scelera prolapsi sunt, res plane in contrarium versa est, victique fugam per septem vias cepere: quod quidem tum maxime ipsis obtigit, quando Assyrii, deinde Babylonii Judæam invaserunt, quamquam vel hoc ipsum alias passi fuerant tempore Judicum, & postremis Saulis annis.

v. 38. *Multam segetem proferet ager tuus, & modicum congregabis*, adeo ut ex coro sementis vix unum colligas satum.

v. 48. *Ponet jugum ferreum super cervicem tuam.* Ferreum jugum appellat sævam Regum externorum dominationem.

v. 49. *Adducet super te gentem de longinquo.* Videlicet Chaldæos, de quibus legendus est Jeremias.

v. 60. *Non relinquet tibi triticum, & vinum.* Famem innuit, quæ Chaldæis Jerosolymam

A B C D E F [illegible]

A mam obsidentibus plurimos torsit & absumsit. *Et comedes carnes filiorum tuorum*, quod in ea obsidione evenisse produnt Jeremias & Ezechiel.

Convertet in te omnes afflictiones Ægypti, insuper & alias plagas, quæ non sunt scriptæ in volumine legis hujus, & remanebitis pauci numero. Quod enimvero non semel accidit, etiam ante Judææ devastationem & Hebræorum captivitatem, plu- B rimis fame & bello pereuntibus. *Et disperdet te Dominus in cunctis gentibus, & servies Diis alienis.* Id porro Judæis Babylonem deportatis, & tristem servitutem flentibus maxime obtigit, quo tempore tres dumtaxat viri Danielis sodales laudantur, quod reliquis ad idololatriam deflectentibus, palam protestati sunt, se idola gentium nunquam adoraturos.

v. 60.

Et reducet te Dominus in Ægyptum C *classibus.* Hostium utique, qui te captum, perpetuæque deinceps servituti addictum illuc revehent navibus, ut effugere non possis.

v. 68.

CAP. XXIX.

ET *non dedit vobis Dominus cor intelligens, & oculos videntes, & aures, quæ possunt audire*: quare Hebræi Pharaoni similes effecti in graviora adhuc crimina dilapsi sunt, quibus nullam causam D obtendere potuerunt: quam enim defensionem afferrent, qui tot signis moniti, tantisque beneficiis affecti fuerant? Illis ergo verbis, *non dedit vobis &c.* nectenda sunt, quæ sequuntur: *Non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vestrorum vetustate consumta sunt.* Rursus ad demonstrandam illorum perfidiam etiam illa subduntur. *Et abeuntes servierunt Diis alienis, quos nesciebant, quibus non fuerant* E *divisi.* Deos, inquit, coluerunt & laudaverunt, quibus facta partitione gentium neutiquam obtigerant: alludit ad illa verba: *Quando dividebat Altissimus gentes.*

v. 4.

Infr. 32. 8.

Abscondita, quæ Domini Dei nostri sunt, & manifesta, quæ sunt nostra, & filiorum nostrorum. Divina, inquit, latent, nec ea cogitando assequi possumus. Nostra in propatulo sunt. Hoc dicendum fuit, ne Hebræi investigare divina insisterent, F quum nobis ea abdita sint & a nostris sensibus remotissima: quin potius disquirerent, an manifesta Dei præcepta complerent, & cætera ipsis clare diserteque injuncta exequerentur: proinde subdit: *Ut faciamus omnia verba legis hujus.*

v. 29.

CAP. XXX.

v. 4.

SI pœnitentiam egeris : si ad cardines cœli fueris dissipatus, inde te retrahet Dominus Deus tuus. Idest, si postquam dispersi fueritis, egeritis pœnitentiam, Dominus Deus vester ab extremitatibus cœli congregabit vos. Pertinent ista ad ea tempora, quibus Hebræi ab Assyriis & Chaldæis dispersi fuerunt, & postea Zorobabele duce congregati sunt, & in Judæam reducti.

v. 19.

Testes invoco hodie cœlum, & terram, quod proposuerim vobis vitam, & mortem, benedictiones, & maledictiones ...... *Elige ergo vitam, ut diligas Dominum Deum tuum*, sedulo reputans, quam bona fide Deus omnia, quæ patribus tuis Abrahamo, Isaaco & Jacobo promisit, plene cumulateque præstiterit, eo quod dilexerint eum; cujus rei testes appello hodie cœlum & terram : hoc scilicet innuunt illa verba: *Ut habites in terra, pro qua juravit patribus tuis Abraham, Isaac, & Jacob, ut daret eam illis*.

CAP. XXXI.

v. 4.

DEus fidelis, & absque ulla iniquitate. Non enim quas accepere clades, Deus illis quæsivit: quin ipsimet se sponte in eas conjecerunt, dum a paterna religione ad idololatriam deflectunt. Quare nec idolorum, quæ coluerunt, numine factum putent, quod è fornace ferrea salvi exierint, vel in hoc deserto sexcentis beneficiis fuerint affecti.

Memento dierum antiquorum: recogita quando ab ipsis mundi primordiis & antiqui Adæ temporibus Deus *constituit terminos populorum juxta numerum filiorum Israel* : idest, nationes & linguas suis limitibus distinxit ad numerum Patriarcharum, qui cum ipsorum parente Jacob Ægyptum intrarunt, virique fuerunt septuaginta.

v. 13.

Dedit ei, ut sugeret mel de petra. Ad literam : declarat terræ promissæ ubertatem, adeo ut rupes mel funderent ob ingentem apum copiam. Alii aliter exponunt, ut mel dicantur aquæ, quæ de petra fluxerunt, eo quod quemlibet saporem referrent, puta mel gustare cupientibus, mel fierent, rursum aliis butyrum & oleum saperent. Tropologice petra erat Christus, qui surgentem seculi molem disjecit: idem est fons vitæ, qui ad habitum, quem volumus, se format, & huic quidem fit lux, alteri vero ostium, atque aliis via & sapientia. Sic omnibus omnia fit, ut omnes lucrifaciat.

Et

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *Et oleum de saxo durissimo*. Hic similiter significantur vel aquæ dulcissimæ de petra mirabiliter eductæ, vel manna, quod oleati panis saporem referebat; vel quod textui Scripturæ magis consonat, Moyses ostendit olivarum in saxosis Judææ montibus subolescentium feracitatem, oleique proinde copiosum proventum Dei benedictione auctum.

v. 15. *Impinguatus est Israel, & recalcitravit*, B *& conviciatus est potenti, qui salvavit eum*. Enimvero pro tantis Dei in se meritis gratum se probare debuit: at ille postquam amplissimis beneficiis ornatus fuit, & multarum gentium opibus ditatus, nullam referendæ gratiæ curam suscepit: quin imo pro benefactis rependit injurias.

v. 24. *Bestias sævientes morsu immittam in eos*. Idest, si nullus infestet hostis, feras adversus eos provocabo. Sin bellum incumbat, C *foris vastabit eos gladius, & in penetralibus exagitabit pavor*, hostium insequentium expectatione suspensos, & prope imminentis periculi metu trepidos, ac trementes: quæ Caini olim pœna fuit.

v. 32. *De vite Sodomorum vitis eorum*. Sodomitarum sunt, inquit, propago, non Abrahæ, quandoquidem Sodomitarum mores imitantur. Gomorrhæorum progenies, non Saræ. *Uvæ eorum amarissimæ*, opera D eorum pessima: *Et botri eorum fel ipsis*. Ipsis, inquit, nam quos protulere fructus, iidem, quas patiuntur, calamitates accersiverunt.

v. 33. *Furor draconis furor eorum*. Pertinax enim est, ut concitatus non resiliat: *Et caput aspidis pessimum*.

v. 34. *Ecce populus meus absconditus est, & clausus sub signaculo in thesauris meis*. Idest, in hac tamen rerum conversione E & perturbatione populus meus in locis attributæ hæreditatis custodietur. Subdit enim. *Judicabit populum suum, & in servis suis consolabitur*.

v. 41. *Reddam ultionem hostibus meis, & iis, qui oderunt me, tradam eos*. Videlicet Hebræos Assyriis, Chaldæis & Medis.

v. 49. *Ascende in montem istum Nebo, vide terram Chanaan..... & morere in monte*. F Sensus tropologicus signat legem & Prophetas; his nempe concessum quidem fuit Christum variis symbolis adumbratum videre, ejus tamen tempora attingere & præsentem intueri negatum: vocationem etiam Gentilium licuit prospicere, caulas tamen omnibus gentibus ab Euangelii præconibus apertas intrare, non item: *Omnes enim Prophetæ, & lex usque ad*

Joan-

Joannem prophetaverunt. *Moyses*, inquit, *mortuus est*, *non caligavit oculus ejus*, *neque corrugatæ sunt genæ ejus*. Nam interea dum differtur Emmanuelis adventus, a quo lex sepelienda erat, Prophetæ mysterium revelationis ejus clare perspexerunt, nec enim caligavit oculus eorum; rursus nec corrugatæ sunt genæ eorum aut ora flaccuerunt: quandoquidem nec propheticæ unquam conticuere tubæ, nec prædicantium voces languerunt.

CAP. XXXIII. v. 1.

D*ominus de Sinai venit*. Mihi, inquit Moyses, apparuit primum, quum suo me conspectu & alloquio dignatus est in deserto Sinai, suumque legatum instituit. *Et de Seir ortus est nobis*, *apparuit de monte Pharan*. Deinde etiam universo populo nostro spectandum se præbuit in eremo, unde prospectus patet in montes Seir & Pharan: *Et cum eo Sanctorum myriades*. Plura scilicet Angelorum millia a dextris & sinistris ad obsequium ejus parata, quo die etiam legem nobis tradidit.

v. 3.

Et dilexit populos, vel tribus Israel significat, vel Deum omnes generatim populos diligere declarat, nihil enim eorum odit, quæ fecit. Quod ordinem spectat, Moyses reliquis tribubus anteposuit Rubenitas ob primogenituræ prærogativam: proxime sequitur tribus Juda, regia dignitate insignis: tertio loco succedit Levitica, sacerdotio venerabilis: quarto tribus Benjamin; & quinto tribus Joseph, utrique nimirum diversis licet temporibus obtigit honor principatus. Hoc habe, cur Moyses hic tribuum seriem & ordinem minime attenderit. Restat ut impertitas ab eo benedictiones pro nostra tenuitate exponamus.

Benjamin, ait, *amantissimus Domini in silentio conquiescet*. Exstasim innuit, quam Paulus Benjamini nepos passus est, Damascum petens: quando cœlesti visione a sensibus abstractus, obstupuit.

Act. 9. 6.

v. 12.

Et super eum incubabit tota die, & *inter humeros ejus morabitur*. Diem illam itidem designat, qua cœlestis vox Pauli aures pepulit, & spiritus mentem implevit, cœlique intelligibilis aspectu recreavit: ergo Moyses significat per incubationem & moram, quod illa Christi ad Ananiam de eodem Paulo verba: *Vas electionis est mihi iste*, *ut portet nomen meum in gentibus*. Rursum, quum situs, in quo Jerosolyma jacet, terram Benjamiticæ tribui attributam contingat, & jami-

Act. 9. 15.

[illegible]

A Christus ibidem crucifixus fuerit : idem recte dicitur tribui Benjamini incubuisse, & inter humeros ejus moratus eo , præsertim die , quo in monte Calvario pependit , & usque ad vesperam manus expansas incubantis in modum sustinuit.

v. 15. *Joseph quoque* , ait , *benedicta Domino terra ejus* , *in pomis de rore cœli*. Tropologice . Joseph designat Christum : terra a Domino benedicta ejusdem humanam naturam : poma de rore cœli, subjacens B abyssus , & fruges terræ in plenitudine ejus perfectam ejusdem scientiam rerum cœlestium , & quæ infra cœlum aut sub terra jacent. Rursus Joseph quemlibet justum repræsentat , cui Moyses bona precatur Dei, cujus notissimum symbolum est Sol, videlicet cognitionem, deinde creaturarum rerum, quas Luna & subjacens abyssus significant . His nectuntur C beatitudo animæ judicium sequutura , felicitas corporis, Justis communicanda in novissimo die , utramque adumbrant verba , quæ sequuntur : *De vertice montium Orientis* , *de pomis collium æternorum* , *&* *de frugibus terræ*, *&* *plenitudine ejus* .

v. 16. *Et bona voluntas ejus* , *qui requievit in Rubo* , idest omnes , quas dixi benedictiones eo propitio , *qui habitavit in Rubo* , *veniant super caput Joseph* , imo , *&* *super caput* D *coronæ fratrum ejus* .

v. 17. *Primogenitus tauri decor ejus* : De primogenitis namque sui armenti solvet decimas , & hostias offeret opimas quasi princeps, non quasi homo privatus , & unus de plebe .

Cornua Rhinocerotis cornua ejus , *in ipsis ventilabit gentes simul* . Quemadmodum enim Rhinoceros jugum non sustinet, sic Josephi filius Ephraim externi princi- E pis dominationem non feret . *Hæ sunt myriades Ephraim* , *&* *hæc sunt millia Manassis* . In Ephraimitis agnosce multitudinem gentium , quarum fides altius assurrexit, latiusque propagata est , quam Judæorum , quorum proinde typus inducitur Manasses.

v. 18. *Lætare Zabulon in exitu tuo* . Prænunciat futuram gentium lætitiam ac transitum a tenebris erroris & inscientiæ ad F lumen veritatis & summi boni cognitionem.

Et Issachar in tabernaculis tuis . Tropologice significat beatam Apostolorum in cœlestibus ædibus vitam , Christi nimirum discipulis parantur mansiones , quas nullus funestat luctus . *Populos ad montes vocabunt* , Apostoli & Prophetæ : horum enim excitæ tubis , ab imis peccati valli-

libus in montem intelligibilem gentes evaserunt.

v. 19. *Quoniam inundationem maris quasi lac sugent, & naves arena sepultas*. In eadem allegoria persistens prædicit Gentilium conversionem Apostolorum opera conficiendam. Enimvero quum gentes, peccandi consuetudine quasi pondere gravi pressæ, in luto hactenus hæsissent, nec inde exitus daretur, aut pateret via ad intelligibile mare, Apostoli utrumque præstiterunt. Tum vero illæ erectis ad spiritualem mercaturam animis, comparataque classe per altum vela fecerunt.

v. 20. *Benedictus, qui dilatavit Gad*, significat regnum Christi Apostolorum prædicatione fundandum; ac latissime propagandum.

Quasi leo accubuit, & contrivit brachium, & verticem: brachium appellat malorum spirituum catervas, verticem illorum caput & principem Diabolum, prædicitque utrosque a Christo conterendos.

v. 21. *Quia ibi abscondita est portio Doctoris*. Puta Moysis & aliorum Prophetarum ad manifestanda Christi mysteria delectorum.

v. 22. *Dan Catulus leonis lac suget ex Mathanain*, quæ & Batanæa regio, peccati & Inferni symbolum est. Catulus leonis est Christus, qui Judæos & Gentiles, quos hactenus in divina scientia infantes fuisse ostenderat, a peccato extraxit: continuo etiam Infernum subiit & exhausit, quando sanctorum animas indidem eduxit suavissime, tamquam si catuli lactentis in modum è matris uberibus lac sugeret.

v. 23. *Nephtali satur bona voluntate, & benedictione Domini plenus*. Nephtali omnes generatim homines cujusvis temporis repræsentat, qui Christi gratia & beneficiis adjuti perfectionem assequuti sunt. Christus enim est cœlestis Patris voluntas. *Occasum, & meridiem hæreditabit*. Hæreditas in Occasu est Christus moriens, de quo clamabat Propheta: *Laudem dicite ei, qui ascendit super Occasum, Dominus nomen illi*. (Psal. 67. 5.) Hæreditas in meridie est idem Christus in regno Sanctorum, locum honoris distribuens singulis convenientem.

v. 24. *Benedictus a filiis Aser*. Aser principem psallentium interpretor, præcentoris ergo munere fungebatur. *Tinget in oleo pedem suum*, oleum communicationem Sancti Spiritus designat. Pes, laboris in excolenda justitia, symbolum est.

Fer-

A ܦܪܙܠܐ ܘܢܚܫܐ ܡܣܐܢܟ. ܒܗܠܝܢ
ܠܡܣܩ̈ܦܘܬܐ ܘܠܡܣܝܒܪܢܘܬܐ
ܕܡܬܡܨܝܢܐ ܘܡܫܡܫܢܐ ܕܠܐ ܡܬܬܙܝܥܢܐ
ܢܚܘܐ.

ܫܡܥܘܢ ܕܝܢ ܠܐ ܐܬܒܪܟ
ܥܠ ܕܐܬܠܛ ܗܘܐ ܡܢ ܝܥܩܘܒ
ܐܒܘܗܝ ܥܠ ܩܛܠܐ ܕܫܟܝܡܝܐ
B ܘܒܬܝܒܘܬܐ. ܗܘ ܕܝܢ ܥܠ ܕܒܗܘܢ
ܗܘܐ. ܕܐܬܒܥܝ ܡܢܗܘܢ ܠܡܕܟܝܘܬܗ
ܦܘܚܡܐ ܐܘܣܦܘ ܡܣܩܘܗ̇ ܒܥܘܠܐ
ܚܕܬܐ ܕܒܫܡܥܘܢ ܘܐܬܒܪܟܐ
ܠܠܘܝܐ ܕܒܗܘܢ ܕܡܬܥܒܕܝܢ ܗܘܘ
ܥܡܗ ܐܦ ܒܨܘܒܥܐ. ܐܬܒܪܟ
ܕܝܢ ܥܠ ܗܘ ܕܥܒܕܘ ܗܘܐ ܥܠ ܥܓܠܐ.
C ܚܕܐ ܡܛܠ ܛܢܢܗ ܕܐܠܗܐ
ܘܩܛܠܘ ܠܐܚܝܗܘܢ ܥܠ ܕܣܓܕܘ
ܠܥܓܠܐ. ܘܬܘܒ ܡܛܠ ܛܢܢܗ
ܕܦܝܢܚܣ ܥܠ ܙܡܪܝ
ܕܚܪܒܐ ܒܪܘܡܚܐ ܥܠܝܗ ܒܪ
ܣܠܘ ܘܩܛܠܗ.

Ferrum , *&* *æs calceamentum tuum*. v. 25.
Plane oſtendit conſtantia & invicto animi robore pręditos eſſe oportere eos, qui ad amplificandam Dei gloriam ſeſe applicarunt.

Porro in communi Tribuum benedictione idcirco præteriti videntur Simeonitæ, quia a parente ſuo Jacob fuerunt maledicti ob Sichimitarum cædem. Quumque hujus criminis maculam pœnitentia eluere debuiſſent, eandem novo ſcelere exaggerarunt. Zamri namque filius Salu Simeonita fuit, cujus culpa factum eſt, ut vigintiquatuor millia Iſraëlitarum uno die trucidarentur, quotquot nimirum ille ſuo exemplo corruperat. Levitæ contra etſi eadem cum Simeonitis maledictione olim involuti fuiſſent, benedictionem tamen poſtmodum conſequuti ſunt, ſemel, quando divino zelo ſuccenſi, impios vituli cultores fratres ſuos occidere, non dubitarunt, & iterum quando Phinees, ſimili divinæ gloriæ ſtudio commotus, Zamri filium Salu ſtricto ferro invaſit & interfecit.

A

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI *IN JOSUE* EXPLANATIO.

CAP. I. v. 1.

E*T factum est, postquam mortuus est Moyses servus Domini, dixit Dominus ad Josue filium Nun ministrum Moysis.* Quo Josue se Moysis ministrum dixit, ostendit, quam demisse de se sentiret. Quorsum enim non alumnum, sed Moysis famulum se prædicaret, quando Deus illum Moysi coæquasse videbatur, dicens: *Sicuti fui cum Moyse, ita ero tecum?*

v. 2. *Surge, & transi Jordanem istum.* Quoniam flumen trajicientem populum cernis, contemplare in his aquis vitæ mortisque confinia, Gehennæ & regni, cœli & terræ: hæc nempe fixo limite discreta sunt, etsi se mutuo contingant. Simul recolito, sic statuisse Deum, ut quicumque mortales fluvium trajicere nolint, orientali, quam tenent, regione contenti, cœlesti hæreditate excidant; quibus vero alteram fluminis ripam occupare obtigerit, Angelorum societate consortioque potiantur. Rursus in Jordanis transmissione relege figuram baptismi, & Christi morientis transitum.

v. 3. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit.* Quasi dicat. Ne dubitetis cœptis insistere, & confidite virtuti & constantiæ meæ; ratum namque est, ditionem vestram longe lateque diffundere a deserto, in quo errastis, jugisque Libani, quæ cernitis, usque ad fluvium magnum Euphratem. Sed enimvero Hebræi, delatum in eam amplitudinem imperium occupare, minime curarunt usque ad tempora Davidis, cujus virtute demum ea etiam hæreditatis portio vindicata est, regionibus ad Euphratem positis in potestatem redactis.

v. 6. *Confortare, & esto robustus, tu enim sorte divides populo huic terram, quam juravi patribus eorum.* Confortare, inquit, nec enim ambigere potes, quin tibi præstiturus sim, quæ majoribus vestris Abramo ejusque nepotibus spopondi, firmata juramento fide. Vide tamen, ut in conditionibus & pactis maneas, quibus servatis, Moysi omnia consilio nutuque meo bene cesserunt.

Præ-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *Præparate vobis cibaria.* Quorsum viaticum quærerent, cœlo manna depluente & victum abunde subministrante? Nihilominus, quia post triduum Jordanem transgressuri erant, Josue præcepit, ut mature sibi de viatico providerent, quo divisi fluminis grande miraculum, otiosi spectarent. *v. 11.*

Rubenitis quoque, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse, ait, transite armati B *ante fratres vestros.* Hæc Josue ad Rubenitas & socios, non quo eorum auxiliis indigeret; sed ne dum citra Jordanem illi se continent, reliquis tribubus flumen trajicere paratis, animum imminuerent. *v. 12.*

CAP. II.

M*Isit igitur Josue de Settim duos viros exploratores ad urbem Jericho.* Haud dubium, quin gemini hi exploratores idcirco missi fuerint, ut in reditu animos C militum spe rei bene gerendæ implerent, renunciata Jerichuntinorum trepidatione; arbitror tamen illos pro salute Rahab meretricis præcipue certaque Dei voluntate destinatos fuisse. Interim considera in eo loco, unde exploratores dimissi, primi Jordanem trajecerunt, mores veteris conversationis, a quibus vetus homo a Christo deductus fuit, vadaque spiritualis Jordanis ingredi jussus est. *v. 1.*

D *Rahab autem fecit ascendere viros in solarium domus suæ, operuitque eos stipula lini.* Tale mulieris factum umbra fuit conversionis gentium, quas divina bonitas velut demessos ex gentilitatis agro manipulos collegit, & mirabili consilio in summo loco, quem Dei ecclesia tenet, composuit. Quod autem legis, exploratores sub illa stipula delituisse, significat, apud ecclesiam, ex gentibus collectam, E quærendos esse divinorum mysteriorum interpretes, & sacræ doctrinæ sensum. *v. 6.*

Novi, quod Dominus tradiderit vobis terram, etenim irruit terror vester, & elanguerunt habitatores terræ hujus. Quasi dicat. Equidem non ignoro, ut terram, quam habitamus, ad vos pertinere jam cœperit ante annos quadraginta, etsi eam hucusque tenere nobis concessum fuit, dum spes aliqua pœnitentiæ fulsit. Quoniam F vero hanc quoque sublatam video, non dubito, quin parva manus vestrorum hominum, modo rem serio agere velint, universam Chananæorum ditionem subactura sit: usque adeo perspectum est, Deo vestro cœlum, terram, inferos superosque ad nutum parere, ex quo Egyptios quidem emissa coelo grandine flagellavit, mixto- *v. 9.*

toque imbribus igne combussit; maris vero freta discidit, undisque cedentibus, viam vestris tribubus patefecit.

v. 9. *Nunc ergo jurate mihi per Dominum.* Per Dominum, ait, non per Jerichuntinorum Deos, quamquam ipsa hactenus eos coluerim. Ita per Dominum jurate, mutuam vos mihi relaturos gratiam; æquum enim est, ut qui mea opera Chananæorum manus evasistis, me vicissim, in vestram potestatem quandoque venturam, salvam esse velitis.

v. 15. *Demisitque eos per funem de fenestra.* Prudens feminæ in dimittendis exploratoribus consilium sapientis animæ prudentiam declarat, quum, dissipata errorum caligine, divinæ legis doctores avide suscipit, sique eos discedere quandoque necesse sit, caute dimittit ad Deum, orat, ut redeant, expectat redituros sequaci cura.

Domus enim ejus hærebat muro. Christi quippe Ecclesia alto & immobili muro innititur.

v. 21. *Appendit funiculum coccineum in fenestra.* Vitta appensa Christus est crucifixus, *qui stat in signum populorum*, purpura ejusdem sanguinem pro nobis effundendum adumbrabat. Rahab Josuæ missos per fenestram demittens, Damascenæ Christi Ecclesiæ figura fuit, Paulum Apostolum per fenestram in sporta demittentis.

Es. 11. 10.

Item *appendit funiculum coccineum in fenestra.* Quo appenso Rahab secura ruinam murorum opperiebatur: hac scilicet securitate fruetur quisquis in crucem crediderit, quum solutis compagibus fractus orbis dissiliet.

CAP. III. v. 3. QUando *videritis arcam Domini Dei vestri, & Sacerdotes portantes arcam.* Quoniam hactenus nubes & columna ignis viam per deserta errantibus monstraverant; hisce modo deficientibus, arcam imposterum ducem sequi, jubetur populus, certo tamen interposito spatio, id erat bis mille cubitorum. Tropologice ostendit, remotissimam esse, non modo ab humanis sensibus, verum etiam a quavis creatæ mentis intelligentia comprehensionem illius, qui dicitur nobiscum Deus. Quo porro definit: duorum millium cubitorum intercapedinem interesse oportere: admonet cavendum tum maxime ab investigatione, duorum arcanorum, quæ in Christo penitus latent, sempiterna videlicet ejus generatio, & temporalis in carne adventus.

In-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *Ingressisque Jordanem Sacerdotibus portantibus arcam Domini : steterunt aquæ.* Id est. Etsi Jordanes eo tempore maxime excrevisset, nihilominus simul ac Sacerdotum arcam portantium pedes attigerunt aquas, diffissæ sunt; sic porro, ut inferioribus ad mare solitudinis decurrentibus, superiores, fontique propiores retrocedentes siccum alveum reliquerint. Quorsum autem factum est, ut aquæ a loco B longissimo discederent, fortasse ut exercitus eo alacrior viam invaderet. Dum autem Jordanis aquas bifariam divisas audis, cogita supremam illam piorum impiorumque separationem : quando Domino in terras redeunte, credentes a non credentibus, peccatores a justis segregabuntur. Quæ ergo superiores aquæ dicuntur designant, cœlitum ordines Christum è cœlo descendentem sequuturos, judiciique C futuros testes, in quo, dispositis bipertito sortibus, Judex impios mittet in tartara, & suis sanctis æternum cœlestis hæreditatis regnum tradet. Quo autem filii Israel decretam sibi hæreditatem adituri, prius Jordanem siccare parant, monent populum sanctorum, qui ad æternam hæreditatem aspirat, oportere primum, laxata lascivienti naturæ concupiscentiæ fræna contrahere. — v. 15.

D *Sacerdotes, qui portabant arcam, stabant in medio Jordanis.* Arca alias viæ dux modo Jordanis alveum invecta, suppresso gradu, populo prætereunte, constitit, ut sua præsentia transeuntes animaret, timidam præsertim feminarum ac puerorum turbam, quum ambigere non possent, ut aquæ perpetuo suspensæ manerent, modo arca contra staret. — v. 17.

E CAP. IV. v. 1.

Dixit Dominus ad Josue : præcipe eis, ut tollant lapides de medio Jordanis : Jubet lapides ex alveo fluminis colligi, & in conspicuum aggerem componi, futurum posteris perenne monumentum divisi Jordanis, & mirabilis Hebræorum in Chananitidem ingressus.

v. 19. *Ascendit autem populus de Jordane decimo die mensis primi anno ab exitu quadragesimo primo :* F Decernitur decimus dies, quartodecimo pascha celebraturis : mensis primus, maturas jam fruges colligere simul satagentibus, simul parantibus bellum.

CAP. V. v. 1.

Fac tibi cultros lapideos, & circumcide secundo filios Israel, quicumque in deserto nati fuerunt : quibus utique fraudi non fuit, eo signo caruisse, quin illam mor-

mortalitatem evaderent, quæ sexcenta hominum millia in solitudine absumsit. Quidnam porro libuit adhibere lapideos cultros? Fortasse quia ea materia magis obvia tunc erat, vel quia vulnus ejusmodi instrumento inflictum minus cruciaret, & facilius cicatricem obduceret, vel quia Josue, subjecta oculis lapidum specie, exprobrare populo volebat cordis duritiem, simulque monere, ut imposterum corrigeret, unaque cum circumcisa carne deponeret: quare sanguis etiam fundendus fuit, ut præter externam cutis, internam cordis circumcisionem, sibi vel maxime necessariam esse, intelligeret. Nisi forte dicas, eam circumcisionem pœnam etiam fuisse, & Josue castigare voluisse majorum præsertim culpam, quod non sine legis injuria præputium tandiu tulissent, aut quod vero propius est, legis illum exigere voluisse observantiam: quam turpe erat, juvenes & ad arma portanda jam idoneos palam negligere. Nec mysterio vacare putes illa verba: *Circumcide filios Israel secundo*: significare volebat alteram carnis depositionem oppido præstantiorem, aqua & spiritu perficiendam. Post circumcisionem pascha filii Israel celebrant, tostas aristas & panes azymos comedunt: peracto jam paschate, manna defecisse dicitur; duravit ergo usque ad ejus festi finem. Interim observa quam bene populo in ipso introitu proponatur terræ promissæ ubertas maturis jam frugibus, & anni tempestate amœnissima: ne sicut majores allia & cepas mannæ prætulerant, isti minores solum feracissimum & uberrimum Dei munere adepti, largitoris liberalitatem aspernarentur.

Et

[illegible]

[illegible]

[illegible]

v. 13. *Et vidit Josue virum evaginatum tenentem gladium*. Homo videbatur, Angelus erat: exertum ensem gerebat: ideo populus illum non vidit, ne timeret: vidit Josue ne ignoraret, qualem quantumque militiæ præfectum haberet, quove duce præsens bellum capesseret, quamquam credibile est facti notitiam, ipso etiam Josue narrante, ad populum continuo manasse.

[illegible]

Severi Antiocheni. Baptismi figura fuit circumcisio: præputium illa amputabat carnis, hic animæ, abundantiam scilicet malitiæ: nam & Jesus filius Nun figuram gerebat veri Jesu. Ille itaque postquam per obitum Moysis principatum adeptus est, & populi factus dux, eundem in terram promissionis introduxit, atque Jordanem trajecit. Circumcidit cultris petrinis filios eorum, qui ex Ægypto egressi fuerant; quoniam populus ille universus, qui ex Ægypto fuerat traductus, periit in deserto. Jam considera mysterii utriusque analogiam, mutuamque rerum gestarum habitudinem. Quid enim est, quod per annos quadraginta Ducatus Moysis incircumcisi mansere filii eorum, quos ipse ex Ægypto eduxerat? Non hoc sine causa factum credo, sed ut hinc occasio manifestandi alicujus arcani peteretur. Quid? quod etsi diserte lex præciperet: *Omnis, qui non circumciderit carnem præputii sui post octo dies, peribit anima illa*: attamen neque ipse Josue, qui Moysi successerat, antequam trajicerent Jordanem, illos circumcidit, sed postquam trajecerunt, & quidem cultris lapideis. Mysterium ergo agebatur, quo scilicet manifestum fieret, illum, qui Jordanem transmisisset, dignum effectum lavacro regenerationis, cultro petrino circumcidi, idest per Christum, qui est vera petra. Tradunt Josuam cultros, quibus filios Israel circumciderat, in suum sepulcrum recondi jussisse: quod si fecit, facto docuit, illos, qui in nomine Jesu veri Dei baptizantur, eo circumcidi baptismo, qui Christi morte perficiebatur. Interea quemadmodum nos post baptismum & divinum lavacrum ad mysticam mensam vocamur, atque panem illum cœlestem manducamus; sic etiam Jesus ille, imago futuri, post Jordanis transitum & circumcisionem, panibus terræ promissionis pavit eos, qui circumcisi fuerant, quando Pascha celebravit. Item quemadmodum verus Jesus & Deus verus, postquam manducavit Pascha cum discipulis suis, & legem implevit, panem istum eucharisticum & calicem benedixit, simul Pascha legale solvit, & sacrificium istud novum & intelligibile instituit; sic etiam Jesus ille filius Nun, velut in figura & designatione, in azymis panibus, ex novo tritico confectis, pascha peregit, & vetus illa esca, manna, continuo cessavit: eodem quippe die manna defecisse, Scriptura testatur.

CAP. VI. v. 3.

Ircuite urbem Jericho sex diebus, semel per diem, septimo autem die septies. Fecit populus quod imperatum fuerat primo atque altero die & deinceps usque ad sextum, oppidanis ad insuetatam oppugnationem neutiquam trepidantibus, & sequenti die ob sabbati religionem cessaturam arbitrantibus. Sed contra accidit, Israëlitis sabbatum in primo illo bello solventibus: id autem ideo factum, ne Jerichuntini Hebræos vacantes opprimerent; secundo, ut præposteram religionem cavere discerent sui, & externi divina lege abuti non possent, ut præsumta Hebræorum vacatione putarent inermes & imparatos facile posse superari.

v. 26.

Maledictus vir, qui ædificaverit civitatem Jericho. Hanc Josue sententiam pronunciavit hodie in hominem post plura sæcula nasciturum. At quænam tam diræ execrationis causa? Prima, quia Jerichuntini Jordanem divisum fuisset oculis ad multas horas spectaverant, nec ideo arma posuerunt, manifestum tanto miraculo Dei numen reveriti. Secunda, quia septies admoniti, Deum monentem, & judicium in multos dies consulto deducentem contemserunt, nec pœnitentiam egerunt. Et quoniam Josue civitatem anathemati subjectam in perpetuum manere volebat, reparatori, quicumque porro ille futurus esset, maledixit, prædixitque reparationem etiam liberis ejusdem exitialem fore, filiorum periculo parentes terrens. Nihilominus reædificare Jericho ausus est longo licet post tempore Hiel, qui prædictionem Josue & contemsit, & implevit.

3. Reg. 16. 35

CAP. VII. v. 1.

ET abstulit Achar filius Charmi filii Zabdi filii Zare ex Tribu Juda de anathemate. Impius iste fur mundi sequaces repræsentat: sunt plerique homines, qui opes, voluptatesque hujus vitæ cœca cupiditate consectantur, nec pervident talia bona minima esse, brevique interitura, & ad interitum suos secum amatores pertractura. Cæterum Achar eam in hac historia gerit personam, quam in parabola servus ille piger, qui acceptum talentum fossa humo operuit, ambo sub terra quæsivere, quo perirent.

v. 29.

Dixitque ad eum Josue, quia conturbasti nos, conturbet te Dominus in die ista. Lapidatus est Achar, uxor liberique eodem supplicio affecti, quod rem domi gestam dissimulare maluerunt, quum indicare debuissent

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A buissent. Greges & armenta, & cunctaque illius erant, igne consumta, ut patefactus eo furto ad malitiam aditus, severæ punitionis metu occluderetur. Quorsum autem ejus armenta, greges, & cætera in publicum proferuntur? Recte quidem, ut populus visa viri opulentia intelligeret, illum ad anathematis violationem non inopiam, sed cupiditatem impulisse, quo perspecto in hominem impiæ B avaritiæ eo vehementiore ira excandesceret.

CAP. VIII. v. 1. *Ponite insidias post civitatem Hai, nec longius recedetis*. Non quo Josue eo stratagemate indigeret, sed ut aliquod sociis traderet militaris artis rudimentum.

v. 18. *Et dixit Dominus ad Josue: leva lanceam, quæ in manu tua est, contra urbem* C *Hai*. Tum ad indicium iis, quos in insidiis collocaverat, ut dato signo statim erumperent, & oppidum invaderent: tum ad mysterium: eandem quippe Josue hic repetit cœremoniam, qua Moyses olim usus fuerat, quum ipse Josue Amalecitas cæderet. Quare subdit Scriptura Josuam non contraxisse manum, nec lanceam demisisse, nisi succensa urbe cæsisque cunctis habitatoribus: quod quidem Moysen pari- D ter fecisse Scriptura testatur.

v. 29. *Regem quoque Hai suspendit in patibulo usque ad solis occasum. Præcepitque Josue, & deposuerunt cadaver ejus de ligno*. Id enim caverat Moyses: *Quando peccaverit homo, quod morte plectendum est, & adjudicatus morti appensus fuerit in patibulo; non permanebit cadaver ejus in ligno; quia maledictus a Deo est, qui pendet ex ligno*. (Deut. 21. 13.) Hanc ergo maledictionem suscepit E Christus, quum in cruce pro nobis mori voluit: non quod patibulo dignum crimen, etsi id lex exigebat, commisisset; sed quod Judæi contra legis præscriptum eo supplicii genere illum a populo gentili occidi petierunt. At enimvero Christus, quod Judæi cogitarunt malum, in bonum convertens, maledictionem nobis ob prævaricationem legis debitam, indebita maledictione dissolvit.

v. 30. F *Tunc ædificavit Josue altare Domino in monte Gebal ex lapidibus impolitis, quos non tetigerat ferrum, & obtulit holocausta, & immolavit victimas pacificas, juxta præceptum Moysis*. Etsi non ad hunc primario finem erectum fuerit altare, sed ut in ejus lapidibus incideretur Deutoronomium legis. Nota bis legem fuisse in lapide ex-

exaratam, & primum ſcriptum in arcam fuiſſe reconditum, ſecundum in monte cuivis legenti expoſitum, quod duplicem divinæ legis promulgationem innuit, alteram Judæis privatim factam, alteram per univerſum orbem cunctis proinde gentibus patentem & publicam. In eodem monte juſſit Joſue audiente populo a Sacerdotibus fieri repetitionem legis & benedictionum atque maledictionum catalogum alta voce recitari: id enim Moyſes præceperat. Primum, ne populus legis ignorantiam prætexeret. Secundum, ne ejuſdem obſervantiam inutilem putaret, aut tranſgreſſionem non admodum nocituram: pœnas proinde graviſſimas adjecit, propoſuitque ampliſſima præmia, ſpe ſimul & metu legem communiens. Eadem lapidibus inciditur, ut intelligatur perpetuo duratura, nec enim jota unum, aut unus apex præteribit a lege, *donec omnia fiant*. (Matth. 5. 18.)

CAP. IX. v. 3.

At qui habitabant in Gabaon callide cogitantes proſpexerunt ſibi de viatico, & ſaccos veteres aſinis imponentes, & utres obſoletos, & ſciſſos: calceamenta etiam erant aſſumentis conſuta: indutique veteribus veſtimentis perrexerunt ad Joſue. Interim dum aliæ Chananitidis nationes bellum parant, Gabaonitæ Jerichuntinorum & Hajenſium infortunio cautiores effecti, prudens conſilium inierunt. Et quoniam audierant Iſraëlitis a Moyſe prohibitam cum Chananæis pacem, permiſſam tamen cum aliis populis circa Euphratem longe diſſitis, modo tributa penderent, ipſiſque vectigales fierent; tales ſe eſſe ſimularunt, aſſumtaque peregrini habitus ſpecie, fictaque longiſſimi itineris ſtropha, eo induxere Joſue & Iſraëlitarum principes, ut ſibi ſuiſque ſecuritatem jurarent.

v. 17.

Moveruntque caſtra filii Iſrael, & venerunt in civitates eorum die tertio, & non percuſſerunt eos, murmuravitque vulgus contra principes: quod Gabaonitas ſervaſſent, quos cum cæteris Chananæis internecione deleri Moyſes præceperat. Contradicebant principes, pactamque Gabaonitis ſecuritatem juramenti religione tuebantur. Compoſuit litem Joſue ſic, ut Gabaonitas, quos ſecum vivere nolebant, ad ſpeciem gravare & maledictioni ſubjicere videretur, reipſa honeſtaret: quo enim illos obligavit ad cædenda ligna & aquam comportandam in domum Domini, ſacerdotibus & miniſtris templi ſociavit.

Et

[illegible]

A

Et habitatores Gabaon miserunt ad Josue, & dixerunt ei: ne retrahas manus tuas a servis tuis. Obsederant Chananæi urbem Gabaon, succurrit obsessis Josue, & conserto prælio obsessores fugavit; fugientes intercepit lapidum cœlo ruentium procella: *Et mortui sunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percusserunt filii Israel.*

CAP. X. v. 6.

B

Tunc loquutus est Josue Domino in conspectu filiorum Israel. Sol quiesce in Gabaon, & Luna in valle Ajalon, & quievit Sol, & Luna stetit, videntibus victoribus atque victis; ut isti planetarum cultum dediscerent, & illi talia numina colentium errorem caverent.

v. 12.

Ecce hoc scriptum est in libro Canticorum: quid? num id est, quod legitur? *Sol & Luna steterunt in habitaculis suis.* Steterunt, inquam, Deo utriusque inhibente motum, Sol quidem supra Gabaon, Luna vero contra vallem Ajalon. Jam ex Josue verbis duo colliges, primum ambo ista lumina proprio motu prædita esse: secundum, illis stantibus, simul stetisse cœlum; alioquin qui Solem stare jubebat, rapidam quoque cœli conversionem cessare jussisset. Et sane si geminum illud astrum, quum per se immobile esset, cœli motu tunc agebatur, cœlo utique imperanda fuisset quies: nam si hoc eodem tempore motum diurnum continuasset, Solem Lunamque inde, ubi Josue fixos manere volebat, propria conversione in Occasum rapuisset. Josue Chananæos debellaturus duos in unum compegit dies: figuram Christi prætulit, quando moriendo, mortem victurus, diem in biduum produxit.

v. 13. Hab. 3. 11.

C

D

E

Nec ullus offendit quempiam de filiis Israel lingua sua. Mirum sane fuit nullum ex Israëlitis cecidisse in atrocissimo prælio, in quo Reges quinque cum omnibus copiis victi & ad internecionem cæsi sunt. Scilicet Israëlitæ, qui non ita pridem a Deo ob anathematis prævaricationem deserti, ab Hajensibus turpiter victi fugatique fuerant, sex & triginta suorum amissis, nunc Deo obedientes ingentem exercitum potentissimorum in Chananitide Regum adeo feliciter profligarunt, ut ne verbo quidem quispiam illorum offendi potuerit, hostium nemine contra eos mutire auso.

v. 21.

F

Percussit itaque Josue Chananæorum ditionem a Lachis usque ad Eglon, & a Recem Ganæ usque ad Gazam, & universam terram Gosen. Reges interfecit, incolas de-

v. 40.

delevit, urbes & agros occupavit: contrahit hic Scriptura in compendium bene multa, quæ Josue a cœpto Chananitico bello per plures annos gessit, recensetque summatim regiones & loca ab eo capta & eversa. Ita tamen, ut reliquis Chananitidis populis internecione deletis, Gabaonitis parceret, ad perpetuam templi servitutem eos obligasse contentus.

CAP. XI. v. 1.

Quæ quum audisset Jabin Rex Asor, misit ad Jobab Regem Maron &c. Adeo nimirum Chananæorum Reges suæ religionis augures & divini vana victoriæ spe cœcaverant, ut nusquam intellexerint justum Dei judicium, quo fiebat, ut ipsimet bella quærerent, unde male perirent. Enimvero cœcos esse oportebat, qui manus ultro dare noluerunt Deo, cui omnia ad nutum parere jam ignorare non poterant. Mare quippe non ita pridem Israëlitis patefecerat, & Pharaonem eos insequentem fluctibus submerserat; magnis post cladibus attriverat Amalecitas & Amorrhæos, & nuper, ipsis spectantibus, Jordanem siccaverat, atque Jerichuntinorum urbem succussis subversisque mœnibus nudaverat: & quod sane maximum idemque recentissimum erat, Solis Lunæque cursum inhibuerat, quos tamen Chananæi ex prisca majorum superstitione magnos Deos appellabant, sibique omnia esse gloriabantur.

v. 20.

Nec quispiam pro eis intercederet. Domini, inquit, sententia fuerat, ut omnes Chananæi perirent, nec ullam quispiam pereuntibus misericordiam exhiberet. Josue itaque uno impetu, & continua excursione universas ferme Chananitidis civitates, paucis munitioribus exceptis, ut dictum est, expugnavit. Post hæc movit contra gigantes montium Judææ habitatores. Hos inter armorum strepitus otiosis esse licuit Gazensibus, Azotiis, Gethæis, aliisque Palæstinæ populis, fortasse in gratiam antiqui illius Abimelechi Palæstini Regis, & Phicholis militiæ ejus principis, quibuscum olim Abraham amicitiæ societatisque fœdus inierat: vel potius, ut juxta Domini sententiam Israëlitæ adversarios haberent, quorum perpetua infestatione illorum dubia fides probaretur, sicque manifesti fierent, qui vere Deo adhærerent, quive ab illo facile averti se sinerent.

[illegible]

A

Hi sunt Reges, quos percusserunt filii Israel, Rex Jericho, Rex Hai, Rex Jerusalem &c. Mirum sane, ut, quum Josue & filii Israel triginta fortasse per annos Chananæorum conversionem procurare institerint, conversi tamen ii non sint. Et quoniam longa peccandi consuetudine obsurduerant, & ea, quæ monebantur, non audiebant; utique non immeriti perierunt, B Deo illorum scelera æquissimo judicio vindicante.

CAP. XII. v. 1.

[illegible]

Josue senex provectæque ætatis erat. Nec hactenus totam Chananitidem subegerat: sed nec Israëlitæ in eum numerum succreverant, ut ad occupandam excolendamque universam terram promissam sufficerent; quando illum jam defectum annis, desertumque viribus Deus mortalis C vitæ ærumnis eripere se velle significavit, ante pollicitus Chananæorum reliquias se persequuturum. Porro longe ante obitum Josue, & ineunte cum Chananæis bello in ea, quæ Rubenitis obtigerat sorte Balaam Ariolus ab Israëlitis, Sehonis ditiones devastantibus, captus & interfectus fuit.

CAP. XIII. v. 1.

Qui habitant ad Orientem sub monte Hermon supra Hemath. Hebraicum *Ma-* D *serephot* stagnum significat aquarum calidarum, cui synonymum videtur *Hemath*, in Sidoniensi agro positum, quousque fugientem Jabini Regis Asor, Regumque sociorum exercitum insequutos fuisse Israëlitas, Scriptura memorat.

v. 6.

Sup. 11. 18.

Divisitque Josue dimidiam partem Galaad, & Astaroth, & Edrai &c Et dimidiam partem terræ filiorum Ammon Rubenitis, & Gaditis, & dimidiæ tribui Manasse. E Sic intelligendum est, ut hæc oppida non Ammonitis erepta fuerint, & Israëlitis attributa, id enim ipsis diserte vetitum fuerat: sed jure belli a Sehone Amorrhæo Rege Hesebon olim occupata, & huic postmodum erepta, Gaditis tandem in sortem cesserint.

v. 31.

Deut. 2. 19.

[illegible]

Loquutusque est Caleb filius Jephone Ce- F *nezæus ad Josue: tu nosti, quod loquutus sit Dominus ad Moysen.* Videlicet me unum, & te ingressuros in terram promissam, ejusque possessionem adituros, reliquis exclusis, qui in hanc ipsam spem Ægyptum nobiscum reliquerant.

CAP. XIV. v. 6.

Nunciavique Moysi, quod mihi verum videbatur; quemadmodum erat in corde meo. Quam-

[illegible]

Quamquam aliud dicere suaderet populi metus, quem socii exploratores contraria nunciantes, ad defectionem rebellionemque incitaverant.

Juravitque Moyses in illa die dicens: terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua, & filiorum tuorum in æternum. Id porro ex parte impletum fuisse vides, ex quo terram promissam intravi, annis quidem non item viribus defectus: quinque quadraginta namque anni fluxere, ex quo hic sermo a Domino factus est, mihique octogesimus quintus annus jam agitur, nec tamen ætati succubuere vires, ut militiæ onera satis commode ferre non valeant. Ille scilicet, cujus numine Moysi constitit acies sensuum & auctus infuso lumine nitor vultus, idem mihi integram corporis valetudinem sua benedictione conservavit hucusque.

v. 12. *Da ergo mihi montem istum*: hunc enim pollicitus est mihi Dominus te audiente, dicens: *Terra, quam calcavit pes tuus, erit possessio tua.* Sed etsi eam in præsenti obtineant gigantes viri fortissimi, oppidaque, & arces validissimis propugnaculis communierint; equidem non dubito, ut Deus, modo tu mihi illam cesseris, præstiturus sit quæcumque mihi spopondit eo die, quo ambo explorata Chananitide in castra revertimus.

v. 13. *Tradiditque Josue Caleb filio Jephone civitatem Arbe, ipsa est Hebron.* Sic extra omnem sortem Calebo adscriptæ fuerunt Gigantum urbes opulentissimæ & munitissimæ arces, ipsomet Calebo traditam sibi hæreditatem armis postea vindicante; quo bello tres gigantes Hebrone habitantes cecidisse, narratur Cap. seq. v. 14. Adeo populus ille, qui imbelles urbis Hai habitatores dudum fugerat, modo Hebronem oppidum munitissimum & a gigantibus defensum, invadere non timuit, potuitque expugnare. Quo magis mirere filiorum Juda ignaviam, qui Jerosolymis incubantes, Jebusæos oppugnare ausi non sunt, etiam postquam Rex Jebus, quæ & Jerusalem, a Josue victus, & interfectus fuit, nec non Ephraimitarum, qui Gadarenos excindere noluerunt, eosdem vectigales sibi fecisse contenti, quamquam & hoc aliarum tribuum peccatum fuit.

CAP. XV. v. 16. DIxitque Caleb: *qui percusserit Cariath-Sepher, dabo ei Axam filiam meam*

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *meam uxorem*. Obtigere hæ nuptiæ Othonieli filio Cenez, fratri Calebi juniori, qui eam urbem expugnavit, & a socero prærerea accepisse hic narratur campum irriguum superiorem & inferiorem. Qui in sortitione terræ promissæ concessa sibi oppida obtinuere & proprias sedes, præfiguravisse visi sunt eos, qui Christi præceptis & gratia ad celsitudinem divinarum mansionum, & ad perfectionem contemplationis Seraphim propriam provehi B meruerunt.

Hæc est possessio filiorum Juda... Bersabee, & vici, & villæ ejus, ideſt Bersabee urbs & vici ejus: ubi versionis Syriacæ auctores, quod vocabulum Hebraicum Biziotheah non intelligerent, rati esse proprium oppidi nomen, Beziotheh verterunt. Vides in sortitione terræ ptomissæ aliis quidem celebres urbes obvenisse, C aliis vero exigua oppidula & castella, quibusdam villulas dumtaxat & parvos pagos. Hæc nempe in figura contingebant illis, & varios Electorum gradus adumbrabant. Qui ergo urbes nacti sunt, supremum Sanctorum ordinem repræsentant, qui summum in divina contemplatione gradum adepti sunt, Seraphim & Trhonorum similes, infra quos locum obtinent Virtutes, Potestates, & Domina- D tiones, quique homines illarum perfectionem & gloriam consequuti sunt; horum ergo figuram exhibent oppidorum castellorumque habitatores: pagorum proinde incolæ infimum contemplantium ordinem exprimunt, puta Archangelorum & Angelorum. Et prima quidem sors filiorum Juda extulit oppida quindecim: secunda quatuor & viginti, attento majore numero familiarum, & sic reliquæ sortes. Ita E monemur, æternam hæreditatem pro bonorum operum numero, & laborum mensura singulis fore dividendam.

v. 28.

CAP. XVIII. v. 1.

CONgregatique sunt omnes filii Israel in Silo, ibique fixerunt tabernaculum temporis. Hinc missi a Josue geometræ & agrimensores reliqua terræ promissæ loca descripserunt, quæ Josue resumta, quam antea inchoaverat, sortitione septem tri- F bubus divisit in Silo coram Domino.

CAP. XIX. v. 50.

JOsuæ dedere filii Israel, quam postulaverat, urbem Thamnat Sdraam in monte Ephraim, *& ædificavit civitatem, & habitavit in ea*.

CAP. XX. v. 2. *SEparate urbes fugitivorum* . Hoc tempore Josue urbes refugii designavit, ad quas profugere integrum esset illis, qui casu, & citra noxam, hominis cædem fecissent: his porro, intercedente morte summi Sacerdotis, redire licebat ad suos, ab aliorum vi ac furore jam securis.

v. 7. *Decreveruntque Recem in Galilæa in monte Nephtali, & Sichem in monte Ephraim, & Cariath Arbe: Trans Jordanem contra orientalem plagam Iericho statuerunt Bosor, quæ sita est in planitie de tribu Ruben, & Ramoth in Galaad de tribu Gad, & Gaulon in Mathanain de tribu Manasse*. Hæ sunt urbes, ad quas velut in asylum, confugere debebat, qui casu homicidium commisisset.

CAP. XXI. v. 1. *ACcesserunt principes familiarum Levi*. Nam & his ex Dei destinatione assignandæ erant ad habitandum urbes, & suburbana pascua ad alenda pecora. Utrumque præstitit optima fide Josue. Hinc distributi per omnes tribus Levitæ habitarunt in medio fratrum suorum, distinctis tamen sedibus & contuberniis: ubi delineatam habes imaginem Ecclesiarum & Monasteriorum, qualia in præsenti cernis, in media quidem hominum frequentia posita, ab omnium tamen ædibus & consuetudine divisa. Alterum rursus in partitione terræ promissæ mysterium occurret, consideranti habitam in eadem personarum rationem. Hinc enim facile intelliget, in illa pariter terra mitibus promissa & spiritualibus tribubus dividenda, distinctos Electorum gradus, & alios quidem futuros velut populi principes, alios patres familiarum, & alios quasi optimates & proceres.

v. 41. *Deditque Dominus Deus filiis Israel omnem terram, & possederunt illam, atque habitaverunt in ea: nec unum quidem verbum ex omnibus bonis verbis, quæ loquutus est, irritum fecit.... dataque ab eo pax in omnes per circuitum nationes*. Pax Israëlitis singulari Dei beneficio constituta aptissime explicat futuram Sanctorum in cœlo pacem, quando Christus fideles suos, ex variis populis congregatos, & in beatas illas mansiones introductos, Apostolis & Prophetis suisque Doctoribus sociabit, & bellum excipiet sempiterna pax & securitas.

[illegible]

A

[illegible]

CAP. XXII. v. 1.

Eodem tempore vocavit Josue Rubenitas, & Gaditas, & dimidiam tribum Manasse &c. Merito laudavit Josue Rubenitarum & sociorum fidem, quod juxta iteratas promissiones fratres suos in vendicanda propria hæreditate fortiter constanterque adjuvissent. Illisque bona & fausta precatus, ad suas trans Jordanem regiones remisit.

B

v. 13.

Miserunt ad illos in terram Galaad Phinees filium Eleazari sacerdotis, & decem principes cum eo, singulos de singulis tribubus &c. Altare ædificaverant Rubenitæ ad ripas Jordanis; ea novitate perturbati reliqui Israelitæ, allegarunt decem principes cum Phinee sacerdote, qui publico nomine illos, quasi paternæ religionis desertores, redarguerent. Excusarunt isti factum: quod, ajebant, videtis, altare, C ædificatum a nobis est, non quo in eo sacrificare cogitemus, sed quod velimus extare posteris monumentum, unde certiores fiant, majores quidem suos immolatis in legitimo altari victimis Dei majestatem & numen testari solitos fuisse: ad hanc porro aram confirmasse illud ipsum testimonium, non utique conspicuo cæsorum animalium cultu, sed certe proprio spiritualem offerentes hostiam.

D

[illegible]

CAP. XXIV. v. 25.

Percussit ergo Josue in die illo fœdus, & proposuit populo. Quodnam? illud utique, quod congregatæ in Sichem universæ tribus jurejurando pepigerant, dicentes: *Serviamus Domino.*

v. 26.

Scripsit autem Josue omnia verba hæc in volumine, & tulit lapidem pergrandem, posuitque eum in Sanctuario Domini, dicens: en lapis iste erit vobis in testimonium, quod E *audierit verba Domini, quæ loquutus est vobis; ne postea negare velitis & mentiri Domino Deo vestro in omnibus, quæ ego loquutus sum coram eo hodie.* Lapis prægrandis, qui a Josue subter Terebinthum in tabernaculo statuitur, diciturque audivisse omnia verba, quæ Deus per interpretem suum Josuam fuerat loquutus, Simonis Petri figura fuit: hic enim præcepta, quæ Christus tradidit, audivit, & miraculorum, quæ F fecit, testis fuit: & utraque postmodum, communicato cum reliquis Apostolis labore, ad universas per orbem nationes divulgavit.

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAIM SYRI
IN LIBRUM JUDICUM EXPLANATIO.

CAP. I.

Animadvertendum est, Syros plerosque circa titulum hujus libri egregie hallucinatos fuisse: nam duo vocabula *Sabtæ*, & *Sophtæ* synonima esse arbitrati, præsenti volumine historiam duodecim tribuum contineri putarunt. Errare eos plane convincit literarum discrimen, quibus utrumque vocabulum communiter effertur & scribitur. Nam *Sabtæ* quidem, quod Tribus significat, litera Beth scribimus: *Sophtæ Judices*, quibus proprie liber inscribitur, litera Phe. Hoc ergo Sophtæ, vel Sophetæ, legendum est: illud Sabtæ. Judicum enim gesta complectitur, quotquot ab obitu Josue usque ad Samsonem populo Dei deinceps præfuerunt, qui etiam Salvatores appellati sunt, ob partam popularibus suis salutem, & vindicatam ab externorum Principum servitute libertatem.

v. 2. *Dixitque Dominus: Judas ascendet*. Judæorum quippe tribui adjudicatus fuerat principatus in benedictionibus patriarchæ Jacob. Inde factum, ut qui populo Dei postmodum dati sunt Duces, ac Reges, plerique ex ea tribu delecti fuerint; Judæ namque propago fuit David, cujus de stirpe Christus pro nobis moriturus, secundum carnem, nasci voluit.

Et dixit Juda Simeoni: ascende mecum in sortem meam, ut ego pergam tecum in sortem tuam. Tribus Juda ad Simeonis tribum, arma jungamus, inquit, contra Chananæos, qui destinatam mihi provinciam occupant: rebusque prospere succedentibus, inde movebimus ambo junctis copiis adversus illorum socios, regionum tibi attributarum inquilinos.

v. 6. *Fugit autem dominus Bezechi, quem persequuti comprehenderunt, cæsis summatibus manuum ejus, ac pedum*. Dum legimus Bezechi dominum manuum pedumque pollicibus mutilatum ob exercitam in sui similes non dissimilem crudelitatem, vel hoc solo exemplo satis intelligimus, reliquos Chananitidis incolas malis tantis affectos fuisse culpa sua; ut non tam Israë-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A raëlitarum odio, quam suis suorumque majorum peccatis ea imputare potuerint. Tropologice: Bezechi dominus, quod septuaginta regulos, manibus pedibusque multatos, decidentia panis frustula sub mensa colligere, coëgit, si quidem inedia perire nollent: quove idem postmodum hanc ipsam ferre, quam intulerat, pœnam, coactus est, diaboli figura fuisse videtur: nobis hic manuum summitates amputare B dicitur, quum rerum cœlestium apprehensionem & memoriam auferre nititur, & suadet salutis curam abjicere. Nec Regulorum numerus ab allegoria discedit: septuaginta namque patresfamilias numerantur ab orbe condito usque ad Christum, quorum annis mundi chronologia constat, toto hoc temporum spatio diabolus genus humanum captivum habuit. Quum autem advenisset Christus, nobis C antiqui illius Judæ persona prefignatus, quasi leonis catulus in mortem incubuit, & occidit, ac diabolum pedibus manibusque multavit, hostes enimvero isto Bezechi domino oppido crudeliores. Interea filii Cinęi soceri Moysis ad Gadarenorum fines progressi, Saphat urbem expugnarunt, & ex anathematis lege cives ad internecionem delevere: similiter tribus Juda Gazam occupavit.

D

CAP. II. v. 1.

Ascenditque Angelus Domini de Galgalis ad locum flentium. Quis est iste Angelus? Quidam aiunt, hunc fuisse ipsum Josuam, vel aliquem Prophetam, qui Angelus Domini dictus fuerit, quasi legatus a Deo missus. Verius est, spiritum fuisse sub humana specie apparentem. Nec tamen prior illa opinio solide refellitur ex eo, quod Josuæ obitus multo ante, E & sub initium libri fuerat enunciatus: id enim per prolepsim dictum, plane convincunt, quæ statim subtexuntur gesta Josuę adhuc utique viventis, & in fine iterum ejusdem mors subjungitur. Quisquis tamen fuerit ille Angelus, Israëlitas merito reprehendit, quod contra iterata Dei jussa Chananęos de terra sibi attributa minime exterminassent, imo vero socios & contubernales sibi adscivissent.

F v. 4.

Quumque loqueretur Angelus Domini hæc ad filios Israel, elevaverunt ipsi vocem suam, & fleverunt: doluerunt factum, quia necdum pactum resciderant. Resciderunt tamen aliquando ipsorum nepotes, in idololatriam prolapsi: quam ob causam,

Cap. III. v. 8.

Tradidit eos Dominus in manus Chusan Regis Mesopotamiæ Syriæ. Rex iste Chusan, qui octena-

3 q Q

nali servitute Dei populum afflixit, pessimum intemperantiæ spiritum designasse visus est, qui mundum diu oppressit. Sed quemadmodum Mesopotameni Regis tyrannidem Othoniel octavo anno extinxit, ita Christus dominico die, qui hebdomadæ passionis junctus octavus fuit, nequissimum illum carnalium libidinum incentorem carnis suæ resurrectione vicit, nobisque libertatem restituit.

v. 11. *Addiderunt autem filii Israel facere malum in conspectu Domini*, *qui confortavit adversus eos Eglon Regem Moab*. *Et suscitavit eis Salvatorem vocabulo Aod filium Gera*, *alteram manum habentem contractam*, *& inutilem*. Alter hic populi Dei tyrannus mortem repræsentat, corpore licet pingui, & obeso ventre. Aod tyranni hujus interfector nobis iterum Christi imaginem refert. Profecto sicut Aod, ut consilium de occidendo Rege occuleret, personam dissimulavit, & alium se esse mentitus est; sic Christus mortem destruere volens, immortalem naturam texit, & carnem objecit morti mortalem, ut mortem mortis specie falleret, & occideret. Nec porro citra mysterium sicam in ventre Regis infixam memorat, & addit, ibi relictam fuisse, inde utique post casum revellendam. Sanctorum namque morientium corpora morti tela sunt ferrea: interim hæc illa in ventre portat, ad vitam aliquando reditura, indita sibi vi a Christi resurrectione: sed age. Aod tyrannum obtruncaturus dimittit socios, ejusque cubiculum incomitatus invadit: id & Christus fecit, qui enim solus mortem superare poterat, solus aggressus est, suaque in sede obtruncavit. Rursum Aod telum, quo Regem confodere parabat, ipsi occultavit: sic Christus cum morte conflicturus, divinam virtutem occuluit, obtenditque humanam infirmitatem, *habitu inventus ut homo*. (Philip. 2. 7.) *Ingressus est etiam capulus post vulnus, & clausit adeps vulnus*: idest, superimmisit capulum post vulnus, & clausit capulum adeps.

v. 31. *Samgar filius Anath, qui percussit sexcentos Philistæos stimulo boum*. Samgar Christi figura fuit. Samgaris de Philistæis victoria, parta fustis acutæ cuspide, explicat divini verbi vim & mirabiles effectus: est nempe virga virtutis hominem pigrescentem extimulans, & errantem ad semitam justorum reducens.

CAP. IV. v. 2. *Tradidit eos in manus Jabin Regis Asor, qui habuit ducem exercitus sui nomine Sisaram*. Jabin populi Dei tyrannus, quo Sisaram ducem habuisse dicitur, mortis per-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A personam gessit; ejusque dux Sisara Diabolum repræsentat mortis ducem, & inductorem: ipse enim erat *homicida ab initio*. Nec porro Sisara capi, necarique potuit a Baracho, qui legis typum præferebat, neque a Debora, quæ synagogam adumbrabat, sed ab Jaele, quæ Ecclesiam, & Ecclesiæ caput Christum figuravit: Jael quippe genere Israëlitis non fuit.

Jo. 8. 44.

B *Erat autem Debora mulier Prophetis, uxor Lapithor, quæ judicabat populum Israel in illo tempore*, divino spiritu, quo pia mulier agebatur, una rempublicam moderante: *Quæ dixit ad Barach. Numquid non præcepit tibi Dominus Deus Israel, dicens: vade, & duc exercitum in montem Thabor, tollesque tecum decem millia pugnatorum?* Idest: Præcipit tibi Dominus, dicens: cogito peditum decem millia partim ex Nephtali tribu tua, partim ex tribu vobis finitima Zabulonitarum, ducitoque ad torrentem Cison, ibi occurret Sisara cum instructissimo exercitu, quem tamen commisso prælio Dei ope profligabis. Verumtamen non erit, quo de hac victoria magnopere tibi plaudas; quandoquidem dux belli Sisara feminea cadet manu. Jaelem innuit uxorem Haberis Cinæi ex stirpe soceri Moysis, a qua Sisara trabali clavo tempora transfixus interemtus est.

v. 4.

D

CAP. V. *v.* 1.

Postquam Barachi ductu Jabini exercitus cæsus fuit, ejusque ductor Sisara Jaelis astu & virtute cecidit: *Debora & Barach filius Abinoem cecinerunt in die redemptionis suæ, dicentes*. Quid? num ambo canticum istud composuerunt? Sola enim Debora prophetis propheticum carmen fudisse videtur. Quare dicendum est Barachum cum Debora eo die, quo fugato exercitu, dux Sisara occubuit, epinicium carmen Domino cantasse eo ordine, quo olim Hebræorum populum servituti Ægyptiorum exemtum simile carmen cecinisse constabat. Primam scilicet stropham cuncti una voce concinuerunt, reliqua usque ad finem Maria cum feminarum choro prosequuta est. Credibile ergo est eodem ordine Barachum & Deboram canticum simul inchoasse, Deboram vero, quæ sequuntur oracula fudisse. Quamobrem eo præterito integrum carmen Deboræ nomine vere & merito inscribitur.

E

F

CAN-

A

CANTICUM DEBORÆ.

DOmino canam bella, quæ dudum adversus hostes populi mei gessit: *Psallam Domino Deo Israel*, quæ imposterum gesturus est.

v. 4. *Domine, quum exires de Seir*. Tropologice: Regiones Seir steriles & desertæ, desertam & inutilem synagogam referunt, a qua Dominus discessurus, terram concussit, tenebrasque universo orbi offudit, & deseruit. Proprie hic populi ab ægyptiaca servitute liberationem prædicat, ipsique per deserta vaganti collata deinceps a Deo beneficia. *Quum transires per agros Edom, terra mota est*, Idumæorum a Dei præsentia pavorem significat, agros terramque usurpans pro colonis & habitatoribus. Simul innuit singularem erga Israëlitarum patrem Jacob Dei curam, quum olim per hæc ipsa loca iter ageret. Deo enim protegente & fratris insidias effugit, & regulorum eam regionem obtinentium molestias evitavit. *Cœli, ac nubes distillaverunt aquis*. Cœlum enimvero divina Christi natura fuit, ex qua, ejus corpore è cruce pendente, nobis vitales aquæ profluxerunt. Nubes Prophetæ, vel Apostoli, quorum prædicatione antiquorum Prophetarum vaticinia nobis patuerunt.

v. 5. *Montes fluxerunt a facie Domini, & iste Sinai*. Idest, Idumææ montes Dei præsentis numine concussi nutarunt, sed nec iste Sinai Dei loquentis vocem sustinuit.

v. 6. *In diebus Samgar fili Anath*. Samgaris meminit viri fortissimi, quem stimulo sexcentos Philistæos interfecisse supra narratum est: *Et in diebus Anaëlis*. Jajelem intelligit Sisaræ interfectricem.

v. 7. *Interciderunt vias planas Israel: migravit habitator ex villis, & oppidis non habentibus murum*, cunctis timore trepidantibus.

v. 8. *Donec surgerem ego Debora*, & divino inflammata spiritu Baracum ad ferendam afflictis opem excitarem.

Rem novam eliget Deus. Tropologice Apostolorum prędicationem, rem oppido admirabilem & inusitatam: *Tunc non videbitur hordeaceus panis &c.* Hęc Gedeonem spectant, qui hordeaceę placentę infra comparatur, & significat Deum novum bellum elegisse, in quo nec Gedeon, nec alius illi similis vir fortis pugnavit, sed imbellis femina Jael bellum sola confecit. Tropologice. Hordeaceus

B C D E F

[illegible]

A ceus panis legem designat, quæ quidem in Ecclesia observanda non fuit, quia oriente Euangelio Lex occidit, gentibus Euangelium Legi merito præferentibus; tametsi lex Euangelio antiquior esset; sic enim hordeacea messis triticeam antecedit, nec tamen id officit, quin panis triticeus hordeaceo gratior sit & utilius alimentum suppeditet. *Gladius, & hasta non videbitur in quadraginta millibus Israel.* Sensus

B cohæret cum antecedenti: præterea tacite insinuat futuram ad annos quadraginta pacem, toto videlicet tempore, quo Barac Dei populo erat præfuturus, ut Hebræis necesse non esset tela vibrare, aut nudare gladios.

v. 9. *Cor meum dixit ad interpretes Israel.* Ad viros divina cantare doctos, & ad benedicendum Domino paratos. *Dixit*, idest pari studio ad canendum se appu-

C lit.

v. 10. *Qui ascenditis super nitentes asinas.* Sensus allegoricus Apostolos signat summum honoris locum in Ecclesia Christi obtinentes; sive recens baptizatos candidis vestibus indutos. *Habitatores domorum*, Christi discipulos alloquitur electos cœlestium mansionum habitatores, *cives Sanctorum, & domesticos Dei.* (Ephes. 2.) *Quique perambulatis semitas*, pios appellat hominum

D cœtus ad perfectionem tendentium; semitas dicit varia pie vivendi instituta, quibus Sancti ad cœleste regnum ducuntur. *Meditamini ex verbis scrutatorum*, idest, piarum commentationum argumenta capite ex dictis scrutatorum, tales appellat Prophetas. Horum porro oracula meditati sunt primum Apostoli, deinde Ecclesiæ Doctores, interpretantes dictatas a Prophetis scripturas.

E

v. 11. *Ibi dabunt justitiam Domini, justitiam, quam magnificavit in Israel*; idest narrabunt filii Israel Dei justitiam populi sui injurias vindicantem, quo factum est, ut qui dudum hostium terrore dispersi fuerant, nunc securi descenderint ad portam Tabernaculi, ultricem Domini manum laudaturi.

v. 12. *Surge, surge Debora*, & divino, quo

F inflammaris spiritu, Baracum ad pugnam & ad prædam accende. *Loquere canticum: tunc descendet salvator ad laudandum coram Domino.* Idest, quum tu Debora cantare cœperis, tunc etiam Barac populi salvator occurret ad prædicandam Dei clementiam, cujus præsens numen dudum expertus fuit.

v. 13. *Dominus dominabitur mihi in fortibus.* idest

idest Deus meus, quem a populo meo laudari cupio, ipse hostes subjugabit, sint licet fortissimi & gigantibus pares, subjugabit, inquam, mihique deinceps parere coget. *Surge itaque Barac, & apprehende captivos tuos fili Abinoem.*

v. 14. *Qui descendit mihi in viro Ephraim, & opera ejus in Amalec &c.* Duas hic tangit Amalecitarum clades, alteram refert præteritam, quam Josue ex tribu Ephraim Amalecitis intulit in deserto; alteram prædicit futuram, quando Saul Benjamita eorum reliquias delevit. *Post te*, inquit, *Benjamin in studio tuo. A Machir exierunt Interpretes*, idest: Doctores, *& a Zabulon ducentes calamum scribæ*. Duces quippe erant legis doctores, & scribæ. (1. Reg. 15.)

v. 15. *Et Issachar, sicut Barac in populis* fortiter, nec minus strenue, quam Barac dimicavit. Tres præcipue Tribus laudat, quæ ad hoc prælium & victoriam operam contulerant, Manassitas nimirum, Zabulonitas, & Issacharitas, & istos ait fuisse in populis, sicut Barac: idest, in eandem sententiam circa præsens bellum convenisse dissentientibus reliquis, & Baraco duce fortiter pugnasse. *Missus est pedibus suis nuncius ad divisionem Ruben* auxilia petens. *Ibi magni investigantes cor.* Taxat Rubenitarum circa hoc bellum importunas & inutiles consultationes.

v. 16. *Quare obsedistis semitas, quasi ad captandum odorem onagrorum.* Iterum taxat eorundem intempestivum otium. Tropologice, Onagri agrestes feræ dæmones mali sunt, qui sanctis per semitas justitiæ incedentibus, cœlumque petentibus insidiantur, in via, qua ambulant, absconDentes eis laqueos. (Psal. 141. 4.)

v. 17. *Gad trans Jordanem quievit.* Ex eodem capite de Gaditis conqueritur, ut qui ablatam Ogo Regi potentissimo uberrimam regionem nacti, nil otio potius ducerent. *Et Dan quare naves agit?* quasi dicat. Itane vero Dan ille quondam laudatus quasi cerastes mordens equum, Chananæorum modo conspectum non sustinuit, sed fugam meditatur, & naves parat? *Aser habitabat in littore maris.* Quando hostium adventum subodoratus fugam & ipse circumspicere cœpit: *Sedit in scissuris*, scilicet captivitatem metuens spelæa & abscissas rupes occupavit.

v. 18. *Zabulon populus, qui obtulit animam suam. Nephtali, & Zabulon erunt in excelsis campi sui.* Cæteris itaque tribubus bellum detrectantibus Zabulonitæ & Nephthalitæ vitam suam pro communi salute ad omnes

[illegible]

A nes belli casus objecerunt. Et vero utrisque finito bello campi & colles frumenti vinique feraces, quos meruere, retribuentur.

v. 19. *Venerunt Reges, & pugnaverunt in Thanac, congregati sunt ad aquas Mageddo*. Locus est, in quo olim Josue Chananæorum Reges ingenti clade pariter obtrivit.

v. 20. *Dimicarunt stellæ de locis suis*. Cœleste B auxilium Israëlitis pugnantibus præstitum ostendit historicus sensus; arcanus administratoriorum spirituum bellum adversus invisibilem Sisaram pro populo Dei perpetuo gerentium.

v. 21. *Raptarunt eos torrens Cisson, & torrens Cadmonim*, aut aquis suis, aut interfectorum sanguine redundantes. David etiam significat Sisaram ad torrentem Cisson fuisse profligatum. Ps. 82. 10.

v. 22. C *Deciderunt ungulæ equorum ejus a fremitu exercitus robustorum ejus*. Fugæ præsidium Sisaræ copiis ereptum ostendit lapsis ob nimiam festinationem cursumque præcipitem equorum ungulis.

v. 23. *Maledicite Merod, dicit Angelus Domini, maledicite ei, & maledicite habitatoribus ejus*. Meroditæ merito maledicti, quia popularibus suis pro communi sa-D lute præliantibus suppetias ferre noluerunt, tametsi ob vicinitatem hoc ipsis nec difficile, nec incommodum fuisset. Tropologice. Merodi Principes synagogæ rectores designant, qui, modo sibi intacta manerent legis sacrificia & cœremoniæ, contra legis transgressores pro lege certare nolebant.

v. 24. *Benedicta a mulieribus Anajel*, non a cunctis universim mulieribus, nec ubi-E que, sed *in suo tabernaculo*. Maria namque est illa benedicta in mulieribus, & ab omnibus mulieribus ubique benedicenda, quoniam ex illa filius nobis est natus, qui natis omnibus salutem attulit. *Benedicatur*, inquit, *Jael (seu Anajel) uxor Haber Cinæi*, idest ex familia soceri Moysis. Dedit autem Deus salutem per manum uxoris ejus, quo Cinæorum familia ob peregrinitatem antea despecta, in posterum F pluris fieret cum ab Hebræis quibuscum habitare statuerat, tum a popularibus suis Madianitis, quorum odium, ob desertam ipsorum religionem & contubernium incurrerat.

v. 28. *Levavit cum jubilo vocem suam mater ejus prospectans ex solario. Et quis, ait, moratur stridorem currus ejus...... Forte* pra-

A *prædam invenit*. Hic inducitur Sisaræ mater ſtans in ſublimi ſpecula, indeque proſpectans vias, qua filium rediturum ſperabat. *Levavit*, inquit, *vocem cum jubilo*, filii nimirum victoriam præſagiens & reditum, triumphum canebat: forte etiam pulſabat organa aut calamos inflabat. *Mulos viritim diſtribuit*. Hic recole legem: *Jumentum tuum non facies coire cum alterius generis animantibus*, quæ tamen ſolos Hebræos obligabat: tacite ergo illos Debora reprehendit, quod paſſim imo ſtudioſe id facerent. *Una ſapientior inter puellas ejus*. In Hebræo legitur ſic: *Sapientiores concubinæ hoc ipſum regerebant*.

v. 30.

Lev. 19. 19.

B

Qui autem diligunt te ſicut Sol, quum ſplendet in virtute ſua. Dei amantes Soli comparantur, Dei quippe imago ſunt, cujus miſerationes, quum ſint ſuper omnia opera ejus, Solis radiis vere & merito comparantur, cujus vim res omnes ſentiunt, tum maxime, quum Junio menſe Solis virtus tota ſe prodit.

v. 31.

C

CAP. VI.

v. 1.

FEcerunt autem filii Iſrael malum in conſpectu Domini, qui tradidit illos in manu Madian ſeptem annis. Scilicet peccante Dei populo, populi qui Deum ignorabant, illius hæreditatem occuparunt, & hæredes vagos in natali ſolo, atque extorres, in ſpeluncis & antris degere compulerunt.

D

v. 11.

Apparuitque Angelus Domini Gedeon ſub Terebintho in Ephra civitate Joas patris Ezri, eumdemque ad vindicandam populi libertatem ſollicitavit, ſpondens omnia Deo adjutore proſpere ſucceſſura.

v. 21.

Aſcenditque ignis de petra, & carnes, azymoſque conſumſit. Gedeon adſtantem ſibi Angelum hominem eſſe opinatus, hoſpitale epulum de more parabat. Hœdum confeſtim mactavit, carnes coxit, juſculum in ollam infudit, compoſuitque panes in caniſtro, & Angelo hoc interim ibidem, ubi apparuerat, perſiſtenti ſupra petram obtulit. Prandium utique Gedeon cogitabat, quando hoſpitem ad epulum invitabat. At ille appoſitas dapes contingens & benedicens, viatorii, quem geſtabat, baculi ſummitate ignem è ſuppoſito lapide excitavit, qui carnes & panes extemplo corripuit & abſumſit.

E

F

v. 24.

Ædificavit ergo ibi Gedeon altare Domino, vocavitque illud: Dominus pax. Gedeon miraculo doctus, eum, qui apparuerat, mortalem non eſſe, jam ſibi ipſe moriendum cogitabat, arbitratus ex communication-

[illegible]

A muni suorum popularium persuasione apparitionem Angelorum hominibus lethiferam esse. Quamobrem mox a Domino vel per se, vel per aliquem Prophetam loquente audivit. *Pax tibi, nequaquam morieris*: inde altari pacis nomen hæsit. Gedeon posthæc evertit Baalis aram, & lucum succidit: tumultuantes eam ob caussam idololatras Gedeonis pater placavit, ægre tamen nec citra periculum. Duo B deinde signa in vellere & in area petiit, & impetravit: *Et de nocte consurgens expresso vellere concham implevit*, circumjecta area sicca manente. Gedeonis vellus, quo rorem de cœlo accepit, Virginem figuravit, quæ Deum Verbum concepit. Concha, quæ rorem de vellere expressum excepit, fontem nostri baptismi designavit, in quo invisibili præsentia adest Emmanuel C purgationem peccatorum faciens. Area, quæ vellere madefacto, sicca permansit mundus est, ubi triticum cum paleis confunditur, & justi cum peccatoribus permisti simul morabuntur usque ad consummationem. Alterum rursus signum postulavit dicens: *Oro, ut solum vellus siccum sit, & omnis terra rore madens*. Tropologice, signum Judęorum casum pręmonstravit, quando inhibito divinæ benedi-D ctionis rore Jerosolyma & templum flammis deflagrarunt, quum interim totus terrarum orbis divino rore maderet, Dei videlicet scientia impleretur; ornaretur quoque sacris ædibus & altaribus, uni Jerosolymitano altari ac templo plurimis substitutis, quę sunt Christianorum Ecclesiæ, quas ubique terrarum assurgere videmus.

E *Dixitque Dominus ad Gedeon: loquere ad populum. Qui formidolosus est & timidus, revertatur.* Primum, ne populus militum numero magis quam Dei auxilio victoriam adscriberet. Secundum, ut idem intelligeret illam Dei promissionem: *Unus vestrum persequetur mille &c.* firmam fixamque tamdiu mansuram, quandiu populus ipse legem divinam observaret. Viginti duo millia bellatorum eam F ob caussam dimissi sunt: inde exercitus ad decem millia redactus novo adhuc censu imminutus est.

CAP. VII. v. 3. — Deut. 32. 30

Dixitque Dominus ad Gedeon: Duc eos ad aquas, & ibi probabo illos tibi. Abducti omnes bellatores ad aquas: retenti, qui aquam lambuerunt, *sicut solet canis lambere*, idest qui potaturi cava manu aquam è fonte haustam erecto corpore ori

v. 10.

[illegible]

ori admovebant. Reliquis missio data, qui curvatis genibus, idest prono corpore & ore in aquas immerso biberunt. Tropologice. Isti, qui in terram potaturi procubuerunt, designant homines mentis nec altę, nec validę, indolis proinde ad infima, ut sunt terrena omnia, demissæ. Contra qui aquam cava manu sumentes modicis haustibus biberunt, temperantię & frugalitatis studiosos referunt, quibus est *quæstus magnus pietas cum sufficientia, & habentes alimenta, & quibus tegantur, his contenti sunt.* (1. Tim. 6. 6.) Isti fuerunt trecenti: quorum magnam in Deum fidem inde conjicere licet, quod invadere non dubitarunt immensam hostium multitudinem per campos locustarum adinstar longe lateque diffusam, cujus nec conspectum quidem omnes simul junctæ Israëlitarum tribus alias sustinere potuerant.

(v. 9.) *Eadem nocte dixit Dominus ad eum: surge, & descende in castra Madian. Quumque venisset Gedeon, audiit quempiam narrantem somnium proximo suo.* Dimissis sociis, verisimile est eos, qui supererant, de eventu belli dubitare cœpisse, proptereaque Deum Gedeoni pręcepisse, ut eadem nocte ad Madianitarum castra descenderet, ubi ex novi somnii interpretatione certum victorię pręsagium acciperet, quo exposito, sociis omnem de pugnę exitu curam eriperet.

(v. 16.) *Vidi somnium, & videbatur mihi quasi placenta panis ex hordeo volvi per castra Madian, quumque pervenisset ad tabernaculum, subvertit illud.* Tropologice: Hordeaceus panis dum Madianitarum castra subvertit, docet, nullum pręstantius esse remedium ad cohibendos concupiscentiæ carnalis motus, quam siquis assuescat modico & simplici cibo. Ad literam. Panis hordeacei species ideo somnianti Madianitę oblata fuit, quod omnium aptissima videbatur ad exprimendam Gedeonis ejusque exercitus imbecillitatem, & parvitatem, placenta quippe hordeacea & parva res est, & vilis cibus. Nihilominus exiguus iste Hebręorum manipulus ingentem Madianitarum exercitum profligavit.

(v. 21.) *Divisitque trecentos viros in tres partes, & dedit singulis tubas, lagenasque vacuas, ac lampades in medio lagenarum..... Ingressusque est Gedeon, & trecenti viri, qui erant cum eo in primam partem castrorum, & cœperunt buccinis clangere, & complodere inter se lagenas.* Allegoria. Gedeonis buccinę Euangelii tubam pręsignabant.

[illegible]

[illegible]

A bant. Euangelii namque personante tuba, & coruscante sacramentorum Christi lampade peccati imperium euersum est. Rursus hydriç, inclusas lampades continentes, Judçorum synagogas significabant, intra quas scripta Prophetarum oracula oppressa & abscondita diu jacuerunt. Postquam vero Judçi virtute crucis Christi fracti contritique fuere, continuo propheticarum lampadum fulgor emicuit, & B Apostolorum luce adjutus totum orbem terrarum complevit. Postremum lagenæ ex argilla fictç & luto, humani corporis concretionem exhibent, & in eas conditç faces divini spiritus in carne sanctorum occultas operationes reprçsentant.

Gladius Domini, & Gedeonis. Domini, inquit, prçsentis, non populi fugientis hoc opus est: non populi, qui arma abjecit, sed Dei, qui arma Gedeoni submi- C nistravit. Item Gedeonis, quia per illum, Deo aspirante, reddebatur populo libertas. v. 21.

CAP. VII. v. 2.

E*T filii Ephraim interfecerunt Oreb in petra Oreb, & interfecerunt Zeb in loco stagni Zeb. Dixitque Gedeon ad filios Ephraim: nonne melior est racematio Ephraim vindemia Jezrael?* Permisit Deus, ut isti principes & multi alii ex acie D evaderent, & post ab Ephraimitis è fuga retracti interficerentur, quo populus victoriam interea consideraret, indeque colligeret, illam non sibi, sed Deo unice adscribendam. Et ecce nova cum Ephraimitis turba & rixa: *Quid est hoc, dixerunt, quod facere voluisti, ut nos non vocares, quum ad pugnam pergeres contra Madian?* Prudenter Gedeon, mansuete agendum censuit, ne si jurgium porro perge- E ret, plagam, quam effugerat cum Madianitis confligens, a suis popularibus acciperet: quare mitissime respondit: at sane multo magis prçstabat bello finem dari, interfectis duobus principibus, quod nunc virtute vestra confectum est, quam nobis inspectantibus, millia & myriadas Madianitarum in acie occubuisse; quando ad hoc factum nihil ipsi contulimus, F prçter faces, & voces. Sic facili & suavi responsione jurgium & periculum discussit.

v. 16.

Tulit ergo seniores civitatis Soccoth, raptavitque illos per spinas deserti, ac tribulos. Hac nimirum cum severitate animadvertit Josue in cives Soccoth, eo quod venia prorsus indignos existimaret eos, qui suos populares pro communi salu-

A lute laborantes, cursu & inedia fatigatos & in summa inopia aliquod famis remedium flagitantes, crudeliter repulissent. Captis itaque Madianitarum ducibus Zebee & Salmana, quorum fugam Soccothenses Gedeoni in probrum paulo ante vertebant, spinis & tribulis immites animas a corpore exegit, quæ fugientes sociorum animas subministrato qualicumque cibo ad corpus redigere noluerant.

v. 21. B *Surrexit Gedeon, & occidit Zebee, & Salmana.* Sic fratrem ultus est Gedeon, quem isti Reges in monte Thabor occiderant eo tempore, quo Israëlitę a Madianitis oppressi in montes & loca inaccessa [illegible] profugere cogebantur. *Et quievit terra in diebus ejus quadraginta annis.*

v. 24. *Dixitque ad eos: Unam petitionem postulo. Date mihi singuli inaurem ex præda vestra. Inaures enim aureas Ismaëlitæ habere consueverant. Fuitque pondus inaurium,* C *quas postulaverat, mille, & septingenti auri sicli absque monilibus aureis, & præter torques aureas... fecitque ex eis Gedeon figuram hominis, & statuit illam in Ophra.*

v. 31. *Concubina autem illius, quam habebat in Sichem, genuit ei filium, & vocavit nomen ejus Abimelech. Qui occidit fratres suos filios Jerobaal, remansitque Joatham filius Jerobaal minimus.* Mortuo Gedeone Abimelech rempublicam occupavit, qui Si- D chimitarum ope principatum adeptus, fratres suos statim occidit, ipsos etiam Sichimitas post urbis incendium opprimere aggressus in pugna occubuit. Hanc scilicet pœnam criminis reddi justum fuit iis, qui Gedeonis filios immeritos necaverant. Et Abimelech quidem collecta perditorum & audacium hominum manu cędem fecerat, pecuniam tamen, qua illos conduxit, Sichimitę suppeditarunt septuaginta argenteos ex fano idolorum suorum ablatos. E

CAP. IX. v. 6. *Ierunt ligna, ut ungerent sibi Regem, dixeruntque Olivæ, veni, & impera nobis: quæ respondit, non deseram pinguedinem meam: Dixerunt Ficui: Veni, & impera nobis.* idest si arborum regina fiam, meum oleum perdidi; ego vero suavissimi fructus dulcedinem, respondit Ficus: alias alię arbores excusationes dedere, sic ad Rhamnum tandem ventum est, F quę delatum imperium ultro admisit. Hunc apologum Joatham Gedeonis filius composuit, & dixit, postquam Sichimitę Abimelechum ducem creaverant, quo illis hujus facti indignitatem exprobravit, & malum exitum ominatus est. *Egrediatur,* ait, *ignis ex eo, & consumat habitatores Sichem, & oppidum Mello*: quę quidem

[illegible]

[illegible]

A dem execratio plenum effectum habuit, ut dictum est. Tropologice: Abimelech à Sichimitis pecunia adjutus & insuper ad principatum evectus, ex principe hostis factus, eorum civitatem succendit. Tale nimirum Diabolus stipendium suis solvere consuevit, quippe qui sibi obsequentibus, atque servientibus sempiternum incendium perpetuo moliatur. Joathamـ, qui summum montis verticem assequutus B Abimelechi minas elusit, credentium coetum repraesentat arcem fidei in baptismo susceptae obtinentem: in hoc quippe loco viri sancti tutum a Diaboli infestatione perfugium inveniunt, & fortes in fide rugienti leoni resistunt. Porro mulier, quae a summa turre librato fragmine molae Abimelechi caput confregit, mysticae sponsae typus fuit, quae ex aquis ascendit in victoria; tantumque roboris inde coe- C pit, ut fragili telo fortis contuderit superbiam, & aspidis caput contriverit.

CAP. XI. v. 1.

F*Uit illo tempore Jephte Galaadites, ad quem congregati sunt viri perditi, & audaces. Dixeruntque ad eum majores natu de Galaad: veni, & esto princeps noster, & pugna contra filios Ammon.* Haesit ad haec Jephte, quemnam exitum bellum istud habiturum esset, incertus. Videbat enim D populum quidem, damnata idololatria, Dei cultum recepisse, nec tamen Deo acceptam esse eorum poenitentiam satis constabat, quia nec afflictis rebus remedium poscenti succurrebat, nec tristissimae servituti, qua ab Ammonitis premebatur, finem aut aliquod allevamentum afferebat. At at quis sum ego homo, cogitabat, ut quod omnibus tribubus negavit, mihi petenti Deus concedat? Quid tandem sta- E tuit? Sequitur: *Tunc votum vovit Domino dicens: si tradideris filios Ammon in manus meas, quicumque primus fuerit egressus de foribus domus meae, mihique occurrerit revertenti in pace a filiis Ammon, eum holocaustum offeram Domino.* Quasi diceret. Ego quidem nunc aperio os meum ad Deum secreto voveoque me ipsi immolaturum, qui primus è domo mea mihi occurrerit. F Caeterum Deo curae erit parare hostiam servi sui triumpho convenientem. Nec dubium quin Jephte humanam victimam voverit; speravit tamen, Deum aliam substituturum, ea videlicet providentia, qua hujus generis hostiae arietem alias subrogaverat. (Gen. 22.13.)

v. 34. *Revertente autem Jephte in Maspha, occurrit ei filia sua cum tympanis, & choris.* Ex prisco more gentis agebat filia Jephte.

te. Solebant nimirum Hebręi relatas noviter victorias cum apparatu & musico concentu celebrare. Sic olim Maria sorore Moysis præcinente reliquæ fæminæ triumphale carmen Deo cantarunt ob victoriam ab eodem concessam diffisso pelago & submersis cum Pharaone Ægyptiis. Similiter post Jephte tempora, Davidi & Sauli ex eo prælio revertentibus, in quo Goliath interfectus fuit victique Philisthęi, virgines occurrerunt cum tympanis & choris, ludentes atque dicentes: *Percussit Saul mille, & David decem millia*. Dum porro filia ad sacrificium veniente scissis vestibus nudatur pater, significatur futura denudatio synagogæ: postquam enim Emmanuelem despexit, quando *in consummatione seculorum ad destitutionem peccati per hostiam suam apparuit*; continuo omnis illi ademtus fuit ornatus, detractis ac laceratis, quibus hactenus mystice tegebatur, indumentis, inops & nuda relicta est. Rursus concerptam ducis chlamydem observa, & cogita discissa Christi morte Levitico Pontifici insignia, & abrogatum synagogæ magistratum.

1. Reg. 18. 7.

Hebr. 9. 26.

v. 36. *Heu me filia mea, affligens afflixisti me hodie... Quæ respondit, fac mihi, quod egressum est de ore tuo, postquam Dominus fecit tibi ultionem de inimicis tuis*. Nota. Non eo ipso die, quo Jephte filiam vidit, etiam immolavit. Provisum quippe fuit, ne Judæorum Pontifices Christum natum in cunabulis occiderent; sed ejus mors ad plures annos differretur, quo plures item annos lugeret populum Judæorum in sua incredulitate obduratum, campis Israel, & montibus filiorum Jacob oberrans. Nota secundo, filia post duos menses ad patrem redit & occiditur, quia idem Deus & homo sponte sua, non aliena crucifixoribus occurrit. Nota tertio. Ad duos menses virginis immolatio protrahitur. Christi nimirum mors legem & Prophetas sequutura erat. Sic enim erat definitum, ut Lex & Prophetæ prę currerent, & postea Christus veniret, & moreretur.

CAP. XII. v. 5. NUmquid Ephrathæus es? quo dicente, non sum: interrogabant eum, dic ergo scieble, qui respondebat seble. Ephrathæis adversus Jephten tumultuantibus, ejusque domum incendere parantibus, ad arma utrinque procurritur. Prælio commisso Ephrathæi a Galaaditis duce Jephte cæduntur, quorum multi ad vada Jordanis, eo, quod hic notatur, linguæ indicio deprehensi, trucidantur; cæsorum numerus duo supra quadraginta millia. *Judicavitque Jephte Israel, sex annis*.

Rur-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

CAP. XIII. v. 1.

A

R *Ursumque filii Israel fecerunt malum in conspectu Domini, qui tradidit eos in manus Philistæorum quadraginta annis.* Nova hæc fuit servitus post septimam Israelitarum prævaricationem, a qua Samsonis gesta narrare Scriptura aggreditur.

v. 2.

Erat autem quidam vir de Saraa, & de stirpe Dan nomine Manue, habens uxorem sterilem: cui apparuit Angelus Domini. Decebat enim, ut Samsonis ortus, qui

B

Christi typus erat futurus, per Angelum nunciaretur. Idem, ut marito id postulanti morem gereret, uxori iterum, mox etiam illi spectabilem se præbuit, pręcepitque, ut filium nasciturum ex more & instituto Nazaræorum educaret, utpote quem oporteret omnes deinceps vitæ suæ rationes ad Nazaræatus leges exigere. Quum au-

C

tem Manue, quem putabat hospitem, ad epulum de more invitaret, hortatur Angelus, ut holocaustum Deo potius offerret. Cæterum ut intelligeret præsentem Dei in ipso loquentis majestatem, Angelus rogatus, ut nomen proderet, respondit: *Quid quæris nomen meum, quod est glorificandum*, non investigandum.

CAP. XIV. v. 1.

D

D *Escendit ergo Samson in Thamnata, vidensque ibi mulierem, adamavit eam, & nunciavit patri suo, & matri, dicens quæso, accipite eam mihi in uxorem.* Nota. Samsonis cum Philistea virgine nuptiæ disturbatæ non fuerunt, quia in illis sanctæ Ecclesiæ mysticum connubium pręfigurabatur. Jam quum Samson Thamnatam urbem uxorem ducturus peteret, atque per suburbanas vineas casu incederet, vi-

E

dit stare ante oculos frendentem leonem. Leo Judaici populi figuram hic exhibet dominicæ vineæ colonum. Vinea ergo operæ & laboris symbolum est, civitas mundum designat.

v. 6.

Et direxit spiritus Domini Samson, & dilaceravit leonem, quasi hœdum, & post aliquot dies revertens, declinavit, ut videret cadaver leonis, & ecce examen apum in

F

corpore ejus. Samson leonem discerpsit & in partes distraxit, quia Emmanuel populum Judæorum scidit & dispersit. Apes vero dum in cadavere leonis favos condunt, significant mel illud prestantissimum, quod in corpore synagogæ recondiderunt Prophetæ.

v. 9.

Veniensque ad patrem suum, & matrem dedit eis partem mellis; noluit tamen in-

indicare eis , quod de corpore leonis mel fluxisset . Nota . Mel in extincto leone repertum , umbra fuit vitæ , quam ex occiso Christi corpore hausit universum genus humanum .

v. 12. *Dixitque Samson Philistæis : Proponam vobis problema* . Gryphus a Samsone sodalibus propositus , atque ab ejusdem uxore , illis in ejus solutione hæsitantibus , expositus , mysterium fuit , quo disceres , Emmanuelem per Ecclesiam suam suis Sanctis sua mysteria revelare .

v. 14. Problema erat . *De comedente exivit cibus , & de amaro egressum est dulce* . Tropologice . Immanis corporum helluo mors est, quæ Domini etiam corpus devoravit, quando ille sponte sua mortem gustavit; hoc tamen corpus, victor mortis Christus è mortis faucibus cum gloria repetens, nobis refudit in pharmacum vitæ & salutis . *Et de amaro egressum est dulce* , vere & merito dictum , quandoquidem de morte , qua quidem nihil acerbius , tantæ dulcedinis ac virtutis cibus prodiit , ut naturæ per se mortali , & intractabili immortalem vitam , moresque suavissimos infuderit . Rursus : *De comedente exivit cibus* , Christi videlicet corpus a morte redivivum , quod Ecclesia manducat . *Et de amaro egressum est dulce* : idest dulcedo illa nobis expressa est , quæ omnes gentes ex naturali feritate ad justitiam & mansuetudinem transtulit . Ad literam . *De comedente exivit cibus* , idest mel : Comedens leo est , animal scilicet voracissimum . *Et de amaro egressum est dulce* , idest de leonis cadavere, quod certe palato suave non est, & naribus molestum: vel ipsas apes intelligit, quas amaras dicere licuit , quod infestis aculeis sint armatæ, & pungendo dolorem afferant, vel vepres, & amari succi herbas, quarum flores apes carpere solent .

v. 15. *Dabo vobis triginta sindones* . Tropologice , sindones & vestes a Samsone promissæ ænigma solventibus signant spiritualia indumenta ab Emmanuele iis distributa , quibus credita sunt divina mysteria, & divisiones gratiarum, ministrationum & operationum , aliaque dona hominibus communicata . Nota . Samson ænigma celavit patrem & matrem , non item sponsam suam ; cui nimirum ejusdem solutionem candide aperuit . Id nempe præfinitum erat, ut Christus mysterium Evangelii absconditum a sæculis & generationibus matrem suam synagogam latere permitteret, cujus tamen *Sacramenti divitias , & glo-*

1.Cor. 12. 4.

Colofs. 27.

[illegible]

A *& gloriam notas facere volebat in Gentibus Ecclesiæ suæ.*

Et illi dixerunt ei die septimo : Quid dulcius melle, & quid fortius leone? Qui ait ad eos : si non vitulæ meæ blanditi fuissetis, nec utique exposuissetis problema meum. Samsonis ænigma solutum die septimo, Tropologice præsignabat, septimo mundi millenario manifestanda fore mysteria, quæ per ænigmata & parabolas tradita fuerant, B antequam exhiberetur apparatus epuli nuptialis spiritualis connubii, a Christo cum Ecclesia celebrandi. v. 18.

CAP. XV. v. 15.

I*Nventamque maxillam asini aridam arripiens, interfecit in ea mille viros.* Samson arida asini mandibula Philisthæos prosternens, Christi victoriam adumbravit: quum assumens naturam vietam & defectam, ea Diabolum vicit & mortem de- C struxit. Ex eadem porro natura assumta fons aquarum viventium scaturivit, quarum potu Adam revixit.

CAP. XVI. v. 1.

A*Scendit quoque in Gazam*, & structas a Gazensibus insidias elusit, quum media nocte consurgens apprehendit ambas portæ fores, & portavit ad verticem montis, qui respicit Hebron. Christum hic contemplare utriusque populi Judæorum & D gentium peccata ad montem Calvariæ in semetipso portantem, simul exterminantem a civitate mortem & Diabolum. Civitas autem mundus est.

v. 4.

Posthac amavit mulierem, quæ vocabatur Dalila : quæ dixit ad Samson : quid est, quo ligatus erumpere nequeas? cui respondit : si septem nerviceis funibus adhuc humentibus &c. Samson ter ligatus, ac tandem exoculatus tria populi sui tempora, ac E totidem vinculorum genera expressit, moram scilicet in Ægypto, & inde exitum, & ingressum in Chananitidem. Samson itaque nerviceis primum constrictus funibus, Hebræorum populum Ægyptiorum vitiis & erroribus implicitum designat. Idem novis ex cannabe restibus ligatus, eundem populum figuravit filiarum Madian illecebris in itinere captum. Idem, dum tertio plexis licio crinibus tenetur, F tertium eorundem Israëlitarum statum adumbravit, quando occupatis Chananæorum terris, ipsi vicissim eorum vitiis flagitiisque occupati ac tenti fuerunt : tandem a Christi adventu excœcati sunt.

v. 19.

Vocavitque Dalila tonsorem, & rasit septem crines ejus : & statim ab eo fortitudo recessit. Quumque apprehendissent Philistæi

listæi , eruerunt oculos ejus ; & clausum in carcere , molere fecerunt . Philistęi oculos Samsoni confestim effoderunt , ut quoniam ei vitam adimere nollent , lucis usuram auferrent: sic enim etsi non eandem, at similem certe referrent injuriam, qua ille viros ex Philistęorum gente illustres mille necando ipsos affecerat. Interim nota: Samsonis caput crinibus Nazaręatus insignibus expoliatum prę signabat olim casurum populo Judaico diadema speciei, & coronam gloriæ: Prophetas scilicet & Apostolos a Judęis separandos; peccatum contra tantopere corroborandum, ut idem populus afflictus , & excœcatus servire malis spiritibus cogeretur miserrimam servitutem, ipsaque fere mala sustinere , quæ Samson a Philistęis toleravit. Sin autem in Samsonis casu prę teritas mundi vices & calamitates relegere cupis, cogita primæ ætatis hominum vincula fuisse quasi funes nerviceos adhuc humentes , nec enim mundus ante diluvii tempora in flagitio obduruerat : nam qui infra diluvium vixere homines , peccatis velut restibus ex cannabe confectis obstricti fuere usque ad legem: qui vero legem acceperunt quasi licio textorio illigati sunt. Cęteri cœco in carcere jacuerunt usque ad adventum Domini , nudo capite ambo, defluxerat nimirum illis omnis decor Sanctorum, cujus figura fuit sacra Nazarę orum cęsaries : malis hoc interim spiritibus homini insultantibus, ejusque ruina gaudentibus.

v. 23. *Jamque capilli ejus renasci cœperant*. Dixi sacram Nazarę orum comam symbolum esse decoris Sanctorum , ejus videlicet pulchritudinis, quæ sanctitatis flos est, ac proinde Sanctorum propria: quum ergo Samsonis capillos in carcere renasci, & crescere audis, recole, refloruisse formam Sanctorum, & sanctitatem revixisse, postquam Christus in cruce mortuus fuit, & clausus tumulo . Rursus quum legis, Samsonis caput rescissis Nazarę atus crinibus decalvatum fuisse , postquam cor ejus importunis amoribus implicitum fuit, contemplare velut in propria imagine perfecti hominis casum. Enimvero siquis libidini semel imperium consenserit, huic omnino necesse est, cæteras virtutes, & animi bona simul deperire.

v. 26. & 30. *Dixitque Samson puero : dimitte me, ut tangam columnas domus.... Concussisque columnis , cecidit domus super omnes principes , & cæteram multitudinem : & plures interfecit moriens , quam ante vivus occiderat*.

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

A rat. Hic etiam habes Samsonem expressam Christi figuram. Samson moriens Philistęorum idolum, ejusque ædem evertit. Christus moriens omnium gentium simulacra contrivit, & idololatriam extinxit. Samson moriens plures interfecit, quam vivus occiderat: Christus moriendo mortificavit omnes, quos Apostolus mortuos peccato, & Christo consepultos per baptismum scribit, qui quidem omnem numerum superant. B

Rom. 6. 4.

[illegible]

CAP. XVII. v. 1.

ET fuit vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, qui dixit matri suæ, mille, & centum argenteos, qui tibi ablati fuerunt, ego abstuli. Simul author fuit, ut quod mater olim se vovisse ajebat, actutum exequeretur, & ex eo argento idolum fabricaret.

v. 2.

Cui illa respondit: benedictus filius meus Domino. C Benedixit filio, non tam quod ablatam pecuniam redderet, quam quod usum, quem ipsa secum statuerat, laudaret. Hujus vero historiæ tempus Scriptura paulo inferius indicat, quum narrat idolum ab Ephraimitis conflatum, a Danitis postea cultum fuisse, ejusque ædituum fuisse constitutum Jonathanem filium Gerson filii Moysis. D Sic idololatria ab Ephraimitis excitata, per Daniticam tribum serpere cœpit, post etiam ea contagio quasi pestilentia reliquas tribus invasit.

[illegible]

CAP. XVIII. v. 18.

TUlerunt igitur filii Dan simulacrum, non ut illud confringerent, imo ut Deum sibi facerent.

v. 20.

Et Sacerdos tulit Ephod, & simulacra, ac sculptile, & profectus est cum eis. Levita hic erat, qui a Micha mercede E conductus, idoli illius sacrificus institutus fuerat. Hunc aliquando Danitæ, Michæ domum ingressi, de eventu susceptæ dudum expeditionis idolum consulere rogarunt, post etiam, ut auferret, & abeuntes sequeretur, persuaserunt, polliciti, se illum patris & antistitis loco inposterum habituros.

v. 31.

F *Mansitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.* Videlicet usque ad tempora Samuelis: quando tabernaculum Domini è Silo translatum, in urbe Nobe collocatum fuisse legitur in libro Samuelis.

[illegible]

CAP. XIX. v. 1.

FUit quidam vir Levites, habitans in latere montis Ephraim, qui accepit uxorem concubinam de Bethlehem Juda. Et fornicata est contra eum concubina ejus, & surgens

[illegible]

gens discessit ab eo, reversaque est in domum patris sui in Bethlehem Juda, mansitque apud eum quatuor menses: surgensque vir ejus sequutus est eam, volens cor ejus delinire, & reducere eam. In historia hujus mulieris humanæ naturæ casum considera. Quarto ab ejus discessu mense a marito reducitur: quia quarta anni tempestate adulta jam hyeme Christus natus est, & hominem sua culpa a Deo separatum, & per avia errantem requisivit, & quidem in oppido eodem, ad quod Levita venisse dicitur, uxorem revocaturus. Idem Levita in urbe Gabaa a Benjamitis tecto excluditur, & insuper ignominiose tractatur. Christus a synagoga illusus, etiam civitate ejectus est, quando *extra portam passus est*. Universum proinde Judeorum populum in hac allegoria tribus Benjamin repræsentat: cujus in Levitam ejusque uxorem inauditum facinus hic fuse descriptum habes.

Heb. 13. 12.

CAP. XX. v. 11.

ET congregati sunt omnes viri Israel, & miserunt nuncios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: tradite homines de Gabaa, qui hoc facinus perpetrarunt: qui noluerunt fratrum suorum filiorum Israel mandatum audire. Quid ita? quia nempe tales erant Benjamitarum principes, quales illi ipsi Gabaenses, qui ad supplicium deposcebantur. Cæterum istud a Deo justissimo judicio permissum fuisse credo, quo Israëlitæ, dum mulieris injuriam bello persequuntur, iidem a Benjamitis magnis cladibus affecti, commeritas pœnas darent præposteræ indulgentiæ, quando Ephraimitis & Danitis idololatriam inducentibus, in tanta religionis injuria connivere illos non puduit.

v. 19.

Consulueruntque Deum, atque dixerunt: Quis ascendet nobis primus contra filios Benjamin? Respondit Dominus: Judas sit dux vester. Idest: Quum Benjamitæ facinorosos in ultionem dedere detrectarent, bellum adversus eos decretum atque susceptum est. Consultus Deus, quem juberet esse in ea expeditione ducem, de tribu Juda hunc eligendum esse respondit. Ita respondit, simul concessit, ut bellum susciperent, & susceptum etiam persequerentur, non tam, ut Benjamitas punirent, quam ut ipsi a Benjamitis, quod minime rebantur, punirentur: eo quod alias jussi, antiqua Chananæorum idola, Baalim puta & Astaroth, confringere & eorum fana destruere, id per summam ignaviam Deique contemtum perficere omi-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A omiserant: nunc vero ad vindicandam feminæ necem, integram Benjamitarum tribum delere pararent. Scilicet, qui religionis negotium summi utique momenti, ideoque iteratis a Deo præceptis injunctum, curare neglexerant, rem modo, si non frivolam, certe non magnam, toto pectore persequuntur. Quid enim? num ideo, quod facta fuerat injuria mulieri impudicæ, nec omnino immerenti, B omnes universim tribus vocarentur ad arma, & exitiosum atque turbulentissimum bellum susciperetur, & gereretur, maximo dispendio, summo periculo, & exitu victoribus victisque funestissimo?

v. 21. *Egressique filii Benjamin de Gabaa occiderunt de filiis Israel die illo viginti duo millia virorum.* Idest: quoniam Benjamitæ sontes dedere noluerunt, ad arma utrinque procursum est; commissoque prę- C lio Benjamitæ filios Israel cum ingenti clade repulerunt, cæsis hostium duobus & viginti millibus. Altera nihilominus clade docendi fuerunt Israëlitæ veram mali tanti causam. Quamobrem consultus iterum Deus, bellum esse reparandum respondit. Enimvero si Israëlitæ suam stultitiam in prioris pugnæ eventu agnovissent, non utique alia noxa fuissent monendi. Sed quoniam nec præterita scelera D hactenus vera pœnitentia eluerant; & modo suis viribus temere confidebant, nova clade castigandi fuerunt, qui primam non divinæ ordinationi, sed fortuitis bellorum casibus adscribebant. Commissa itaque acie, Israëlitæ victi sunt, amissis suorum duodeviginti millibus.

v. 34. *Ingravatumque est bellum contra filios Benjamin. Percussitque eos Dominus in conspectu filiorum Israel.* Scilicet, postquam E meritas pœnas dedere, tum qui antiqua Chananæorum idola evertere omiserant, tum qui novum idolum Michæ invexerant, Deo in Israëlitas nocentes, Benjamitarum ipsis nocentiorum opera animadvertente, filii Israel, victoriam a Deo petendam esse intelligentes, ejus auxilium jejuniis & lacrymis implorarunt. Phinees itaque Pontifice orante, & pro communi salute sacrificante, Israëlitæ divino oraculo F moniti, & spe certa victoriæ animati, bellum tertio instaurarunt, quo Benjamitarum tribus ingenti prælio victa, accisa ac fere extincta est, incensis etiam eorum urbibus, & interfectis ubique feminis & pueris.

A

CAP. XXI. v. 16.

DIxeruntque majores natu : *quid faciemus reliquis, qui non acceperunt uxores ? Omnes in Benjamin feminæ conciderunt* . Hæc consultabant, dolentes amissam tribum Benjamin, quam jacturam progressu temporis etiam repararunt. Hic porro dum tribum Benjamin post casum misericordiam invenisse audis, in spem futurorum assurgito, & expecta similem Judæorum Deo aspirante restitutionem & ad

B

fidem in Christum conversionem.

v. 19. *Ecce solemnitas Domini in Silo anniversaria. Quumque videritis filias Silo ad ducendos choros procedere, exite, & rapite ex eis singuli uxores singulas.* Id nempe fieri cogebat necessitas: factumque a Benjamitis legitime annuente magistratu ob commune Reipublicæ bonum. Ne videlicet, si Benjamitæ uxores ab externis quæsivissent, idololatriæ aditus patefieret; vel si

C

celibes permansissent, ea tribus penitus excinderetur. Puellas porro, earumque parentes seniorum dispositioni tandem acquievisse, ex consequenti eventu probabili conjectura deducitur. Vides interim virgines in solemnitate sacra choros ducere & pulsare tympana ? typum Ecclesiarum Christi agnosce : futurum enim erat, ut a multis gentibus, in unum spiritum convenientibus, Prophetarum & Apostolorum

D

oracula spiritualium tympanorum concentu celebrarentur : & Judæi atque Gentiles in unius populi corpus coalescerent.

[illegible]

SAN-

[illegible]

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI *IN SAMUELEM*,

QUI ET PRIMUS LIBER REGNORUM

EXPLANATIO.

CAP. I. v. 1.

Et fuit vir unus de Ramatha Sophim. Ideſt de colle ſpeculantium. Allegoria. Collis ſpeculantium fuit Calvarius mons, quem Prophetæ veteris teſtamenti quaſi a longe ſtantes intenta acie proſpectabant. Speculatores ergo & exploratores populi Dei fuere Prophetæ: *Scrutantes, in quod vel quale tempus ſignificaret in eis Spiritus Chriſti prænuncians eas, quæ in Chriſto ſunt paſſiones, & poſteriores glorias*. (1. Pet. 1. 11.) Rama Prophetarum domicilium, cœleſte regnum deſignat, propriam Prophetarum & Juſtorum ſedem. Eadem urbs, alio nomine, ejuſdem tamen ſignificationis, dicitur Ramath Maſpha, ideſt ſpecula, ſeu locus unde proſpectus longe lateque patebat. (Infr. 10. 17.) *De Ephraim*, ideſt poſita in monte Ephraim, ideo additum, ne cum alia ejuſdem appellationis urbe ſita in tribu Benjamin confunderetur. (Joſ. 18. 21.) *Cui nomen Elcana filius Jeroham filii Eliu, filii Tohu, filii Suph, Ephratæus*. Patria utique non genere, idcirco ejus proavos Scriptura retexit, quo doceat Samuelem Elcanæ filium Levitica ſtirpe natum, quod magis diſtincte explicat in primo libro Annalium, ubi Elcanæ aſcendentes ſingillatim recenſet, & Samuelem in quintadecima generatione a primo Levitarum parente ſtatuit. Profecto ſi Samuel Levita non fuiſſet, nec a matre ſacris miniſteriis obligari poterat, nec porro ab illa oblatus, a Pontificibus filiis Heli ad Leviticum officium admiſſus fuiſſet.

v. 2. *Habebatque duas uxores, nomen uni Anna, & nomen alteri Phenna*. Hinc polygamiam in veteri teſtamento permiſſam fuiſſe liquet, quum nec Elcanam, nec alium quempiam ex hoc capite Scriptura reprehendat, & exceſſum dumtaxat expreſſe Regibus prohibeat. (Deut. 17. 17. & 21. 15.)

v. 3. *Et aſcendebat vir ille ſtatutis diebus, ut adoraret, & ſacrificaret Domino exercituum in Silo*. Ut adoraret, inquit, & ſacrificaret, non ut decimas ſolveret: de-

ci-

cimas quippe ipse Levita non penderet, sed exigere ex legis præscripto debebat. Hostias itaque pacificas vel propitiatorias, quas Levitæ, ut quilibet alius de populo, tenebantur offerre, offerebat, non quidem ipse per se, qui sacerdos non erat, sed per tabernaculi custodes & ejus temporis Pontifices Ophnim & Phineem.

v. 5. *Et Dominus concluserat vulvam ejus*. Cur ita? ut sterilis feminæ partus, Virginis fœcunditati fidem conciliaret. Rursus ut a matris sterilitate futura Samuelis dignitas illustrior suo tempore redderetur.

v. 6. *Irritabat quoque eam æmula ejus vehementer, ut eo magis ipsam tæderet, quod conclusisset Dominus vulvam ejus. Sicque faciebat per singulos annos, quum redeunte tempore, ascenderent ad templum Domini*. Hinc liquet rixam fuisse non solum acerbam, sed quod adhuc acerbiorem reddebat, in multos annos deductam atque in ipsum Dei tabernaculum, ut nimirum Anna ea molestia divino munere liberaretur, ubi experta fuerat emulam sibi magis infestam.

v. 8. *Dixit ergo ei Elcana vir ejus. Numquid non melior sum ego tibi, quam decem filii*. Idest. Quum Anna fleret & præ animi dolore cibum fastidiret, Elcana mœrentem uxorem consolatur & interrogat: *Numquid non ego tibi melior sum &c.* Idest: Anna non plura commoda sperare debes ab uno me, quam a decem filiis? Non est ergo cur orbitatem tuam tantopere doleas. Nam etsi decem filios Phenenna haberet ad obsequium, confidito tamen ab uno me majorem te utilitatem omnino consequuturam.

v. 9. *Et surrexit Anna postquam comederat, & biberat in Silo*. Comedit & bibit, ut marito obsequeretur, suum interim alto premens pectore dolorem, quem videlicet in conspectu Domini profunderet.

v. 10. *Et oravit, & votum vovit Domino dicens: Si dederis servæ tuæ sexum virilem: dabo eum Domino omnibus diebus vitæ suæ*. Oravit, inquit, optimum scilicet tristitiæ remedium esse rebatur orationem, & ab auctore naturæ naturalis ægritudinis medicinam esse petendam. Cur autem masculinam prolem optavit? Pia siquidem femina uteri sui primitias Deo reddere volebat. Idque ex divino utique instinctu fecit, ut ministris templi luxuriæ atque intemperantiæ deditis, Annæ filius succederet, qui pure & caste Deo ministraret.

Di-

[illegible]

A *Dixit Heli : usquequo ebria eris?* Videbat nimirum Annam præter morem intra tabernaculum diutius hærere, animoque orationis intensione commoto ejus vultum minime constare, sed inconditos ciere motus. Noverat etiam paulo ante comedisse & bibisse, temulentam credidit, & proclamavit. Sic Anna, quam cœperat, orationem abrumpere sacerdotis importuna interpellatione coacta est. Allegoria. In Annæ typo Apostolos agnosce Spiritu Sancto plenos a Judæis quasi ebrios fuisse judicatos. — v. 14.

B

Respondens Anna : Nequaquam, inquit, *Domine mi*. Quum Heli Annam musto ebriam crederet, eo quod affectus, fervida precatione excitatus, illam a sensibus alienasse videretur, Anna sacerdoti, qui in ea scandalum passus fuerat, veram rei causam aperuit. *Mulier*, ait, *tristis nimis ego sum*, idest: nequaquam, ut reris, potus mihi sensum abstulit, sed dolor, nec merum bibentem, sed orantem affectus abstraxit. Equidem tristis non essem, si vino plena forem. — v. 15.

C

Tunc Heli ait ei : Deus Israel det tibi petitionem tuam, quam rogasti eum. Intellexit enim eam, quam Anna præferebat patientiam cum temulentia stare non posse. Quare mutata statim sententia mœstam potius consolari studuit, & opprobrationem in benedictionem convertit. — v. 17.

D

Et factum est post circulum dierum concepit Anna, & peperit filium, vocavitque nomen ejus Samuel, eo quod a Domino postulasset eum. Vocavit, idest nato nomen imposuit jure suo, intelligebat enim Pontificis benedictione, & sua oratione patefactum fuisse sterilis uteri clausum. — v. 20.

E

Et adduxit eum postquam ablactavit in vitulo trimo, & similæ sato uno, & amphora vini, & adduxit eum ad domum Domini in Silo. Expectavit igitur donec infantem ab uberibus amoveret, convivium de more celebratura in domo Domini pro ejus ablactatione. Sic votum eo, quo illum postulaverat, die conceptum solvit: hostias simul attulit a lege præscriptas. Samuel quippe primogenitus erat, idemque Nazaræus. Obtulit itaque Domino ex duplici obligatione duplex sacrificium, fructus ventris sui, suorumque agrorum proventum. — v. 24.

F

A

CANTICUM ANNÆ.

CAP. II. v. 1. **C***Onvaluit cor meum in Domino*. Quia sibi quodammodo videbatur convaluisse ex gravi animi ægritudine, quam & sterilitas, & emulæ diuturnum jurgium afferebant.

Exaltatum est cornu meum in Deo meo, per filium mihi divino munere concessum, hactenus scilicet, quamdiu infœcunda fui, dejecta & humilis jacui.

Et apertum est os meum super inimicos meos. Patuit tunc os illud, quod orbitatis meæ tempore ad convicia & Phenennæ contumelias conticuit. Reticuit nomen caute, ne rivalem offenderet.

Quia lætificasti me in salute tua: beneficio, quo me affecisti doloris mei causas sustulisti, sublata quippe orbitate mea, meorum etiam inimicorum petulantiam cohibuisti.

v. 2. *Non est sanctus, ut est Dominus*. Hic Dei laudes aggreditur, ejusque sanctitatem inprimis prædicat. Quos, ait, idololatræ Deos appellant, sancti utique non sunt, sed profana simulacra, & gentium numina mera sunt nomina, neque enim est alius extra te Deus.

v. 3. *Nolite loqui grandia*, quę vestram superant tenuitatem. *Nec de ore vestro prodeat iniquitas, quia Deus cognitionum Dominus est* Censor sapientissimus, & ęquissimus judex: apud quem equidem rea non sum quorum a vobis accusor. *Neque dirigentur in conspectu ejus adinventiones*, quas meditamini vos inimici mei: porro imprudentiam consiliorum vestrorum exitus declarabit.

v. 4. *Arcus fortium confringentur, & infirmi accincti sunt robore*. Ideſt fortes exarmabuntur, arcus quippe eorum conterentur, ideſt ora obstruentur Phenennæ & similium, qui mihi insultare solebant. Et infirmi vires, quas non habebant, adepti sunt, non tamen ad regerendas contumelias, aut referendam injuriam; sed ad dicendas Dei laudes, ejusque sanctitatem & potentiam prædicandam.

v. 5. *Repleti prius pro panibus se locaverunt, & famelici abundaverunt*: Sterilis mater effecta est, quare quid appeteret amplius non habuit: desideravit hæredem, quæ multos habebat liberos. Allegoria spectat gentium multitudinem per Christum fœcundatam, & synagogam Judæorum post Chri-

ܬܫܒܘܚܬܐ ܕܚܢܐ.

[illegible]

B C D E F

[illegible]

A Christi mortem & resurrectionem sterilem effectam.

Dominus mortificat, & vivificat. Vel in sensu proprio vitam & mortem intelligit, vel fœcunditatem & sterilitatem significat, utramque enim Deus pro sua voluntate dispensat, sterilibus prolem impertiens, & immittens fœcundis orbitatem. *Pauperes facit, & ditat.* Opulentorum circumcidit pennas, & tenujorum alas B aureas facit. Quoniam *suscitat de pulvere egenum*. Anna se ipsam cum Phenenna componit, simul populum suum cum Philisthæis, a quibus Hebræi opprimebantur & orat, *ut collocet eum cum principibus*, idest, Populum Israel Philisthæis subjectum. Quandoquidem & alias id ipsum populo suo præstiterat opera Gedeonis, Jephtis & Samsonis. (v. 6.)

Domini enim sunt termini terræ, & C *super eos tetendit orbem*, singulas quippe universi partes cura providentiaque sua complectitur: terram enim, & plenitudinem ejus ipse fecit. (v. 8.)

Pedes sanctorum suorum servabit. Idest Hebræorum, hunc scilicet titulum illi sibi proprium fecerant: hinc Core Moysen & Aaronem alloquens: *Sufficiat vobis*, ajebat, *quia omnis multitudo Sanctorum est. Et impii in tenebris conticeD scent.* Impii Philisthæi & similes peccatores in tenebras inferni carceris relegabuntur. (v. 9.)

Dominus judicabit fines terræ. Suum in Philisthæos judicatum exequetur hoc tempore, & in fine temporum in omnes peccatores. (v. 10.)

Et dabit fortitudinem Regi suo, & exaltabit cornu Christi sui. Optantis oratio est, in qua Anna vel Sacerdotum sacro E oleo unctorum exaltationem prædicit, vel regnum tribui Judæ juxta antiquas promissiones conferendum. Verius tamen est, Annam deterso mœrore lætam, lætissima Messiæ è Davidica stirpe nasciturì tempora hoc loco respexisse, ejusque vaticinari fortitudinem & exaltationem.

Dabit Dominus fortitudinem, & exaltabit cornu Christi sui. Hæc Anna divino F spiritu plena vaticinabatur, prospiciens, quæ a Deo in futuram ætatem disponebantur a moribus sui temporis diversa. Nec enim hactenus Israëlitis datus fuerat Rex: nec porro, qui ejus populi duces creabantur, Christi idest uncti dicebantur, sed ejusmodi appellatio postmodum inducta fuit, quum ex facto populus didicit, Christos appellare Reges, quos vi- (Jac. Edess. in Comment.)

videbat oleo ſacro liniri. Patet ergo Annam non ex vulgi uſu Regem & Chriſtum appellaſſe præſentem aliquem populi principem, ſed futuri Meſſiæ adventum in mente habuiſſe, ac proinde non hominem aliquem de populo deſignare, ſed ipſum Deum Verbum, omnium Regum creatorem & dominum, qui in fine temporum propter noſtram ſalutem venturus erat in carne: *Rex conſtitutus* a Deo patre *ſuper Sion montem ſanctum ejus, prædicans præceptum ejus*, atque Judex judicaturus fines terræ. Hic porro merito appellatur Chriſtus, quoniam ut homo factus ſub lege, in forma ſervi ungendus erat oleo lętitiæ, Sancto videlicet Spiritu, qui ex ipſo exiſtit, & de ſuo accipit. Indeque aſpectabilis nobis factus, Rex & Chriſtus erat declarandus. De hoc igitur Rege & Chriſto Anna prophetavit, dicens: *Dabit Dominus fortitudinem Regi ſuo, & exaltabit cornu Chriſti ſui.*

CAP. III. v. 1.

Samuel erat miniſter in conſpectu Domini ante faciem Heli Sacerdotis. Ita plane: Dominus Samuelis Deus, filiorum Heli, venter erat: ille Domino, iſti abdomini ſerviebant: quamobrem *fecerunt ſibi fuſcinulam tridentem*. Hoc ſcilicet inſtrumentum excogitaverunt, ut quoniam lex in ſacrificiis armum & pectuſculum ſolummodo concedebat, ipſi ſibi raperent, quidquid triſulca illa fuſcina extrahebatur, quod quidem & conſtitutam illis portionem frequenter ſuperabat, nec ſemper partem victimæ reddebat Sacerdoti attributam. Dum autem grandiores cacabos hac arte ſacrilegi myſtę populabantur, nec ollulas præterire ſolitos fuiſſe Scriptura notavit. Tropologice. Telum triſulcum triplex improborum hominum genus deſignat: impios ſacerdotes, malos principes, & prophetas mendaces, eorumque præſertim aviditatem & intemperantiam taxat. Solent enimvero tales homines populos publicæ utilitatis aut religionis prætextu circumvenire, & exacta eo nomine tributa & oblationes ad inſtruendam ſibi menſam, & ad ſimiles abuſus traducere.

v. 22.

Heli autem erat ſenex valde, & audivit omnia, quæ faciebant filii ſui univerſo Iſraëli: & quomodo contumeliam inferebant mulieribus, quæ orabant in tabernaculo. Sacerdotalis officii duæ ſunt partes, altera erga Deum, erga populum altera: Scriptura filios Heli primam neglexiſſe ſupra oſtendit, hic in populum etiam peccaſſe de-

[illegible]

A declarat retexens mala, quæ a filiis Heli tolerabat, & feminarum præfertim de ipsis querimonias. Et illa quidem superius Scriptura tetigit, ubi filiorum Heli notat intemperantiam, populique ea de causa scandalum & a divino cultu aversionem. Quod autem hic subdit, filios Heli contumeliose tractasse mulieres in tabernaculo orantes, non istuc arbitror ad impudicos actus aut inhonestos sermones esse B referendum, adeo ut Heli de talium feminarum honestate dubitaverit, aut pudicitiam easdem prostituisse crediderit, sed de iis potius matronis exponendum esse, quæ ad templum Domini ventitabant & ibi vota & hostias offerre solebant, & pleræque etiam tenebantur, quibus scilicet primogenitum nasci contingebat, quod Annam fecisse dictum est supra: quamobrem sacrificiorum cessationem obje-C ctat: *Non est bona fama, quam audio de vobis: quod cessare faciatis populum Domini*: quasi dicat: Populum religionis curam abjicere cogitis, dum in ventris curam vos ipsi incumbitis. Vestris quippe moribus exacerbati viri atque feminæ legitima etiam sacrificia omittere coguntur, quamquam ad ea offerenda provocent vel culpa commissa, vel natus hæres.

D *Si peccaverit vir in virum, Dominum orabit: si autem in Dominum peccaverit, quemnam orabit?* Idest si homo hominem offenderit, ad Deum profugiet, communem scilicet partis utriusque judicem; orabitque, ut pro sua potestate nocentem absolvat. Sin autem homo in Deum peccaverit, quem appellabit judicem, aut pacis habebit sequestrem? Hinc liquet, eos, qui circa res Deo sacras vel hostias E & altaris oblationes ab officio deflectunt, in Deum peccare & gravissime offendere. Sed etsi hoc verum est, nemini tamen inde desperandum de venia; aut pœnitentiam susque deque habendam. Enimvero Deus, qui injuriam aliis factam ignoscit, si nocens quidem nocuisse se doleat, utique multo facilius proprias offensas condonabit: quamquam & illud animadvertendum recogitandumque est, F pœnitentiam in hoc casu, duram & laboriosam esse oportere, nec nisi morte finiendam.

v. 25.

Venit autem vir Dei ad Heli, & ait: sic dicit Dominus: Revelando revelatus sum domui patris tui, & elegi eum mihi in sacerdotem, ut ascenderet ad altare meum. Etiam, ait, manifestavi meipsum Aaroni

v. 27.

patri tuo, quum populus in Ægypto moraretur, illique postea in deserto sexcentorum millium hominum oblationes addixi. Beneficium fuisse ostendit singulare, eo quod solam Aaronis familiam, cæteris præteritis, Sacerdotio & Pontificatu decorasset, idemque summæ dignitatis ex officio & potestate Sacerdotum atque Pontificum ordini annexis, magnæ demum utilitatis ob amplissimos reditus ex oblationibus, decimis, & sacrificiis provenientes.

ṽ. 29. *Quare ergo fraudem fecistis in sacrificiis, & oblationibus meis?* Patrem alloquitur, & filios objurgat, quod in sacrificiorum administratione multa peccarent, indeque fieret, ut populus sacrificorum petulantia offensus, ipsa etiam sacrificia jam fastidiret & omitteret.

ṽ. 31. *Ecce dies venient, dicit Dominus, & præcidam brachium tuum, & brachium patris tui.* Præcidam, inquit, brachium tuum, idest interficiam filios tuos, & brachium domus patris tui, teipsum, quod quidem non multo post contigisse Scriptura narrat. *Et non erit in domo tua senex.* Insuper, ætatem posteris ejus contrahendam denunciat, quod pœnæ genus Deus impiis frequenter comminatur: Justis contra senectutem bonam & longitudinem dierum promittit. *Neque tenens sceptrum in habitaculo tuo.* Judiciariam & Pontificiam potestatem hic significari patet: utramque tenebat Heli, & utriusque ut insigne, ita symbolum est sceptrum. Ambæ itaque potestates illis merito adimebantur, qui neutram pro dignitate gerebant, & principatus quidem, Heli adhuc vivente, Samueli destinabatur, cui etiam statim illo demortuo collatus fuit. Pontificatus vero ab Heli familia ad Eleazari & Phineæ nepotes translatus fuit anno ab ejus obitu octogesimo.

Infr. 4.

ṽ. 33. *Verumtamen non exterminabo tibi virum ex te ab altari meo.* Hæc Deus ex quodam commiserationis affectu loquutus videtur, ne scilicet, penitus excisa Heli posteritate, Aaronis familia altero velut oculo orbaretur. Vel quod contextui magis convenit, potius pœnam exaggerat: subdit enim: *Ut tenebras inducam oculis tuis, & tabefaciam animam tuam.* Idest, ut nepotes tui, dum recogitant præteritam familiæ opulentiam, & præsentem egestatem intuentur & comparant cum sociorum felicitate, urantur, & mœrore tabescant; & illi quidem tunc doleant, tu modo.

Et

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *Et suscitabo mihi sacerdotem fidelem juxta cor meum*. Samuelem indicare videtur, si vocabulum Cohen in suo ampliori sensu sumatur, ut significet quemlibet sacrorum ministrum, aut etiam virum dignitate, vel opibus spectabilem. Verius Sadocum Pontificem Propheta intelligit, in quem optime quadrant cætera, quæ sequuntur. Quod ad rerum gestarum veritatem attinet, constat Samuelem demortuo Heli in principatu successisse, & Sadocum ejus familiæ ereptum pontificatum adeptum fuisse. Allegoria præsignabat Aaronici Sacerdotii cessationem, & novum Sacerdotum & Pontificum ordinem a Christo instituendum. *v.35.*

B

Futurum est autem, ut quicumque remanserit in domo tua, veniat, ut adoret eum pro moneta argenti, & torta panis. Alteram Heli pœnam denunciat, posterorum scilicet paupertatem, adeo ut obolo & panis torta imo frustulo indigeant, & pro hoc tenui victu ad summum ejus temporis Sacerdotem confugere cogantur. Triplici ergo pœna Heli peccatum expiandum prædicitur, fortunarum, & honorum, atque vitæ jactura. Sensus mysticus, Judæos deprimendos, significat, & Ecclesiam gentium opulentiæ & honoris locum, unde illi dejiciendi erant, adepturam, idque implendum regnante Salomone, quem satis liquet, Christi personam gessisse. *v.36.*

C

D

CAP. III. *v.1.*

E*T verbum Dei erat pretiosum in diebus illis*. Pretiosum dicit, quia rarum: quum enim sermo divinus nullo non tempore sit pretiosus, in diebus Heli erat etiam rarus, & ex hac ipsa raritate pretiosus. Porro verbum Domini evaserat pretiosum, quia viluerat ejusdem templum, & sacra negligebantur: & hic quidem Levitarum sacerdotale officium detrectantium socordia fiebat, ut Dei responsa cessarent: alibi occurret, hæc ipsa oracula interrupta fuisse Regum arrogantia, Sacerdotum munera invadentium: quod dum Oziam attentasse Scriptura commemorat, nec omnino reticuit, eo vivente, Prophetas siluisse, & illo mortuo prophetasse & Dominum vidisse. *Non erat visio manifesta*. Ita plane, eo quod filiorum Heli crimina erant oppido manifesta & compertissima. *Esai. 6. 1.*

E

F

Intellexit ergo Heli, quia Dominus vocaret puerum. Samuel iterum ac tertio a Deo vocatur. Cur autem de nocte? Mala scilicet Deus horrenda denunciaturus, intempestæ noctis tenebras delegit, ut rebus dicendis magis congruentes. *v.9.*

tes : Samuelem porro ideo ter vocat, terque excitat dormientem, ut ejus in somno capiendo sobrietatem, & obsequentissimam in parendo solertiam iteratis experimentis probaret & omnium oculis testatam relinqueret. Idem vocis similitudine deceptus semel & iterum ad Heli ducitur, quippe qui a Pontifice, cui a longo tempore assueverat, docendus fuit, quomodo mentem & animum componere ipsum oporteret, qui Deo vocanti respondere, & loquentem audire jubebatur; res enim erat nova & Samueli prorsus insolita. Sed inerat adhuc alia causa, cur Samuel ad Pontificem iterum ac tertio remitteretur, ut nimirum Heli ter repetito signo monitus plane intelligeret, rem non humano, sed divino consilio agitari, nec hominem somniare, sed Deum loqui.

ṽ. 10. *Et venit Dominus, & stetit, & vocavit semel, & iterum Samuelem.* En quarta vice Dominus Samuelem vocat, nec eo jam vocis sono, quo Samuel Heli loquentem solebat audire, sed grandiore, & quæ prodebat auctorem Heli majorem.

ṽ. 11. *Et dixit Dominus ad Samuelem: ecce ego facio verbum, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* Sensus est. Id faciam, quod quicumque audierit factum, exterritus contremiscat & horreat: similem metum seu horrorem simili metaphora explicat Jeremias: *Ecce ego*, inquit, *inducam afflictionem super locum istum, ut quicumque audierit, tinniant aures ejus.* Manifeste ad cymbala alludit, quæ pulsata resonant. Cymbalum Sislo Syri appellant vocabulo ab eadem radice deducto, quam uterque codex Hebraicus & Syrus hoc loco repræsentat.

Cap. 19. 3.

ṽ. 12. *In die illa suscitabo super domum Heli omnia, quæ loquutus sum super domum ejus, incipiam, & consummabo.* Diem reticuit, ut injecto supplicii terrore nocentes perpetuo timerent; distulit, ut illud si non ex toto, saltem ex parte pœnitentia averterent. *Incipiam* a cęde Ophni & Phineæ. *Et consummabo*, quum Abiatharem postremum de stirpe Heli summum Sacerdotem Pontificatu dejecero.

ṽ. 14. *Idcirco juravi domui Heli, quod non expietur iniquitas ejus victimis in æternum.* Illis videlicet, quas filii Heli sui Pontificatus tempore offerent. Non inquam expiabuntur illorum iniquitates, ut pœnam, quam jurejurando comminatus sum, effugiant.

ṽ. 15. *Et Samuel timebat indicare visionem Heli.* Nec porro Deus Samueli præceperat audita referre, sed nec vetuerat. Ratio-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

A tiones autem cur silentium prætulerit, fuere pudor & timor. Puduit puerum, & simplicem Levitam arguere senem & summum Sacerdotem, tristique supplicii denunciatione terrere. Timuitque simul, ne Deum offenderet, si secretum ex nocturno colloquio sibi creditum sine causa temere divulgaret.

v. 16. *Vocavit ergo Heli Samuelem.* Qui a Pontifice jurejurando & execrationibus adstri-B ctus, quæ præterita nocte sibi significata fuerant, bona fide reddidit. Nec tamen Heli mali tanti denunciatione admodum commotus est, nec enim causam sustulit: at sustulisset, si filiorum peccata castigare, non utique illum piguisset. Respondítque; si Dominus Ithamaris familiæ Pontificatum hactenus obtinere concessit, nunc vero ipsi libet, hunc Eleazari posteris restituere: *Domi-C nus est, quod bonum est in oculis suis faciat.*

CAP. IV. *v.* 2.

PORRO *Philistæi venerunt in Aphec, & instruxerunt aciem contra Israel.* Hujus belli, indeque sequutarum calamitatum causa fuere tum propria Heli & filiorum peccata, tum, quod eorundem ignavia & malo exemplo fiebat, ut populus divinam legem passim & impune proculcaret. Interim divulgata Samuelis fama D universus Israel intellexit, proximam instare mutationem, & Samuelem Dei Prophetam esse, futurum etiam reipublicæ rectorem.

v. 10. *Pugnaverunt ergo Philistæi, & cæsus est Israel.* En altera clades priore utique longe atrocior, in qua triginta Israëlitarum millia ceciderunt, & arca Dei in potestatem hostium venit, ejusque custodes Ophni & Phinees filii Heli interfecti sunt. Arcæ in castra deportatio Christi in E carne manifestationem præfigurabat, eadem a Philistæis capta illum a Judæis capiendum & gentibus tradendum significavit. Rursus: Arcæ adventum maxima clades subsequuta est, quia etsi Judæi ante Christi adventum pluribus affecti fuerint malis, omnium tamen præteritarum plagarum teterrimam ipso præsente acceperunt, & hactenus patiuntur. Item Arcæ F ex ditione Hebræorum ad Philistæorum terras translatio præsagiebat regnum Dei Judæis auferendum, atque tradendum populo facienti fructum ejus. Similiter illa matris Ichabod verba: *Translata est gloria de Israel, quia capta est Arca Dei*, præsignarunt, Christo Judæos deserente, & abeunte ad gentes, illos continuo priscæ nobilitatis insignibus exuendos, atque ad summam egestatem, & abjectionem fore redigendos.

Et

v. 18.

Et factum est, quando ille memoravit arcam Dei, Heli cecidit de sella retrorsum juxta ostium, & fractis cervicibus mortuus est. In vestibulo tabernaculi sedebat legis antiquæ summus antistes, quia Judæus in tabernaculum non manufactum intrare non poterat, nec enim hominibus per legem patuit in cœlum ascensus: idem moritur juxta ostium templi, quia Moysis legem & cœremonias in limine evangelicæ veritatis cessare oportebat & desinere. Postquam arca Domini sublata fuit, summus Sacerdos è cathedra sua dejectus est, quia postquam Christus Judæis subtractus fuit, ipsorum scribæ & doctores è cathedra Moysis super quam sedebant, exciderunt, & populus in summam rerum divinarum ignorationem prolapsus est. Simul cum mystica Arca, quam sustulit in crucem, templum amisit, quod non multo post Romani incenderunt.

Cap. V. v. 3.

Ecce Dagon jacebat pronus in terram ante arcam Domini. Philistæi arcam in urbem Azotum asportarunt, intuleruntque in templum Dei sui Dagon. Hic tamen illa intrante in sua sede non restitit, quin inde dejectus, in terram pronus eandem visus est adorare. Sed & iterum suo loco restitutus, iterum est prostratus & insuper manibus & capite imminutus. Similiter Philistæi, qui arcam ceperant, multiplici plaga afflicti, illius potentiam proprio damno compererunt, & confessi sunt. Sic Arca Domini, quæ Philistæorum armis victa credebatur, & ipsos profligavit, & ipsorum Deum Dagonem sibi subjecit. Hinc porro duæ rationes occurrunt, cur Arca a suis hostibus caperetur: prima, ut Philistæi & Hebræi Arca præsente magnis affecti cladibus propriam stultitiam agnoscerent, illi, quod inanes Deos colerent, isti, quod veri Dei cultum in externis signis reponerent, legis cœremonias observarent, præcepta transgrederentur, tergum verterent Deo, modo Arcæ genua submitterent. Et Philistæi quidem suorum Deorum vanitatem discere potuerunt ex Dagonis Dei sui imbecillitate, quandoquidem nec cultores suos ab infestis reptilibus custodire potuit, nec Arca præsente locum suum, imo nec seipsum tueri. Altera, ut ambæ nationes solverent pœnam peccati, quod in Arcam admiserant, Hebræi primum illius tabernaculum profanando, & legem in ea repositam transgrediendo; deinde Philisthæi, Arcam non ea, qua par erat reverentia tra-

[illegible]

A tractando, eique Deos ſuos anteferendo: remiſerunt enim Arcam, & Dagonem retinuerunt.

v. 5. *Aggravata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos, & percuſſit in poſtertore parte natium.* Primum in opprobrium, ut interpretatur David: *Opprobrium ſempiternum dedit illis.* Dixerant alias Philiſtæi: *Confortamini Philiſtæi, & viri eſtote*; nunc vero victo-B riam propriæ virtuti adſcribebant, perinde quaſi in heſterna pugna ipſi viri, feminæ Hebræi fuiſſent: quamquam Hebræis non virtus, ſed vera pietas defuiſſet, & Philiſtæis non ſua virtus, ſed aliena ſcelera victoriam contuliſſent. Idcirco infami ſupplicio caſtigari juſtum fuit hominum ſuam virtutem ſuperbe prædicantium oſtentationem. Hanc porro plagam alia ſimilis ſequuta eſt, ut ex ſequentibus C colligitur, poſtquam Philiſtæorum regiones immenſam ſcorpionum copiam effudere, agris villiſque exitialem. Sic enim futurum erat, ut capta Arca, qui Chriſtus eſt, & loco non ſuo illata, Chriſto nempe ſepulto, ſepultas Sanctorum reliquias mors & Infernus refunderent, ita tamen ut quemadmodum illa reptilia terram unde naſcebantur, demoliebantur, ſic, ſuperata morte, Juſtorum corpora Inferno emitte-D rentur, ipſumque Infernum ſubruerent, & ipſam mortem deſtruerent.

v. 11. *Dimittite arcam Dei Iſrael, & revertatur in locum ſuum.* Arcam vero ad ſua redeuntem ſequuntur ani, & ſcorpiones aurei, Philiſtæorum anathemata. Divina ſcilicet diſpoſitione iſta fiebant, quo cunctis circa gentibus innoteſceret, Philiſtæorum regnum opibus modo & armis ſuperbum a Deo depreſſum fuiſſe & pro-E fligatum congruente ipſius arrogantiæ telo, viliſſimorum nempe reptilium colluvie, plagaque, qua nulla inhoneſtior, ano quippe inflicta, quo in humano corpore pars nulla magis pudenda.

CAP. VI. v. 8. F*Acite plauſtrum novum, & vaſa aurea ponetis in ciſta ad latus ejus.* Philiſtæi, Arcam intra fines Hebræorum aſportan-F dam, plauſtro imponunt, non ſuis humeris vehunt, quia nec homines habebant, quibus ex aliqua conſecratione iſtud ex officio competeret: nec ſi homines Arcam portaſſent, augurio locus fuiſſet; Philiſtæorum quippe Sapientes reſponderant, ex curſu boum, ſeu recta incederent, ſeu retrocederent, illud eſſe capiendum. Rurſus ad avehendam Arcam, plauſtrum conſtru-

ſtruxere novum, aliquod ſcilicet Arcæ numen ineſſe credebant, cogitabantque qualem illa ſibi ſedem nuper in æde Dagonis vindicaſſet.

v. 15. *Levitæ autem depoſuerunt arcam Domini ſuper lapidem grandem. Viri autem Bethſamitæ obtulerunt holocauſta, & immolaverunt victimas Domino.* Iſti ſcilicet animalia de proprio dederunt; ſacerdotes vero, quod ſui muneris erat, ſacrificia peregerunt. *Holocauſta*, inquit, in quibus tota hoſtia cremabatur: & *victimas*, ideſt hoſtias pacificas: generis enim utriuſque, ſive altereutrius ſacrificia offerre pro acceptis beneficiis tenebantur, quæ quidem lex Hebræos tum maxime pro Arca recepta urgebat. Tropologice. Arca prius in ædem Dagonis condita, indeque poſt ad ſuos revecta in agro Joſue Hebræis reſtituitur. Hæc futuram Prophetarum in Chriſto reſtitutionem ſignificabant. Omnes ſiquidem Prophetæ, qui Chriſti adventum prædixerunt, Chriſto præmortui ſunt, ipſiſque morientibus commori credebantur eorumdem oracula; proinde nec vera eſſe, nec ullum effectum aliquando habitura. Sed poſtquam Chriſtus natus eſt, & mortuus reſurrexit, quem Prophetæ venturum, ac moriturum prædixerant, & a mortuis reſurrecturum, ſimul ipſi, ſimul ipſorum vaticinia reſurgere viſa ſunt, Chriſto exhibente quæcumque ab eo exhibenda prænunciaverant. Tum vero Arca antiqui fœderis ad nos reducta fuit in agro veri Joſue, ideſt Salvatoris, in quo, ut ait Apoſtolus: *Inſtauravit Deus omnia.* (Epheſ. 1. 10.) Quum ergo Judæi Chriſtum interim occidere cogitarent, vere & merito illis denunciavit, ab eis requirendum fore omnem ſanguinem Juſtorum & Prophetarum, qui hactenus effuſus fuerat, a ſanguine juſti Abel uſque ad ſanguinem Zachariæ, quem ſciebant poſtremum Prophetarum a ſuis majoribus fuiſſe interfectum. Occiderunt Judæi dominum Prophetarum, & Prophetas ipſos occiderunt, qui in illo vivebant, & loquebantur.

CAP. VII. v. 1. **E**T *venerunt viri de civitate Jarin*, ideſt ſylvarum, *& reduxerunt Arcam Domini, & intulerunt eam in domum Abinadab in Gabaa*, ideſt in colle, hic nempe ſita erat civitas ſylvarum, cui ſuberant in proxima valle Bethſamitæ. Myſtice. Arca Domini in civitatem ſylvarum transfertur, quia lex Chriſti ad multitudinem gentium traducenda erat: quo-

A quocirca dicit Propheta : *invenimus eam in campis sylvæ* : quæ enim sylva fuerat inculta & horrida , versa est in campum cultissimum , atque amœnissimum , idest in populum novum , ęmulatorem bonorum operum . *Tit. 2. 4.*

Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt , ut custodiret illam . Eleazar Levita erat , quare Levitarum communi jure ad custodiendam arcam deputatus fuit , B ipse non Abinadab pater ejus, qui familiari cura distentus ad arcæ custodiam excubare non poterat. Fuit Eleazar Ozæ frater , ambo Abinadabi filii, hic arcam religiose custodit & benedicitur, ille temerarie contingit, & occiditur.

Ait autem Samuel ad universam domum Israel , auferte Deos alienos de medio vestri, & lucos . *v. 3.* Hinc colligitur prędicationem C Samuelis non uno fuisse definitam loco : dicitur enim absolute facta ad universum populum Israel, idque manifestius deducitur ex iis , quæ infra leguntur , ubi dicitur Samuel per singulos annos circumire solitus fuisse Bethel, Galgala & Masphat. Luci , quos Samuel hic succidi , extirparique jubet , erant loca quædam secretiora proceris densiorisque frondis arboribus opacata , Deorum fanis D & statuis veneranda , quibus Hebræi ex gentium errore divinum numen inesse credebant , indeque sibi laqueum fecerant, ut a patrum religione discederent.

Et convenerunt in Masphat , hauseruntque aquam , & effuderunt in conspectu Domini . *v. 6.* Hac scilicet cœremonia novum cum Domino fœdus firmandum fuit, quę quidem ab Hebręis usurpari solebat in modum execrationis , quasi dicerent: E sicut aquas istas effundimus , sic noster sanguis effundatur, si inposterum a Domino defecerimus , & ad Deos gentium transierimus . Mystice hæc cœremonia divini Verbi cum terreno corpore conjunctionem designat , juxta illud Davidicum : *Descendet sicut pluvia in vellus* , *& sicut stillicidia stillantia super terram* : *Psal. 71. 6.* adumbratque futuram mundi per baptismum expiationem . F

Judicavitque Samuel filios Israel in Masphat , idest Judex factus pro officio subditum sibi populum reprehendit, quod Baalim & Astaroth Chananęorum Deos coluissent, monuitque, ut in patrum religione constanter persisterent. Quod etsi ab inito magistratu facere non omiserat, in hanc tamen curam tum maxime incubuit, postquam universus populus ad pœnitentiam perfe-

ête dispositum reperit. Recte porro dicitur Samuel populum in Masphat judicasse, speculam quippe significari hoc vocabulo supra annotavimus: Judicem namque in specula sedere oportet, & ante sententiam omnia explorare, & perquirere.

ꝟ. 7. *Et ascenderunt Satrapæ Philistæorum in Israel*, armati utique paratique ad prælium. Suspicabantur enim Israëlitas sibi subjectos in Masphat convenisse ad vendicandam communem libertatem, & Samuele duce bellum moliri: quod quidem aliquo post acceptas clades temporum spatio contigit, adeo ut Philistæi non sine ratione crediderint Hebræos attritas præteritis cladibus vires reparasse.

Quod quum audissent filii Israel, timuerunt a facie Philistæorum. Primum, quia nec dum sciebant Deum sibi placatum, & præteritorum scelerum conscii divino auxilio non multum confidebant. Secundo, quia ipsi inermes cum instructissimo Philistæorum exercitu sibi confligendum cogitabant. Nec enim ad ineundum prælium, sed ad agendam poenitentiam convenerant. Tropologice. Populus postquam resipuit & ad poenitentiam conversus est, infestiores sibi sensit Philistæos: id enim poenitentibus plerumque contingit, ut dum pie vivere incipiunt, graviores a diabolo & ab hominibus persequutiones patiantur.

ꝟ. 9. *Et clamavit Samuel ad Dominum pro Israel*, cunctis timore trepidantibus & de exitu belli vehementer sollicitis: & obtulit holocaustum, etsi non sacerdos, sed simplex Levita esset, ut supra ostendi. Sacrificavit autem vel per ordinarios ministros sacerdotes, vel ea facultate, qua ex Dei dispensatione etiam laicis quandoque sacrificare licebat, nam Heliam sacrificasse Scriptura testatur, quamquam & ipse nec Sacerdos fuerit, nec Levita.

ꝟ. 10. *Intonuit autem Dominus in die illa super Philistæos, & perturbavit eos, & contriti sunt a facie Israel.* Dominus Philistæos cœlestibus tonitruis, ac tempestatibus exterruit, populus territos & attonitos adortus cecidit & fugientes insequutus est. Sic Hebræi Philistæis acceptas clades Samuele orante & Deo pro ipsis pugnante, retulerunt. Duo ergo significabat inusitatus ille tonitruum fragor, Deum videlicet, & Samuelis precationem exaudisse, & Philistæos perditum venire. Inde rursus intelligebat populus, Deum qui-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

[illegible]

A quidem esse victoriæ authorem, sibique inposterum ejusdem potentiæ potissimum esse confidendum, Philistei vero monebantur eo bello desistendum, nec adverso Deo quidquam de cætero esse tentandum, quod Scriptura statim declarat, subdens: *Nec apposuerunt ultra Philistai, ut venirent in terram Israel*, Samuele rempublicam gerente.

v. 12. *Tulit autem Samuel lapidem unum, & posuit eum inter Masphat, & Sen, dicens: hucusque auxiliatus est nobis Dominus*, idest a Maspha usque ad hunc lapidem Deus pro nobis pugnavit, & Philisteos hostes cecidit. Ex communi more suorum temporum Samuel id fecit, fecit & in simili casu Absalom, sibi tamen, Samuel Deo. Tropologice. Lapis positus inter duos terminos Christum significabat, lapidem pretiosum & angularem inter duo testamenta, Prophetas scilicet & Apostolos locatum: Maspha quippe, ut supra annotatum fuit, speculam, seu speculationem significat, & Prophetas designat. Christum autem venturum prædixerunt Prophetæ preeuntes, eumdemque sequentes Apostoli jam venisse nunciarunt, quos bene Sen alter terminus representat, a cæteris namque hominibus Apostoli proeminuerunt, proeminentiores autem montium partes illud vocabulum significat.

CAP. VIII. v. 4. Congregati ergo universi majores natu, dixerunt ad Samuelem. *Filii tui non ambulant in viis tuis: constitue nobis Regem*. Probabile est conspirationem istam a tribu Juda fuisse conflatam, cujus principes, imperium deferendum sibi, singuli sperabant ob tribus suæ prerogativam, principatum enim communis pater Jacob tribui Judæ presagiverat. Causam, cur Regem peterent, ajunt esse Samuelis filiorum depravatos mores. At si filii improbi fuerunt, cur de ipsorum improbitate pater non reprehenditur, nedum ut Heli punitur? Quia scilicet avaritia & acceptio munerum, quod crimen ipsis hic unice objicitur, nec in propatulo fiebat, nec adeo erat manifesta, ut Samuelem latere non potuerit, vel ob distantiam locorum, filii quippe in Bersabee habitabant, pater in Ramatha, vel ob populi dissimulationem, plerisque filiorum malefacta Samueli excusantibus, ne si accusassent, parentis exulcerarent animum, & filiorum potentiam in se provocarent. Accusarunt postea, ne ipsum Samuelem accusarent, quum enim hunc a republi-

cæ administratione amovere studerent, nec tamen auderent, aut possent mores arguere, ipsi ætatem, filiis avaritiam objectabant, ne non sine causa postulasse viderentur regiminis mutationem.

Ecce tu senuisti, Regem petituri alteram rationem præmittunt. En, ajebant ad Samuelem, confectus senio & viribus defectus militiæ labores ferre non vales, nec exercitum ducere, nec arma tractare, aut castra sequi. Ergo *da nobis Regem, & erimus sicut ceteræ gentes, & judicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra*. Hinc liquet Israëlitas existimasse summam potestatem in summo reipublicæ periculo esse constituendam, summum autem periculum eo tempore ab Ammonitis imminebat, & regiam potestatem esse omnium maximam sciebant. Certe hanc solummodo causam, cur Regem postulassent, postea Samuel expressit in ea concione, quam habuit ad populum post Saulis inaugurationem. (*Infr. 12. 12.*)

(*v. 6.*) *Displicuit sermo in oculis Samuelis*. Non quod hęc petitio in ejus, aut filiorum depressionem despectumque redundaret, nec quod rectorem simpliciter postularent, nam a temporibus Patriarchæ Jacob Israëlitæ duces, & judices fere semper habuerant. Moyses vero latis de regimine Regum legibus, Reges utique sibi præficere illis tacite permittebat. Sed quia dixerant: *Da nobis Regem, & erimus sicut ceteræ gentes*, quare petitio ex superbia manabat, quod ipsis viderentur aliæ gentes regia dignitate præcellere: sive ex ingenito in idololatriam affectu talem rectorem sibi præesse volebant, qui more gentium omnes promiscue Deos colere permitteret: quod quidem si hoc tempore minime intendebant, certe postea a suis Regibus extorserunt. Hebræi Samuelem contemnentes, & Regem depostulantes, posterorum suorum insaniam adumbrarunt, Christum Regem a Deo constitutum coram Pilato negantium, & a Cæsare gubernari se velle protestantium, dixerunt enim: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*. (*Jo: 19. 15.*)

(*v. 7.*) *Non enim te abjecerunt sed me, ne regnem super eos*. Consolatur Deus Samuelem, merito ęgre ferentem, se ab eo populo contemni, quem tot tantisque beneficiis affecerat, suamque Dominus servo patientiam imitandam proponit. Non enim, inquit, te, sed me abjecerunt, ne per te nomine meo, meisque legibus ipsos gubernantem regnem super eos: & alium

[illegible]

A alium Regem postulant, & leges a gentibus usurpatas: non hoc novum est, aut ipsis insolitum, quum id faciant *juxta omnia opera sua, quæ fecerunt a die, qua eduxi eos de terra Ægypti*. Peregrinas religiones innuit, ab Hebræis post Ægyptiacam servitutem susceptas, ut mox declarat. *Sicut*, inquit, *dereliquerunt me, & servierunt Diis alienis, sic faciunt tibi*.

B *Verumtamen conteStare eos*. Idest vide, ut adhibitis testibus illos commoneas, qui occulta & parva furta filiorum tuorum tolerare minime potuerunt, (nam magnas & manifestas rapinas facere ausi non sunt, ne si fecissent tuam indignationem incurrerent) commoneas, inquam, de pręficiendorum sibi Regum moribus & legibus, quænam videlicet onera, quam gravia quamque iniqua ipsis impostituri sint, quave licentia & rapacitate privatas C & publicas opes sint depeculaturi. Quum ergo nec acerbæ servitutis denunciatione ex ea regiminis mutatione certo sequuturæ a sententia dimoveri potuerint, palam factum est, eos qui Samuelis liberos a reipublicæ administratione amovere nitebantur, non illorum avaritia, quæ, ut dixi, facile dissimulari potuisset, ad petendum Regem permotos fuisse, sed callida in primis ambitione impulsos, quod unaD quæque tribus illam summam potestatem sibi deposceret, vel quia omnes universim sperabant, creato Rege, sibi de cætero liberum fore, quoslibet Deos colere, horumque deinceps festa agitare, atque adeo obtentu religionis obscœnas libidines more gentium exercere, atque ebrietati impune vacare, in hortis, & secus fontes turpissima cum voluptate insanire, legis divinæ fręnum solvente religionis suE sceptæ licentia. Hoc fuisse Hebręorum in petendo Rege votum, mere conjicimus; conjecturam tamen esse bonam, ostendit eventus, quum testes habeamus Prophetas, Judęos Regibus instigantibus, vel conniventibus in ea omnia, quæ dixi, scelera postea prolapsos fuisse.

v. 9.

CAP. IX. *v.* 1.

E*T erat vir unus de filiis Benjamin nomine Cis, & erat ei filius vocabulo* F *Saul vir fortis & bonus*. Quoniam omnes tribus, & in primis Juda gubernationem Samuelis, atque adeo institutam a Deo regiminis rationem non probabant, Regemque postulabant, quia singulæ sibi regnum obventurum sperabant, merito excluduntur universæ, & assumitur tribus Benjamin omnium minima, quæ ad paucos reda-

dacta tribui Judæ se junxerat, atque in præsenti vix antiquum nomen ednum gloriam retinebat. Tropologice. Saul, idest *postulatus* suo nomine ac dignitate Christum præsignabat, qui primus & solus est Rex, idemque *desideratus cunctis gentibus*, *& spes collium æternorum*.

Agg. 2. 9. Gen. 49. 26.

v. 3.

Et dixit Cis ad Saul filium suum: tolle unum de pueris, & consurgens vade, & quære asinas. Saul asinas quærens invenit regnum, sic populus gentium, quum intentus terrenis rebus huc illuc oberraret, cœleste regnum per Christum accepit, postquam doctus est, non infra, sed supra humana, bonum suum sibi esse quærendum. *Qui quum transissent per terram Ephraim.* Hic humanam naturam post lapsum incertis sedibus vagantem intuere. Saulis quippe transitus per terram Ephraim, idest *crescentis*, primam naturæ adoloscentis ætatem repræsentat, quum in agris homines bestiarum more vagarentur. Et per montem Gumore, nomen loci, quod agrum cucumerum verto, & subsequentes annos a diluvio usque ad legis lationem designat, quo temporum intervallo genus humanum, confusa per idololatriam mente, velut viæ ignarum huc illuc, quo cœca voluntas ferebat, erravit. Transierunt etiam per terram Tahalim, idest Vulpium, transactum post legis promulgationem tempus significat, & Hebræorum regressum in Chananitidem, quam Vulpium terram recte dixeris, attentis moribus Regum & populorum, quos Josue & reliqui Judices exterminarunt. Hucusque Saul de amissis asinis sollicitus, ac tristis erravit, & errantem Adamum expressit. Hinc enim ad terram Sur, idest Tyri provectus, spiritualis sponsæ ditionem intravit, indeque ad Prophetæ diversorium recta ducitur, a quo per sacram unctionem Rex inauguratur, & caput ei diademate cingitur. Est ergo filia Tyri Ecclesia ex gentibus congregata, de qua David magnifice cecinit, ubi filias Tyri dona ferentes ad templum Regis Christi prophetico spiritu describit. In hac porro Ecclesia Adam unctus est, & coronam cœlestis regni accepit.

Psal. 44.

v. 14.

Quumque ascenderent clivum civitatis, invenerunt puellas egredientes ad hauriendam aquam. Virgines ad fontem venientes sunt mentes Sanctorum, haurientes *aquas de fontibus Salvatoris*, Sancti Spiritus charismata, sapientiam, scientiam &c. Ab urbe egrediuntur, dum a terrenarum curarum tumultu secedunt.

Is. 12. 3.

Le-

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *Levavit autem Cocus armum , & quod supra , & posuit ante Saul .* Sauli venienti occurrit Samuel , & ambo ascendunt ad excelsum, peracto sacrificio Saul in triclinium a Samuele introducitur & convivio excipitur . Viden', ut Samuel ascendit ad excelsum & sacrificat , descendit in triclinium & Saulem Regem designat : utrumque Prophetæ & Judici congruebat , alta petere ad rerum B divinarum contemplationem , & ad ima descendere , ad reipublicæ administrationem . Post sacrificium Samuel epulum parat , id nempe in sacrificiis pacificis fieri solebat , fecitque pater ejus Helcana . Quod ait , Cocum extulisse armum , & quod supra , significat , Crus & Coxendicem simul Sauli apposita fuisse . Tropologice . Armus & Coxa corporis ossa fortissima Saulem monebant , po- C puli moderatorem forti magnoque animo esse oportere, utpote cui tota reipublicæ moles incumbat. — v. 24.

CAP. X. v. 1.

T*ULIT autem Samuel cornu olei , & effudit super caput ejus .* Ungitur Saul primus Regum , ut esset typus Christi, qui est princeps Regum terræ a Deo constitutus , & unctus oleo lętitiæ . Oleum D sacrum non fuit , Saul enim reprobandus erat , & a Propheta non a Pontifice ungebatur, solebant enim Pontifices oleum sacrum ad Sacerdotum & Regum unctionem adhibere.

v. 2. *Quum abieris hodie a me , invenies duos viros juxta sepulcrum Rachel .* Samuel , Saulem de sua exaltatione dubitantem quadruplici signo confirmat : primum, prædicendo duorum virorum occursum, inven- E tionem asinarum nunciantium . Secundum , ipsius Saulis cum quibusdam viatoribus ad orandum in Bethel tendentibus congressum . Tertium , Prophetarum cantantium & ducentium choros conspectum . Quartum, spiritus in eundem Saulem illapsum . Nihil horum Sauli non accidit, postquam a Samuele discessit . Ajunt Prophetas illos , adveniente Saule , de futura ejusdem inauguratione vaticinari cœpisse , & F hoc ipsum vaticinium Saulem illabentis spiritus impetu actum recinuisse , quod quum Samuel prævideret , dictis Saulem suis morose obluctantem cum his verbis dimisit . Heus tu , qui me tibi verba dare reris , ipsemet , quæ vera cano , recantabis , postquam Prophetarum choro fueris sociatus .

v. 9. *Et factum est, quum avertisset humerum, ut abiret a Samuele, immutavit ei Deus cor.* Saulis nec alta, nec ad gubernationem valida mens, divino spiritu nunc ad summa erigitur, & infuso animi robore novo muneri aptatur. Non ergo spiritus cor illius refinxit ad justitiam, sed ad magnanimitatem, ut qui paulo ante asinas quærebat, de regni administratione deinceps cogitaret.

v. 11. *Et insiluit in eum Spiritus Dei.* Angelus autem ad Mariam: *Spiritus Sanctus*, ait, *superveniet in te*: & ad Joseph. *Quod in ea natum est, de Spiritu Sancto est.* Spiritum Sanctum dicit, quem hic Spiritum Dei Scriptura nominat, ibi enim Spiritus divinus Virginem sanctam faciebat, hic Saulem, ut dixi, non sanctificabat, sed tantummodo roborabat. *Et prophetavit*, vel quia ea, quæ Prophetarum cœtus ille canebat, ipse recinebat, vel quia, Spiritu docente, didicit futura predicere, & cantare.

v. 13. *Et cessavit prophetare, & ascendit in excelsum.* Cessavit, inquit, quia Saul ad regni administrationem vocabatur, ad quam perpetuum prophetiæ donum utique necessarium non fuit. Contra septuaginta seniores, quos Moysis vices supplere oportebat, prophetasse dicuntur, nec ultra cessasse. Inde ubi Prophetarum cuneum invenerat, Saul ascendit in excelsum, Deo gratias acturus, cui prophetiam, & regnum accepta referebat.

Num. 11. 25.

v. 21. *Et quum rursus applicuisset tribum Benjamin, deprehensa est cognatio Metri.* Quoniam omnes, ut dixi, tribus, & inprimis tribus Juda principatum affectabant, videbat Samuel, populum electioni Saulis neutiquam assensurum, sicut nec eorum majores Moysi Aaronem ad Pontificatum promoventi obtemperaverant. Idcirco electionem secreto factam, publico signo confirmat, jactis sortibus more majorum. Sic enim sacrilegium Achar a Josue sortibus deprehensum fuit, & post hæc tempora Jonathæ inobedientia prodita est. Sors, Deo urnam temperante, Saulem extulit, litem diremit, Saulem ambitu absolvit, & Samuelis æquitatem & sapientiam declaravit.

v. 27. *Filii autem peccati dicebant: in quo salvabit nos iste? Et despexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* Postquam Saul Domino ejus latebram indicante, è sarcinis, intra quas se abdiderat, eductus est, & Rex in publico conventu proclamatus fuit,

[illegible]

fuit, dimissa concione abiit in domum suam in Gabaa, sequuti sunt pauci quidam, illi videlicet, qui nec Regem postularant, nec regnum ambiverant. Filii autem iniquitatis, illi scilicet, qui tanto clamore Regem petierant, postquam Rex datus fuit & spes regni sublata est, reclamant, & ducem ineptum & inutilem arguunt. Allegoria Judæos manifeste perstringit. Messiam venturum omnibus votis desideraverant, præsentem despexerunt, imo & crucifixerunt. *In quo*, ajunt, *salvabit nos iste*? Benjamiticæ tribus paucitatem videbant, & ignobilitatem familiæ Saulis ac tenuitatem; hostium contra potentiam cogitabant, Philisteorum, scilicet & Ammonitarum. Nec Saulem proprio nomine appellant, despicientium & detestantium more: sic Judæi, quum quærerent Christum capere, dicebant, *ubi est ille*? (*Jo.* 7. 11.) *Nec attulerunt ei munera*, quia nec amabant, nec de ejus electione magnopere gaudebant, & plerique tristabantur. Contra refert Scriptura Salomoni a cunctis ipsius ditioni subjectis populis munera afferri consuevisse; & Prophetæ, ut significent Christi imperium ad extremos usque fines terrarum longe lateque propagandum, ajunt a cunctis undique gentibus eidem dona fore afferenda.

[illegible]

CAP. XI. v. 6.

ET *prosperatus est Spiritus Dei in Saul, quum audisset verba hæc .... Et percussit Ammonitas usque dum incalesceret dies*. Spiritus is fuit, quem Esaias (11. 2.) appellat spiritum fortitudinis & consilii: uterque enim Sauli homini timido & rustico necessarius fuit: & vero utrumque fuisse Sauli communicatum ejusdem prudentia & audacia in cogendo exercitu, in instruenda acie, & ordine atque successu pugnæ satis ostendunt. Divisis namque copiis in tres partes, sub auroram Ammonitarum castra, ut pervigilio neglecta invadit, & diripit; milites, in fugam conversi, cæduntur plerique, reliqui disperguntur, adeo ut nec duo quidem simul fuerint relicti. Voluit nimirum Deus tam illustri victoria Samuelis in eligendo Saule judicium tueri, ipsi Sauli auctoritatem conciliare, ejusque adversariorum obtrectationes falsas ostendere.

CAP. XII. ℣. 3.

D*Ixit autem Samuel ad universum Israel : Ecce præsto sum, testificamini de me coram Deo, & coram Christo ejus.* Saul fugatis ab urbe Lachis Ammonitis, solutaque obsidione, Galgalam profectus est : hunc nempe locum Samuel generalibus populi habendis comitiis condixerat, statueratque ibidem novi Regis electionem omnium tribuum conjunctis suffragiis confirmare, suæque administrationis rationem Regi populoque presentibus reddere. Et quoniam audierat liberis suis avaritiæ crimen maxime objectari, in hoc primum incubuit, ut ostenderet quantum ab eo vitio ipse abfuisset. Certus proinde bonæ conscientiæ testimonio fidenter universam concionem provocat. *Testificamini adversum me*, inquit, *coram Domino, & coram Christo ejus, utrum bovem cujusquam tulerim, aut asinum, si quempiam calumniatus sum, si oppressi aliquem, si de manu cujusquam munus accepi, aut oculum intendi in illud*: quasi dicat. Loquimini utrum tauros cujuspiam aratro meo junxerim, aut addixerim areis meis ad trituram, utrum alicujus jumenta ad meos usus averterim, si quantulumcumque munus, vel sponte oblatum admiserim. Testes igitur habeo vos universos, me nec rapinis delectatum fuisse, nec fuisse insidiatum pecuniis aut rebus vestris; imo vero crimine ab isto tantopere abhorruisse, ut non modo manus, sed oculos quoque meos ab omni munere continuerim. Similis conscientiæ testimonio fretus magnus Paulus ad Corinthios scribebat: *Capite nos, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem circumvenimus*. Cæterum, etsi Samuel res in sua administratione præclare gestas commemorare poterat, suam tamen solummodo integritatem, & in omnes subditos suos charitatem comprobare studuit: primum, quia, ut dixi, crimen filiis objectum, imo & ejusdem suspicionem a se amoliri satagebat. Secundum, quia prævidebat Saulem in contraria vitia avaritiæ & crudelitatis impacturum, commonere voluit, qua modestia, quave benignitate erga suos subditos illum uti oporteret. Verumtamen dum hic Samuelis in suorum popularium gubernatione clementiam & charitatem commendari audis, cogita Christi nobiscum conversantis in Judæos & Gentiles, in benevolos & adversarios mansuetudinem & facilitatem. *Myrrham*, inquit divinus Da-

2. Cor. 7. 2.

Psal. 44.

[illegible]

David, *& casiam, & stacten olent omnia vestimenta tua*; Christi in omnibus suis dictis & factis suavitatem commendans.

Nunc ergo state, ut judicio contendam adversum vos coram Domino pro omni justitia, quam fecit vobiscum, & cum patribus vestris..... Qui obliti sunt Domini Dei sui: & tradidit eos in manu Sisaræ magistri militiæ Hasor. Postquam divinus Samuel suam in administranda republica innocentiam adversariorum etiam testimonio probavit, eo liberius progreditur ad reprehendendam populi in petenda regiminis mutatione stultitiam, Deoque irrogatam in hoc facto injuriam. Petitis itaque ex antiqua ac recenti historia exemplis demonstrat, Israëlitas nunquam a Deo fuisse desertos, quin sincere resipiscentibus & illius opem poscentibus succurrerit; ut concludat, oppido importunam fuisse, Deoque injuriosam populi petitionem, quasi vero ipsos ab imminente Ammonitarum invasione tutari nollet, aut non valeret. Tres proinde servitutes commemorat, primam in manu Eglon Regis Moab, secundam in manu Sisaræ præfecti militiæ Jabin Regis Hasor, tertiam in manu Philistæorum.

Et misit Dominus Deboram, & Barac, & Gedeonem, & Jephten, & Samsonem, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum. Eruit, ait, *Dominus vos*, non vestri Duces & Judices: nec enim sua virtute, sed Deo ipsis opitulante, & interdum etiam hostium copias mirabiliter fugante, vicerunt. *Per circuitum* Israëlitarum scilicet ignavia factum est, ut in medio terræ promissæ constituti a gentibus undique obsiderentur: quas utique pro bono pacis, ac religionis delere jussi fuerant, ac facile exterminare potuissent, si non securitatem publicam, privatæ suæ quisque utilitati posthabuisset: disperdere scilicet noluerunt, quia servos & vectigales habere volebant, quam ob causam ab Angelo reprehensi sunt.

Videntes autem, quod Naas Rex filiorum Ammon venisset adversum vos dixistis, nequaquam, sed Rex imperabit nobis, quum Dominus Deus vester regnaret in vobis. Quod quidem dixisse, imo etiam fecisse stultum & impium fuit. Huic namque providentiæ magnis hucusque documentis perspectæ minime confidere, sed aliunde

v. 7.

v. 11.

Jud. 2. 1.

v. 12.

de præsidia sibi quærere profecto Dei injuria fuit & magna stultitia. Sed ut hoc fecisse malum est, sic *maledictus homo es, qui confidis in homine*, ait Propheta, quum quotidianis experimentis doctus ejus imbecillitatem ignorare non possis.

Jer. 17. 5.

v. 16.

Et nunc state, & videte rem istam grandem, quam facturus est Dominus in conspectu vestro. Hactenus dictis, nunc factis Samuel populum redarguit; & quidem eodem signo, quo alias hunc ipsum populum subita Philistæorum irruptione perterritum animaverat, ut Deo confideret, nunc increpat, quod Ammonitis Galaaditidem invadentibus Deo minime confiderint, sed petierint Regem, belli ducem futurum.

v. 18.

Et clamavit Samuel ad Dominum, & dedit voces, & pluvias in illa die. Hæ voces & pluviæ horrenda fuere tonitrua, & insolita imbrium ruentium procella: quæ repentina cœli mutatio per se quidem horribilis, horribiliorem adhuc speciem populo afferebat, quod hæc adulta jam æstate fiebant, quo tempore nullæ cadunt in Palæstina pluviæ.

Cap. XIII. v. 14.

D*ixitque Samuel ad Saul, stulte egisti: nequaquam ultra regnum tuum consurget.* Samuel Saulem increpat, quod contra Dei præceptum sacrificasset. Peccavit itaque Saul, quod jussus Samuelem ad septimum diem in castris expectare, minime paruit, sed sacrificium, Samuele præsente ex condicto offerendum, antevertit. Rursus, quia fortasse etiam sacerdotum officium sibi arrogavit ratus, quod sicut Benjamitica tribus promissam tribui Judæ regalem dignitatem nuper acceperat, ita sibi liceret concessum Levitis sacerdotium usurpare. Peccavit, inquam, Saul, & peccatum suum excusando exaggeravit. Istuc certe David non fecit, & ideo quamquam Saule nocentior, regno multatus non est: Saul vero, quia culpam non agnovit, audivit a Samuele, nequaquam ultra regnum tuum consurget. Non consurget, inquit, quia Saul datum sibi regnum suis posteris non tradidit: regnum namque Sauli usque ad obitum mansit, cœpit nihilominus ab hac die concuti, & nutare. Allegoria, Saul, ut in præsenti facto, ita in sequentibus Adami lapsum descripsit. Primum, quod uterque expressum Dei mandatum contem-

2. Reg. 12. 13.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A temsit, & insuper propriam inobedientiam excusavit. Secundum, quod ambo & sibi, suisque posteris nocuerunt. Tertium, ambo indebitum sibi honorem præsumserunt. Cæterum utriusque ruina admonentur impii sacrorum ordinum invasores, qui quum manus impositionem nusquam susceperint, ad gradum sacerdotii prosiliunt.

Quæsivit Dominus sibi virum juxta cor B *suum*. Hæc annectenda sunt superiori periochæ, in qua describitur Israëlitarum post Philistæorum irruptionem trepidatio & fuga. Quum enim hostibus numero & viribus longe inferiores essent, *absconderunt se in speluncis*, *&* *in abditis*, cæteri transmisso Jordane in Galaaditidem profugerant. Sensus ergo horum verborum literalis quidem Davidem designat a Deo electum in eum finem, ut Phi- C listæos Saulis scelere victores vinceret & subjugaret, populumque sublevaret illorum jugo oppressum. Arcanus vero sensus humani generis priorem statum exhibet, quando communis parentis culpa omnes homines a diabolo oppressi, malorumque Angelorum infestatione perpetuo afflicti sub terra habitare cogebantur, rerum videlicet terrenarum curis incumbere, vitamque in tenebris & cœca D nocte traducere. Nec enim Adamus sicut filios suos sua culpa in has angustias conjecerat, sic illos sua pœnitentia in pristinum restituere potuit. Succurrit tandem miseris filius Dei Davidis in carne nepos ex Virgine Davidicæ stirpis natus. Hunc scilicet testatus est Pater, esse illum virum juxta cor suum, dicens: *Hic est filius meus dilectus*, *in quo mihi bene complacui*. Hic est, qui *visitavit nos* E *oriens ex alto*, *illuminare iis*, *qui in tenebris*, *&* *in umbra mortis sedent*, hic animas solvit, quas ferreo compede vinctas habebat mors, & sempiterno carcere claudebat Infernus.

Matt. 3. 17. Luc. 1. 71.

CAP. XIV. v. 4.

E*rant autem ascensus*, *per quos nitebatur Jonathas transire ad Stationem Philistæorum eminentes petræ*, *nomen uni Basus*, *nomen alteri Sia*. Erant gemi- F næ rupes, quibus Hebræorum castra a Philistæorum statione dividebantur, & muniebantur, altera vulgo appellabatur *Basus*, idest Exilis, forte quia vel molles habebat clivos, vel latera ad modicum spatium porrecta; altera *Sia*, idest acervus, vocabulum indicat, rupem fuisse ex pluribus scopulis in

in unum jugum coëuntibus compactam. Tropologice. Duæ rupes duo sunt testamenta, hoc gemino velut vallo castra sua tuetur Israel Dei ab intelligibilium Philistæorum infestatione. Hisce consentanea loquuntur, qui dicunt duos lapidum ordines Pontificis rationali insertos symbola fuisse novi & veteris instrumenti.

v. 6. *Et dixit Jonathas ad armigerum suum.... Si taliter loquuti fuerint: ascendite, ascendamus.* Mirabilis eventus testatur, humano ne an divino instinctu hæc Jonathas loqueretur. Enimvero Philistæi duorum hominum impetum sustinere adeo ausi non sunt, ut mentem præcipitante metu, partim in fugam conversi sint, partim mutua se cæde confecerint. Sic brevis horæ spatio ingens exercitus, numero bellatorum maris arenæ, ut hic loquitur Scriptura, comparabilis profligatus, dissipatusque fuit. Quamobrem vix dubitari potest, quin istud factum ex virtute profectum fuerit, & ex magna in Deum fiducia inchoatum, præsentis numinis ope fuerit perfectum. Promiserat nimirum Deus cunctis generatim Israëlitis, si quidem legem observassent, futurum ut unus ipsorum persequeretur mille, & duo fugarent decem millia: hac itaque promissione fretus Jonathas ad armigerum suum: *Non est*, ajebat, *Domino difficile, salvare vel in multis, vel in paucis*. Quæ profecto verba & Jonathæ fidem commendant, & satis indicant, quo ille spiritu duceretur rem aggressurus suis viribus tantopere majorem.

Sup. c. 12. 5.

Deut. 32. 30

v. 32. *Et mactaverunt in terra, comeditque populus cum sanguine.* Populus Philistæis terga vertentibus ad prædam conversus armenta abegerat bene multa; quumque fatigatis cibumque appetentibus nullum aliunde suppeteret obsonium, captos boves & arietes mactarunt, & carnes cum sanguine comederunt. Porro jure antiquissimo & Noëticæ ætati noto cautum erat: *Carnem cum sanguine ne comedatis.* Idem Israëlitis edixerat Moyses. In hanc legem peccasse, hoc loco notat Scriptura, quum abactos ex prȩda boves & arietes jugulavit *in terra*, nec ut fieri solebat in sublimi aliquo loco, ut defluente sanguine puræ carnes esculentæ fierent: sed festinante agmine & fame extimulante, nec locum, nec legem attendit. Arguitur ergo populus, quod contra Dei præceptum, ac temperantiæ leges ferarum

Levit. 17. 14.

A B C D E F [Syriac column: illegible]

[Syriac text illegible]

A rum more cruentas carnes voraſſet. Præterea quia victimas ſacrificiis, quæ tunc fiebant, deſtinatas minime diſcreviſſent, nec ſanguinem & adipem juxta legem altari Domini intuliſſent, ſed comediſſent una cum carnibus, pacificas hoſtias immolanti, a lege conceſſis. Quamquam hujus tranſgreſſionis nec ab accuſatoribus, nec ab ipſo Saule fiat hic mentio: utrumque errorem Saul correxit, & lapidem prægrandem advolvit, & altare Domino B excitavit.

Et ait Saul: mittite ſortem inter me, & Jonathan filium meum. Et captus eſt Jonathas. Conſuluerat Saul Dominum, utrum fugientes Philiſtæos inſequi deberet nec ne? Et quoniam nullum ab eo reſponſum retulerat, merito ſuſpicabatur aliquid a populo peccatum, ob quod Dominus orantem minime exaudiret, & in- C terroganti reſponſum negaret, quare magni Joſue, ut videtur, exemplum ſequutus, ſortibus rem explorare ſtatuit, juſſit itaque populum ſeorſim in altera parte conſiſtere, ſtetit ipſe & Jonathas in altera: ſortitione facta, Jonathan urna protulit. Hic filium pater quaſi reum convictum, & divino judicio condemnatum ad ſupplicium depoſcit. Hæc hiſtoricus ſenſus præfert, alia myſticus docet. D Captus eſt Jonathas patris maledictione, quam non noverat, quia Emmanuel *nos redemit de maledicto, factus pro nobis maledictum, & qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.*

v. 42.

Gal. 3. 10. 2. Cor. 5. 11.

Ergo ne morietur Jonathas, qui fecit ſalutem hanc in Iſrael? Sauli Jonathan occidere cogitanti recte contradixit populus, cui tandem Saul ipſe aſſenſus eſt. Nec enim mori juſtum erat immeren- E tem: Jonathas quippe nec præceptum audierat, nec ſi audiſſet continuo ob ejus violationem capitali ſupplicio plectendus fuit, cauſam, cur ea pœna abſolvendus foret, populus ſignificat, quia fecerat ſalutem magnam in Iſrael, imo & facturus in poſterum credebatur. Jonathas populi ſalvator proclamatus Chriſtum perſpicue figurabat, quem omnes gentes Salvatorem agnoſcerent & prædicarent. In eo F autem, quod deficientibus inedia viribus naturali neceſſitati modico melle Jonathas ſuccurrit, Chriſtum pariter adumbravit, quum humanæ naturæ defectui obnoxium ſponte ſua ſe fecit, cibi tamen potuſque modum ita temperavit, ut neceſſitati non voluptati pareret. Poſtremum: Jonathas Domini judicio proditus, & Saulis

v. 45.

lis judicio condemnatus, idem populi suffragio absolvitur. Mortalis itaque agnoscebatur, *morieris Jonatha*, ajebat pater: imo in mortuis numerabatur: *en morior*, ipse Jonathas dicebat. Idem immortalis prædicabatur, quum populus contra diceret: *Vivit Dominus, si capillus de capite ejus ceciderit in terram*, idest nequaquam morietur Jonathas. Idem ergo in utroque simul ordine stetit mortalium, & immortalium. Expressa ergo fuit imago Emmanuelis, quando nostram operaturus salutem idem indivisus mortalis & immortalis apparuit. Certum nihilominus est Jonathan gustato melle præceptum violasse, sique opponas ob eam violationem puniendum non fuisse, quum illud citra culpam ignorare potuerit, non abnuo. Atenim postquam rescivit mandatum, cur non excusavit erratum, nec ut ignosceretur oravit? quod fecit Paulus. Cur mandantis palam improbavit consilium, atque importunum & imprudens fuisse temere affirmavit? Equidem non dubito, quin decreto Saulis populus restiterit ob causas supra allatas: attamen, quum pro comperto haberet parenti gravissimum fore tantæ virtutis filio orbari, adeo ut quovis impendio salvum esse vellet, credo populum ad ejus voluntatem etiam loqui statuisse, nec justitiæ, aut æquitatis vindicem sic egisse, ut adulatoris partes omnino negligeret. Et sane, quum post hæc Saul Pontificem Achimelech & plurimos sacerdotes utique immerentes trucidari jussit, neminem habuit contradictorem, nec legimus quempiam istorum operam suam ullatenus interposuisse, ne cædes fieret. Jam vero si Jonathas ob gustatas paucas mellis guttulas paterni mandati transgressor arguitur, & capitali sententia damnatur, quanto nocentior ipsius pater & graviore pœna dignus, qui expressum Dei præceptum contemsit, & ejus altare impio sacrificio profanavit? Quare nec mirandum, quod a Samuele objurgatus fuerit, & a Deo fuerit abjectus, donec in graviora scelera prolapsus regno tandem vitaque spoliatus fuit.

Act. 19. 5.

Infr. 22.

CAP. XV. v. 3.

NUnc ergo vade, & percute Amalec. Causæ hujus belli fuerunt, prima, quia Israëlitis terram promissionis petentibus Amalecitæ hostiliter ac duriter obstiterant, & sine causa transitum per suas ditiones negaverant, eosque coëgerant cum magno dispendio deserta ober-

[illegible]

A errare. Altera quia inedia & labore fatigatis, quum facile possent, minime succurrerant commeatum & cibaria subministrando, imo extremum agmen carpendo multos ex insidiis oppresserant.

Interfice a viro usque ad mulierem, parvulum, atque lactentem, bovem, & ovem. Ipsum hoc Deus Moysi mandaverat illis verbis. *Delebis nomen Amalec sub cœ-* B *lo, cave ne obliviscaris.* Acerbissimum hoc fuit anathematis genus, in quo nec personis, nec rebus parcendum fuit, sed omnia omnino perdenda, adeo ut nihil in usum proprium victores reservarent: istuc porro summæ indignationis argumentum erat, nec nisi in populos execrandorum scelerum reos indici solebat, neque in alios præter Amalecitas indictum legimus.

Exod. 17.17.

C *Dixitque Saul Cinæo: Declinate ab Amalec, ne forte involvam te cum eo.* Cinæi prognati erant Jethro soceri Moysis, & de Israëlitis multis nominibus optime meriti. Nam primum, quod hic Saul memorabat, illis ex Ægypto desertum intrantibus amice occurrerunt. Rursus in eo prælio, in quo Debora & Barac Regis Hasor exercitum delevere, Anajel, sive Jahel Sisaram ejus belli du- D cem occidit, hæc autem uxor fuisse dicitur Haber Cinæi. Longe ante hæc tempora floruit in eadem familia etiam Hobab filius Raguelis Moysis æqualis, qui ab eodem rogatus fuit, ut se ducem Israëlitis per deserta loca vagantibus daret.

Jo: 4. 21.

Et pepercit populus Agag, & gregibus ovium, & armentorum, cætera ferro flammisque consumsit, quæ vilia E minusque sibi utilia credidit. Qua in re haud dubie Saul gravissime deliquit, ut ob hoc delictum merito ipse reprobatus fuerit, & ejus posteri regno spoliati. Factum excusare conatus est Saul prætextu religionis. Vera causa fuit primum Saulis superbia victoriam spoliorum magnitudine, & copia ostentare ambientis. Præterea inconsulta, & vitiosa commiseratio in hominem ex F summa altitudine fortunæ gloriæque dejectum, nec tam suo, quam alieno crimine damnatum: postremum cupiditas & avaritia, quæ est idolorum servitus. Verum etsi Amalecitæ hoc bello maximam cladem acceperint, & magnopere imminuti fuerint, certum tamen est plurimos communi excidio sub-

v. 9.

tractos fuiſſe, & fuga aliave via ſibi conſuluiſſe. Amalecitam enim fuiſſe tradunt Amanum, quem ajunt, ideo in Judæos Perſarum imperio tunc ſubjectos commotum eoſdem delere, & funditus exſcindere ſtatuiſſe, quod illatam a Saule Amalecitis injuriam ejus poſteris & popularibus referre peroptaret, quamquam non negant Amanum Mardochęi ſimul odio huc provectum fuiſſe.

ỽ. 11. *Pœnitet me, quod conſtituerim Regem Saul.* Oſtendit primum Deus ſuam ſupremam poteſtatem, qua humana omnia agit & verſat, Reges extollit & deprimit: proinde Saulem non ſuo jure, ſed ipſius favore & gratia Regem eſſe. Secundum, dicit ſe pœnitere, non quia mutaverat conſilium, ſed quia mutare volebat factum: quod Samuel declarat illis ad eundem Saulem verbis: *Neque enim homo eſt, ut agat pœnitentiam.* Quorſum ergo iſta? ut nimirum Saul audiens, Deum velle bonum factum ſuum mutare, ipſe ſua malefacta mutare diſceret. Similibus ferme verbis Deus juſto Noë conſilium ſuum de perdendis ejus temporis hominibus aperuit: *Pœnitet*, ajebat, *me feciſſe eos*, non quo ipſe ſuam pœnitudinem, qui peccare non poterat, fateretur, ſed quo pœnitentiam peccantibus ſuaderet: quamobrem ſancto Patriarchæ ſimul injunxit, ut peccatores ad agendam pœnitentiam hortaretur, ut ſi quidem illi ea divinæ indignationis ſignificatione conterriti, delinquere ceſſarent, ipſe delicti pœnam ſuſpenderet.

ỽ. 12. *Et ecce ſtatuit ſibi locum.* Hæc de Saule nunciabantur, quod debellatis Amalecitis in Carmelum veniſſet, indeque in Galgala fuiſſet profectus. Quod ajunt, Saulem ſtatuiſſe ſibi in Carmelo locum, locus iſte fuit, vel ad caſtra locanda deſignatus, vel ad dividenda ſpolia ab Amalecitarum regionibus eo avecta, vel altare fuit ad offerendum Deo ſacrificium euchariſticum pro reportata ipſius favore victoria, quod etiam in Galgalis populum feciſſe, Saul Samueli narrabat. Hic rurſus Saul ſacerdotum officium occupat, & hoſtias altari infert, quas diſperdere debuerat, nec locum ſibi pro ſacris faciendis conſtitutum obſervat.

ỽ. 14. *Quæ eſt vox gregum, quæ reſonat in auribus meis?* Hæc Samuel, cui Saul: *De Amalec adduxerunt ea: ut immolaret Domino Deo tuo.* Reſpondit Samuel:

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[Syriac text illegible]

[Syriac text illegible]

[Syriac text illegible]

[Syriac text illegible]

A muel : at non immolare iſta , ſed demoliri juſſus fueras : nec ſacrificare, ſed parere debebas : *Melior eſt enim obedientia , quam victimæ* . Sed utinam hic finis , video namque te in graviora adhuc ſcelera hinc ocyus prolapſurum , ſicut præterita nocte me Dominus docuit . Quamquam ille , qui eſt victoria & triumphus populi ſui Iſrael , nec hominem fallit , nec mutat ſententiam ,
B nec enim homo eſt , nec ab homine conſilium petit . Senſus eſt . Quandoquidem Deus tribui Judæ regnum tradere decrevit : idque a diebus Jacob Patriarchæ Judæis promiſit , haudquaquam fallet fidem , qui ſententiam non mutat.

Saul autem apprehendit ſummitatem pallii ejus , quæ & ſciſſa eſt . Saul , v. 27.
C ut ajunt , quoniam regnum nec ſibi , nec poſteris manſurum , ſuſpicari jam cæperat , Samuelem rogabat , ut ſibi ſuum ſucceſſorem indicaret . Reſpondit Propheta poſt hoc factum : regnum Iſraëlis ad illum fore tranſiturum , qui regiæ veſtis ſummitatem præcidiſſet , ſicut ipſe pallium ipſius Samuelis conſciderat . Quare , quum poſtea Saul oſtenſam a Davide regii paludamenti
D oram vidiſſet , audiviſſetque ſibi fuiſſe præciſam , velut jam certus , Samuelis prædictionem in Davide fuiſſe completam , Davidem illico inclamans: *Nunc ſcio*, inquit, *quod certiſſime regnaturus ſis* , *& habiturus in manu tua regnum Iſrael* .

Et dixit Samuel , adducite ad me Agag .... & in fruſta concidit eum . Samuel ſua manu Amalecitarum Regem v. 32.
E obtruncat , membratimque diſſecat : Levitæ , jubente Moyſe , idem fecere, fecit & Phinees ; nec indignum ſua dignitate Propheta putavit manus ſuas lavare in ſanguine peccatoris . Sic facto oſtendit , quod antea verbo docuerat , obedientiam Deo gratiorem eſſe , quam victimas , populique præpoſteram indulgentiam extraordinariæ ſeveritatis exemplo damnavit . Interim dum audis Re-
F gem Amalecitarum nec a Saule , nec ab ejus exercitu interfectum fuiſſe , diſcito , nec Diabolum rectorem tenebrarum harum ab homine vinci potuiſſe, ab homine , inquam , quem Deus , quod feciſſet , dolere ſe , dixit , nec ſecus , quam , quod Sauli regnum contuliſſet: ſed a ſolo Emmanuele ejiciendum fuiſſe principem hujus mundi , qui , ſicut Samuel

muel Agago exprobrabat, probrosam orbitatem in terram sanctorum intulerat.

CAP. XVI. v. 1. *Dixitque Dominus ad Samuelem, usquequo luges Saul?* Luctum importunum & inutilem prohibet: eo quod Saul decretoria sententia reprobatus, regnoque dejectus fuisset, ut nulla superesset restitutionis, aut reconciliationis spes. Hinc causam luctus discimus, quæ profecto alia non erat, quam quod Saulem, sua opera factum Regem, regno excidisse videret.

Veni, & mittam te ad Isai Bethlehemitem, providi enim mihi in filiis ejus Regem. Quemnam ex fratribus elegisset, minime explicuit, quo Propheta intelligeret, hocce negotium caute & secreto gerendum esse. Gessitque Samuel cautissime, ne si res ad Saulis aures pervenisset, non modo Samuelis, sed Davidis etiam salus in summum discrimen vocaretur. Quæ enim hoc factum consequuta sunt, Saulis in Davidem implacabile perpetuumque odium, & Sacerdotum strages plane ostendunt, Samuelem haud temere loquutum, quando novi Regis inaugurationem Deo mandanti respondit: *Quomodo vadam? audiet enim Saul, & interficiet me.* Provisum ergo fuit ne Davidis unctio cuipiam hominum usquam innotesceret, nec fratribus quidem. Juvenum enim fidei tantæ rei secretum committere summæ imprudentiæ fuisset, præterquamquod palam erat, magnam hinc in Davidem invidiam fore concitandam. Porro secretum in toto hoc negotio cautissime tutissimeque fuisse custoditum, ipsa quæ infra leguntur facta declarant. Et licet Saul aliunde, vel sciverit, vel conjectare potuerit, regnum ad Davidem translatum iri, istud certe ex hoc Samuelis facto arguere non potuit. Addunt quidam: ideo Samueli occultatum fuisse hoc interim Davidis nomen, ut interrogatus a Saule, cuinam hominum regnum sibi, ut præferebatur, auferendum, conferendum esset? Samuel interposito etiam jurejurando affirmare posset, rem plane sibi esse incompertam.

v. 2. *Vitulum de armento tolles in manu tua.* Exposuerat Samuel Domino certum imminere sibi vitæ discrimen, si cunde Saul rem subodoratus fuisset: Dominus, ut periculum averteret, si Samuel

[illegible]

A muel, quod in præſenti moliebatur, quovis indicio propalaſſet, docet, ut diſſimulato præcipuo ſuæ profectionis ſcopo, ſacrificium, quod in eadem urbe Bethlehem ſimul offerre ſtatuerat, viæ ſuæ cauſam rogantibus prætenderet. Ne ergo mentiretur, vera diceret, neve violaret ſecreti fidem, quæ dicere nefas erat, ſancte reticeret.

B *Pacificus ne eſt adventus tuus?* Et *ait: pacificus.* Verba ſunt primorum civitatis Bethlehem, quos, credibile eſt, nonnihil perturbatos fuiſſe inopinato Samuelis adventu, indeque ſuſpicari cœpiſſe, num quid mali, aut ipſi Prophetæ inſtaret, ut fugeret, aut ſibi, ut præmonerentur, ſive crimen aliquod in civitate fuiſſet perpetratum, ut puniretur, aut ſacrificio expiaretur, C victimam ſiquidem ab illo duci videbant. — *v. 8.*

Dixit Samuel ad Iſai. Numquid jam completi ſunt pueri? Qui reſpondit: adhuc reliquus eſt minimus, & paſcit oves. David hic erat, qui unus quærebatur. Fratres repulerat Samuel, divino oraculo monitus; hoc enim diſerte Scriptura affirmat, etſi nonnulli ex veteri forte traditione dixerint, id Samuelem indi- D cio olei, quod ſecum attulerat, cognoviſſe. Confeſtim David a paſcuis accerſitus venit, & ad Samuelis conſpectum introducitur. Samuel adoleſcentis formam contemplatus, flavamque cæſariem & micantes oculos, ſtatim intellexit, eum eſſe, qui futurus erat typus & pater magni Regis, quem pater patrum Jacob in ſuis benedictionibus deſcripſerat: *Splendidiores*, dicens, E *oculi ejus vino.* Chriſtus enim eſt Rex Regum & verus David, ideſt *dilectus, & amabilis, cujus oculi vident æquitatem*, quem laudat Eccleſia glorioſa ſponſa in ſuis Canticis, dicens: *Dilectus meus candidus, & rubicundus.* Tum vero, *ait Dominus ad Samuelem, ſurge, unge eum, ipſe eſt enim*, ſimul oleum cœpit in cornu fervere & affluere, confeſtim *unxit eum Samuel*, & oſculatus eſt eum. F Interim, quum Sauli Davidem ſubſtitutum legis, agnoſce figuram filii Dei, qui factus homo, omnium hominum parenti ſucceſſit, & appellatus eſt ſecundus Adam. Contemplare ſimul Gentilem populum ex ſimili Dei electione Judæorum ſynagogæ fuiſſe ſubrogatum. — *v. 13.* — *Gen. 49. 12.* — *Pſal. 16. 2.* — *Cant. 5. 10.*

Spiritus autem Domini receſſit a Saul, & ta- — *v. 14.*

& tabefaciebat eum Spiritus nequam a Domino. Postquam David sacra unctione Rex fuit designatus, directus est Spiritus Domini a die illa in eum: Spiritus nempe, qui a Saule recesserat, idest Spiritus fortitudinis, quod consequentia ejus facta ostendunt. Item Spiritus ille, quem filius ejus Salomon postulavit, Spiritus scilicet sapientiæ & consilii, quem mulier illa Thecuitis laudabat. Item spiritus Prophetiæ, quem ipse David sibi divinitus infusum insinuat & ejus Psalmi testantur. Eodem porro tempore, quo spiritus Dei in Davidem illapsus est, Saulem reliquit. Profecto divini spiritus a Saule recessum plane demonstrant manifesta ejusdem a Deo apostasia & defectio, plurimaque errata in administrandis rebus tum publicis, tum privatis: regnum enim domumque propriam sua impietate, atque imprudentia pessum dedit.

2. Reg. 14.

Psal. 45. 2.

Et tabefaciebat eum Spiritus nequam a Domino. Spiritus hic fuit immundus, quo sæpe homines miris modis exagitari videmus, adeo ut ex perpetua vexatione, velut a diuturna ægritudine liquari videantur, ac tabescere.

v. 14.

Jubeat Dominus noster, & servi tui quærent virum scientem psallere Cinnara, ut psal-

[illegible]

[illegible]

Jac. Edess.

Quidnam istuc, quod Scriptura divina, divinus scilicet Spiritus, spiritum a Domino appellat Angelum illum apostatam, qui ex quo a Deo defecit, ei perpetuo adversatur, unde ipsi etiam nomen Satanæ adhæsit? Respondeo duplici ex capite: primum, quia a Deo factus est: secundum, quia ab eodem missus: frequenter enim Angelus malus a Deo mittitur, & plerumque ad scelerum vindictam. Exequitur autem libens simul & invitus, libens quidem, quia Dei & hominum inimicus gaudet concessa potestate vexandi hominem Dei imaginem. Sed hoc ipsum invitus facit, quia nollet simul divinæ voluntati obsequi & parere, nec vellet modum a Deo constitutum tenere, aut promovere fines ab illo intentos: cogitur tamen & invitus. Et quidem in hoc sensu dixit David: *Fieri immissiones a Deo per Angelos malos*: Et Micheas narrabat Achabo, visum sibi fuisse spiritum mendacem a Deo missum, ad illum decipiendum perdendumque opera Syrorum.

Ps. 77.

3. Re. 22.

[illegible]

[illegible]

A *psallat manu sua*, *& levius feras*. Ista Sauli familiares suggerebant arte, vel experimento docti, passiones ejusmodi melodia mitigari; & ita fieri videmus: nam etsi in dæmonas nihil agere valeant res corporeæ, ipsa tamen corpora ab illis obsessa mutare possunt, & in tantum alterare, ut ipsorum vexationem plus minusve sentiant juxta diversam rerum eisdem applicatarum impressionem. B Nihilominus, ut hæc vera sint, adeo ut servi Saulis ex communi sensu melodiam velut naturale maniæ remedium existimaverint. Credo tamen, adhibitas in ipso facto a Davide cantiones & preces fuisse potissimam causam, ut fugaretur malus spiritus, & Rex ejus vexatione & interna pariter ægritudine relevaretur. Hac via primus Davidi ad Saulem atque aulam aditus patuit: & quo- C niam Rex ejus operam sibi inprimis necessariam existimabat, armigerum sibi illum instituit, ut familiarem haberet. Sic Deus per varios nexus exitusque latentium causarum Davidem ad regnum ducebat.

CAP. XVII. v. 4.

E*T egressus est vir fortis de castris Philistæorum nomine Goliath*. Viri hujus omnium Philistæorum fortissimi sta- D turam, armorumque apparatum Scriptura sigillatim describit, ut Davidis victoriam tanto mirabiliorem fuisse ostendat. Et quemadmodum David fere ubique Christum repræsentat, ita hoc loco Goliath diaboli personam gerit. Quadraginta ergo dies, quibus contra Dei populum, terroribus ac minis dimicavit, designant tempus, quo diabolus genus humanum oppugnavit, non vi, nec ar- E mis, sed arte sua, alliciendo, terrendo, ac decipiendo, donec ad singulare illud certamen ventum est, in quo a Christo primum in deserto post quadraginta ejus secessus dies, deinde in monte Calvario in fine dispensationis sue victus & prostratus fuit.

v. 17.

Dixit autem Isai ad David filium suum, curre in castra ad fratres tuos. F Isai de filiorum salute sollicitus minimum fratrem misit, qui militantibus ferret annonam, deque illorum incolumitate & salute patrem faceret certiorem. Hæc scilicet ille cogitabat, alia Deus, qui ex facto maxime illustri & reipublicæ utilissimo communem populi existimationem & benevolentiam Davidi quærebat. Quum enim ad castra venisset, Regemque

que, & universum exercitum invenisset, gigantis Goliæ conspectu, minisque consternatum, Dei zelo accensus fidenter se obtulit certamini, certamque spem fecit victoriæ Dei favore obtinendæ, cujus agminibus impius ille Philistæus jam per dies quadraginta continuos quotidie mane & vespere insultare nunquam cessaverat. Depositis itaque armis, quibus a Rege fuerat indutus solo baculo & funda munitus in campum processit. At at, unde tantus Davidi animus, tantaque audacia, ut cum gigante veterano milite ipse armorum insolens pugnam optaret? Nimirum certo persuasum habebat, in privata fortuna se neutiquam decessurum, nec imperium sibi divinitus decretum ullius hominis arte, aut virtute præripiendum. Noverat etiam ab experto, quales per illapsum spiritum vires accepisset. Cur autem oblatam Saulis armaturam rejecit? Primum, quia inter pastores educatus militaria arma tractare necdum assueverat. Rursus, quia necdum certus erat utrum illa armorum mutatio Deo placeret nec ne. Nec enim sibi omnino persuadebat, ut pastor ad pugnam vocatus, non etiam pastoralibus armis pugnare juberetur. Postremum præsenti facto minime congruere existimavit, si regia arma ipse servus indueret, Domini sui futurum cum diabolo prælium repræsentaturus: præsciebat nimirum humilitate Crucis Christum de Rege superborum triumphaturum. Rursus attende, Davidem ad pugnam cum gigante fuisse delectum: contra, Saulem ejusque exercitum non modo ejus impetum, sed nec aspectum sustinere potuisse. Hoc scilicet illustri symbolo magnifice insinuabatur, neminem quantavis præstantissimæ naturæ prærogativa præcellentem de Diabolo triumphare potuisse, ejusque metu atque potestate genus humanum liberare, ac proinde in solo Christo omnem nostræ salutis, & libertatis spem fuisse repositam.

v. 50. *Lupum, & leonem interfeci ego servus tuus*. Certum est Davidem vera loquutum fuisse, etsi non æque certum, utrum ista Sauli, ejusque ducibus persuaserit: incredibile namque videri potuit, adolescentem tantum præstare viribus, ut lupos & leones ferocissimas bestias, quasi per ludum & quavis data occasione, aut concerperet manibus, aut elisis faucibus prosterneret. Mirabile dictu! dixit tamen, & utique fecit David, fecit autem

[illegible]

A tem postquam unctionem accepit, eadem Sauli & ejus ducibus retexuit, non ut virtutem suam ostentaret, sed ut rerum gestarum testimonio rebus gerendis fidem faceret. Tropologice. Lupus & leo diabolum, & mortem repręsentant. Illis animam elisit David, & raptas oves excussit, quia Christus mortem & diabolum profli-
B gavit, & quem voraverant, Adamum reddere coëgit. Si quis rursus inquirat, cur David minime timuerit Goliam, hominem tam immani corporis mole, qualem esse oportuit, qui præter cætera arma thoracem sustineret quinque millium siclorum pondo. Contra vero expaverit Jesbinob alterum de stirpe Arapha gigantem, qui sane nec vi-
C res habuit Goliatho pares, nec æqualem magnitudinem corporis, quantum conjectare licet ex loricæ ejus pondere, quam trecentos dumtaxat siclos æris pependisse Scriptura testatur. Sapientes nimirum animæ, ut diabolum formident, cujus figuram fuisse diximus Goliam, magis tamen mortem pertimescunt. Et diabolus quidem magnas habet
D vires, nullas mors. Diabolus ob naturæ prærogativam omnia corpora movet, nihil mors, quum sit cessatio motus. Certum tamen est diabolum intelligentibus videri minus timendum, quam mortem, primum, quia diabolus animæ non nocet nisi volenti. Secundum, quia esto corpori officere possit, raro tamen uti sua potestate permittitur. Tertium,
E contra diabolum pugnamus in nomine Domini Dei exercituum, cui diabolus injuriam intendit, quum ejus imaginem vexat. Mors contra magis nos terret, primum, quia etiam invitos rapit. Secundum, quia ejus ictus inevitabilis est. Tertium, quia mors Dei justitiam & sanctitatem prædicat, quare non nos il-
F lam, sed ipsa nos aggreditur in nomine Domini, cui non illa, sed nos injuriam facimus. Quartum, quod cordatos maxime terret, & omnes terrere debet, mortem consequitur Dei judicium, & decretoria sententia vitæ mortisve sempiternæ. Sanctæ nihilominus animæ Dei clementia, & bonæ conscientiæ testimonio fretæ plerumque

nec mortem, nec diabolum pertimescunt.

v. 50. *Prævaluitque David adversus Philistæum in funda, & lapide, percussumque Philistæum interfecit*. David illis, ut dixi, armis instructus adversus gigantem procurrit: directoque in frontem ictu eo impetu lapidem funda jecit, ut adacto ad cerebrum saxo Philistæus exanimatus, è vestigio pronus corruerit. Eo prolapso, institit victor, exertoque hostis gladio caput ejus præcidit. Dixi Goliathum diaboli figuram fuisse, qua populo Dei infestus occurrit, & insultavit; qua vero in faciem pronus cecidit, peccatorum symbolum fuit: qui enim peccant, *Nesciunt, ubi corruant, percutiuntur enim super domum oculorum suorum*.

v. 55. *Et dixit Saul ad Abner principem militiæ: de qua stirpe descendit hic adolescens?* Hic obtendunt quidam veterem traditionem, & ajunt: ideo Davidem a Saule agnitum non fuisse, quia lux quædam cœlestis nativam oris speciem occultaret. Alii tamen multo verius observant Saulem non de persona, sed de stirpe Davidis interrogasse. Vix enim credibile est, illi Davidis personam ignotam fuisse, quem frequenter audierat canentem, ac toties sibi utilem expertus fuerat, quem armigerum, adeoque familiarem tamdiu domi habuerat. Quod ergo Saulem angebat, dubium erat, ne forte is esset, ad quem juxta Samuelis vaticinium, regnum foret transferendum. Et fortasse quidem non ignorabat, Davidem a tribu Juda originem ducere, at certior fieri cupiebat, utrum esset ea stirpe natus, per quam juxta patrum traditionem regia dignitas ad Judæ nepotes traducebatur, puta, utrum ex Phares familia descenderet. Hanc scilicet Sauli suspicionem injecerant, primum & Davidis indoles regno digna, & tribus nobilissima regnandique cupida: postea etiam vehementissime auxerant ejusdem reportata de gigante victoria, & consequutæ populi acclamationes, & plausus.

ET

[illegible]

CAP. XVIII. v. 1.

ET *dilexit eum Jonathas, quasi animam suam*: Divino consilio fiebat, ut David Saulis post futurus inimicus, nunc filii ejus Jonathæ amicus fieret. Quo nimirum Davidi aliquod in adversis solatium & auxilium contra potentissimum adversarium provideretur. Tropologice. Saulis mortale in Davidem odium designat synagogæ Judæorum in Christum conspirationem & invidiam, adeo ut ad necem illum quæsierint, & gentibus crucifigendum tradiderint. Hunc tamen Jonathas, idest Apostoli synagogæ malignantium filii dilexerunt plusquam animas suas, quando *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati*. *Act.* 5. 41.

v. 6. *Egressæ sunt mulieres de omnibus urbibus Israel cantantes: Percussit Saul mille, & David decem millia*. Non fuit, opinor, harum cantatricum animus, quidpiam Saulis laudibus & existimationi detrahere, id enim summæ impudentiæ fuisset, habebant quippe præsentem. At esto istud quædam fecissent, hoc profecto Saulem movere non debuit, ut benefactorem jam pro hoste habere inciperet. Quamquam non deerant aliæ causæ, quas

 etiam

[illegible]

ac. Edess. Numquid nam Saul ignoraret Davidem? Eum scilicet, quem familiarem sibi fecerat, & armigerum, cujus cantu frequenter a dæmonis vexatione fuerat liberatus. Cedo quid arbitraris dicendum de homine, quem divinus Spiritus reliquerat, quem dæmones invaserant, quem de mente deturbabant sæpissime? Congruenter, opinor, dices, similem effectum a causa simili provenire potuisse, sic ut idem spiritus, qui Sauli omnem sensum frequenter adimebat, Davidis etiam notitiam, qualem qualem habuerat, vel abstulerit, vel obscuraverit. Quod attinet ad Abneris ignorantiam, credo hunc fuisse de Davide interpellatum, postquam ille a Saulis conspectu discesserat, adeo ut Abner nec venientem, nec abeuntem, alio digressus, viderit. Quare interrogatus, quisnam esset adolescens, qui pugnam cum gigante susceperat, respondit sibi incompertum id esse, non quod Davidem ignoraret, sed quod illum, qui se certamini obtulerat, ipse minime advertisset. Quamquam eundem a cæde gigantis redeuntem statim agnoverit, & velut hominem sibi notum ad Saulem introduxerit.

etiam supra indicavimus, unde conceptum hac occasione odium in apertam & irreconciliabilem inimicitiam postmodum prorupit. Tropologice. Audis Davidis a a cæde gigantis, & Philistæorum fuga reditum plane triumphalem, atque puellarum obviam prodeuntium gratulationes? Cogita Christum victorem ab inferis redeuntem, & cœlestes spiritus, sanctorumque animas illum in cœlum deducentes. Iterum contemplare populum Justorum ex omnibus gentibus congregatum in novissimo die è tumulo resurgentem, atque Angelorum occursum hominibus suæ naturæ reparationem mortisque destructionem gratulantium.

v. 10. *Post diem alteram invasit spiritus malus Saul, & prophetabat in medio domus suæ.* Idest insaniebat, vaticinabatur tamen, & futura prædicebat, spiritu, quo obsidebatur verba modulante. Quare prædictiones illæ non a divini spiritus impetu, sed a mali dæmonis impulsu prodibant: quæ autem hic vaticinabatur, ex signis sibi naturaliter notis conjectabat, præsertim si, ut aliqui tradiderunt, Saul in eo furore Davidi regnum prophetabat.

v. 17. *Ecce filia mea major Merob, ipsam dabo tibi uxorem.* Callidum hoc Saulis consilium fuit, quo David non suo, sed alieno ferro occumberet, dumque nova hac affinitate Regi obstrictus de referenda gratia cogitat, indeque novas pugnandi cum ejus hostibus occasiones quærit, in nova etiam pericula se conjiceret. Nimirum Saul hoc Davidi moliebatur, quod ipse, postmodum Uriæ, ut propriæ scilicet necis auctor fieret.

v. 20. *Dilexit autem David Michol filia Saul altera.* Idem scilicet spiritus, qui Jonathæ Davidis amorem infuderat, sororem impulit, ut eundem sibi sponsum optaret. Pater filiæ voluntati libens consensit, quod crederet ejus operam ad perdendum Davidem sibi utilem fore. Sed contra accidit, ut ejusdem potissimum ope ille Saulis insidias eluserit. Tropologice. Merob, & Michol geminæ sorores significant synagogam, & Ecclesiam ambas ab uno genitas parente Adamo. David, dum Goliathi & aliorum centum Philistæorum capitibus Saulis filias sibi stipulatur uxores, Christi figuram expressit, quando synago-

[illegible]

gogam & Ecclesiam sibi acquisivit sponsas, exhibito sui sanguinis pretio. David tandem a Merob filia Saulis majore, quæ Hadrieli nupsit, rejectus, minorem Michol duxit. Quia Christum *sui non receperunt*, quare relicta synagoga sponsam sibi quæsivit ex gentibus sanctam Ecclesiam *non habentem maculam, neque rugam*. *Ephes. 5.27.*

CAP. XIX.

[illegible]

v. 10. N*Isusque est Saul configere David lancea*. Postquam Saul nec filiȩ dolis, nec Philistæorum armis Davidem perdere se posse intellexit, rem ipse per se aggreditur, & quod antea frustra tentaverat, nunc iterum lanceam in Davidem ex adverso stantem intorsit. Simili tamen successu: ictum siquidem ille modica corporis declinatione frustravit, proripuitque se domum, inde sine mora in Ramatha ad Samuelem profugit. Interim missi lictores, dum Davidem domi opprimere sperant, Micholis astu eluduntur.

[illegible]

v. 13. *Tulit autem Michol statuam, & posuit eam super lectum, & pellem caprarum posuit super caput ejus*. Ita lictoribus Davidem quærentibus respondit Michol ægrum decumbere, simul in lecto jacentem demonstrat. Satagebat Davidi fugienti consulere, adeo ut dum satellites ultro citroque discurrunt, & filiæ responsa ad patrem reportant, dum nova mandata capessunt, dum exequuturi redeunt; David Ramatham, quo contendebat, tute teneret.

[illegible]

v. 20. *Misit ergo Saul viros, ut raperent David*. Lictores in Prophetas transierunt: Prophetarum siquidem conspectu divinitus mutati, regnum Davidi vaticinari cœperunt; id enim, ut quidam tradunt, Prophetarum ille conventus occinebat: recinere ergo audita compellebantur. Scilicet istis accidebat a bono spiritu, quod Saul antea passus fuerat a malo, quando *in medio domus suæ prophetabat*.

[illegible]

v. 22. *Et iratus iracundia magna Saul abiit etiam ipse in Ramatha, inde in Najoth, & expoliavit se ipse vestimentis suis, & prophetavit cum cæteris: & cecidit nudus tota die illa, & nocte*. Spiritus, qui Saulem ad prophetandum impulit, etiam induxit, ut regia insignia deponeret humique se prosterneret. Ut ni-

nimirum, dum regale paludamentum exuit hac velut tessera regnum Davidi transcriberet, dumque *cadit nudus in terram*, regno excidisse se testaretur.

CAP. XX. v. 4.

E*T ait Jonathas ad David, quodcumque dixerit mihi anima tua faciam tibi*. Vides, ut Davidem dilexerit. Noverat, regnum sibi aliquo jure debitum ab illo occupandum, nec tantum patris fortunam, quin magis suam ab eodem evertendam, nec tamen occidit, nec patri occidendum prodidit. Immo contra sollicitus omnia pertentat, ut salvum & incolumem habeat, post multa se suamque domum ejus fidei committit, & obtestatur, ut regno potitus, in ea fortunæ altitudine se veterem amicum respectet, sique interim contingat, ipsum è vivis decedere, suis liberis benevolum se præstet, paternæque amicitiæ memorem. Contra perpende quantum David Jonathæ confidat; ut quum omnes Saulis & filiorum conatus clandestina fuga antevertere posset, id tamen exequi nolit, inconsulto Jonatha. Orat, ut patris animum exploret, nec dubitat, quin is vera referat, quando mentiri & fallere facillimum erat, quin & utilissimum videbatur. Merito igitur David talis amici amplexu divellendus *abundantius flevisse* dicitur, *quam Jonathas*: nec enim Jonathas ullum beneficium acceperat a Davide, hic ab illo bene multa. Quamquam lacrymarum causæ præter Jonathæ amorem, aliæ plures occurrebant reputanti, quanta sibi suisque ex ea persecutione pericula & incommoda incumberent, adeo ut inter magna a Deo accepta beneficia, quæ Psalmo 17. retexuit, istud in primis retulerit, quod a tanto adversario ipsum servasset.

CAP. XXI. v. 1.

V*Enit autem David in Nobe ad Achimelech Sacerdotem: & obstupuit Achimelech*. Mirum videbatur Pontifici, quod David gener Regis & Chiliarchus, inermis, & solus eo appulisset. Idcirco rogat: *Quare tu solus?* Factum ille dissimulavit, ne si veram causam aperuisset, Sacerdotem reum faceret, quod compertum Regis hostem excepisset hospitio, armis-

A misque & commeatu juviſſet. Mentitus eſt cauſam diſpenſatorie, reſponditque: *Rex miſit me*. Nec tamen a vero deflexit ex toto: nec enim ex toto falſum erat, Davidem a Rege miſſum fuiſſe, quando Rex in cauſa erat, ut David ab aula excederet & ad ſacerdotem profugeret. Et illud, *nemo ſciat rem propter quam miſſus es*, ex parte verum fuit, ſi tem-B pus illud reſpicias, quando Saul conſilium perdendi Davidem occultum volebat.

v. 2. *Et pueris condixi locum ſecretum, & abſconditum*. Socios ſiquidem occultaverat, ne inopinatus militum conſpectus Nobæ cives perturbaret: quare credibile eſt, Davidem non omnino incomitatum acceſſiſſe, quum unus, vel alter ſocius nullam Nobenſibus perturbationem afferre poſ-C ſet.

v. 4. *Et reſpondens Sacerdos ait illi, non habeo panem ſolutum*. Ideſt, quem cuivis liceat comedere. Sic Paulus feminam obeunte marito ſolutam dixit, ut poſſit nubere, cui velit. (1. Cor. 7. 39.) *Sed tantum panem ſanctum*, ſanctis ſeu ſacratis hominibus conceſſum: panem propoſitionis ſignificat, qui & *panis facierum* dicebatur ex D eo, quod in tabernaculo ante faciem Domini poneretur. Reſpondit ergo ſacerdos, nullum alium panem ſuppetere *ad manum*, ideſt in tabernaculo, ubi hoc negotium agebatur, præter illum, quem proxime a facie Domini ipſe ſuſtulerat, nam per ſingulas hebdomadas panem recentem & calidum ſubſtituere tenebatur: & quoniam id ſuaderet neceſſitas, hunc panem daturum ſe reſpon-E dit, dummodo pueri mundi eſſent. Merito itaque reprehenſi fuere, qui a Rege Ezechia ad celebrandum Phaſe vocati legem iſtam tranſgreſſi fuerant. Subdit nihilominus Scriptura: (1. Par. 30. 18) *Et oravit pro eis Ezechias dicens: Dominus propitiabitur cunctis, qui in toto corde requirunt Dominum Deum patrum ſuorum, & non imputabit eis, quod ſanctum non fuit mun-F dum ab eis*. Ideſt, quod paſchales victimas immundi comederint. Unde liquet ejuſmodi tranſgreſſionem venialem fuiſſe, & facile excuſari potuiſſe vel ob ignorationem legis & bonam fidem, vel, ut in caſu præſenti, ob urgentem neceſſitatem. Credidit ergo eam neceſſitatem legi præſcribere, modo legalis immunditia abeſſet. Legem certe hoc facto nec a Pontifice,

nec

nec a Davide violatam fuiſse indubitabile eſt, quum Dominus utriuſque exemplo Judæos diſcipulis ſabbati violationem objectantes refellerit. Porro neceſſitas, quæ potiſſime hoc factum excuſat, non inde oriebatur, quod ſacerdos vel ex propria domo, vel ex foro civitatis panes comparare non poſset, ſed ex eo, quod Davidi fugienti & fugam latere volenti, negotium erat tranſigendum in tabernaculo, ſecretiſſimo videlicet in loco, & quidem quam celerrime, ne cunctando ipſe ſibi certum periculum crearet, ſi, quod facile contingere poterat, facti notitia in vulgus manaſset: nec vanum hunc fuiſse Davidis metum, conſequuta Achimelechi ſociorumque cædes, & civitatis Nobe excidium non multo poſt docuerunt.

ỳ. 5. *Dixitque David ad Sacerdotem : oblatio nobis permiſſa eſt ab heri, & nudius tertius, ex quo egreſſus ſum*, quaſi dicat. Nullius mihi conſcius ſum immunditiæ, ob quam a cibis ſanctis prohibendus ſim. *Et vaſa puerorum munda ſunt*, indicat illorum continentiam a conſuetudine conjugali. *Porro via hæc ſoluta eſt*. Hoc dixit David, quod ipſe etiam intelligeret præſentem caſum lege minime comprehendi, quare nec vetitum eſſe inedia laborantibus, & longum iter ſtatim ingreſſuris ſacro etiam pane deficienti naturæ ſuccurrere, quando nullus aliunde cibus ſuppetebat. Tropologice. Quemadmodum David, quum ungeretur, Dominum noſtrum præfigurabat Regem unctum oleo lætitiæ, ita nunc dum in comeſtione ſancti panis cum ſacerdotibus communicat, Chriſti ſacerdotium adumbrat.

ỳ. 7. *Erat autem ibi vir de ſervis Saul, abſconditus coram Domino, Doeg Idumæus*. Vocabulum Hebraicum *Neaſar* nobis cum Hebræis commune eſt, & proprie ſignificat actum calcantium oleas, vel uvas in torculari: producta deinde a ſpecie ad genus ſignificatione, quamlibet preſſionem, ſeu coactionem, & coërcitionem deſignat. Doeg itaque intra tabernaculum coërcitus ſuam perſonam, ſeu præſentiam ſuppreſſerat, adeoque illud *Neaſar* ſuppreſſus, & abſconditus verti poteſt, libens an invitus incertum, fortaſſe lege adſtrictus, qua tenebatur peccatum ſuum legitimo ſacrificio expiare.

ỳ. 9. *Ecce hic gladius Goliath, ſi vis iſtum tollere, tolle*. Nota. Quatuor a Davide ge-

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A gesta, quæ a lege exorbitasse videntur: habent tamen mysticum quid, & arcanum, unde dispensatorie facta credantur. Primum: visus est sacerdoti imponere voluisse mentiendo se a Rege fuisse missum, quando Regem ipse fugiebat. Et iterum Achin Gethæorum Regem fefellit, ut amens & fatuus haberetur, qui plenus erat Spiritu sapientiæ & intelle-
B ctus. Secundum: panem sanctum manducavit, quem id lex diserte laicis prohiberet, sed nec Levitarum uxoribus & filiabus permitteret. Tertium, Goliæ gladium, quem olim Deo consecraverat, ad profanum usum iterum convertit. Quartum: quum posthæc factus Rex Arcam de domo Obededom in arcem Sion transferri jussisset, Ephod Levitarum vestem assumsit. Ad primum & se-
C cundum punctum vide dicta superius. Ad tertium: usum hujus gladii licitum faciebat necessitas, quam nullus dubitare potest sancti panis esum licitum fecisse. Ad ultimum: Ephod, seu stola byssina, nec omnis sacra fuit, nec Levitarum adeo propria, ut in quibusdam circumstantiis ejus usum laicis communicare nefas esset. Concessit enim Heli puero Samueli, cui profecto ante Leviticam con-
D secrationem sacris vestibus uti non licuit. Stola igitur, quam David in translatione Arcæ assumsit hujus generis fuit, longe diversa ab ea, quam Levitæ in Tabernaculo ministraturi sumere solebant, atque magis diversa ab illa, quæ summi Sacerdotis peculiare ornamentum fuit.

[illegible]

CAP. XXII. v. 16.

E Morte morieris Achimelech. Adeo Saul, qui Amalecitarum gentem perdere jussus fuerat, servavit, & Achimelech Pontificem ejusque collegas occidit, utrobique religionis & justitiæ contemtor. Doeg Idumæus hujus cædis primum auctor, deinde executor fuit: is enim & Pontificis cum Davide congressum Sauli nunciavit, & imperatam ab eodem carnificinam exequutus est, cæteris impium, & barbarum facinus ex-
F ecrantibus. *Et trucidavit in illa die octoginta quinque viros vestitos Ephod lineo. Nobe autem civitatem Sacerdotum percussit Saul in ore gladii, viros & mulieres, & parvulos & lactentes, bovem & asinum.* Hac scilicet cum severitate Saul jussus fuerat in Amalecitas animadvertere, quod ut laudandum si fecisset contra nocentes, sic innocentibus & immeritis poe-

pœnam ejusmodi intulisse, horrendum facinus fuit, & omnium Saulis scelerum fere gravissimum. Interim, quod tactum est supra, obstupesce Israëlitarum in suorum Sacerdotum cæde stuporem: qui enim alias pro salute unius hominis, qui Jonathas fuit, tanta cum animorum contentione contra Saulem declamaverant; hic eundem in Sacerdotum collegium, & urbem inaudita crudelitate sævientem nemo inhibuit, nemo increpuit, vel, ut temperaretur immane decretum intercessit. Scilicet filium Regis servare visum est interesse plurimum, nihil Domini Sacerdotes & urbem perire. Tropologice. Ut iniqua Levitarum cædes Discipulorum Christi persecutiones & necem adumbravit, sic Saul Tyrannorum in eos sævientium figuram expressit. Et quemadmodum Saul in Sacerdotibus nihil pœna dignum reperit præter eorum qualecumque in Davidem studium, ita persecutores professi sunt, nihil se in Christianis odisse præter amorem Christi.

v. 20. *Abiathar fugit ad David*. Filius hic erat Pontificis, qui è manibus Doeg elapsus ad Davidem profugit, & tristem suorum exitum patriæque excidium eidem nunciavit. Respondit David: *Ego sum reus omnium animarum patris tui*. Non quo David ejus cædis auctor esset, sed quod Saul non utique eam imperasset, si David ad Sacerdotem non venisset, nec ab eodem cepisset cibaria & arma. *Sciebam, quod quum ibi esset Doeg Idumæus, procul dubio annunciaret Saul*. Si scivit, cur non cavit? Scivit utique, quando jam cavere non potuit: occultus enim intra Tabernaculum jacuerat. At si in Tabernaculo morabatur, ergo non religione, sed genere, vel patria Idumæus fuit, nec enim Idumæis & Ægyptiis licebat *ingressus in Ecclesiam Dei*, nisi post ejuratos patrios ritus, nec ante tertiam generationem. (Deut. 23.8.)

v. 23. *Mane mecum*. Quasi dicat. Unus idemque amborum hostis est Saul, qui quærit animam tuam & meam. Sed pone metum: *Quia custos mecum est* Deus, qui misit ad me Prophetam suum & unxit me.

ET

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

CAP. XXIII. v. 2.

A

E*T ait Dominus ad David : vade , & percute Philistæos , & Ceilam salvabis* . Abiathar ad Davidem profectus Ephod , seu Pontificis rationale secum attulerat utili consilio , sicut in præsenti casu patuit . Nam quum David dubius hæreret , utrum expediret Philistæos Ceilitarum agrum populantes invadere , consultus per Ephod Dominus : id ex- B pedire , respondit , & victoriam promisit & præstitit . Iterum David incertus , an tutum foret Ceilæ se continere , & eo venturum Saulem expectare , audiit , excedendum ab urbe , nec Ceilitis credendum . Quare in sylvas deserti Ziph se abdidit.

v. 19.

Ascenderunt autem Ziphæi ad Saul in Gabaa dicentes : Ecce David latitat apud nos . Gratum utique Sauli accidit , Zi- C phæos habere suis consiliis consentientes , sibique ad perdendum Davidem adjutores fore sperabat . Quare instat , ut ocyus redeant , ejus omnia diverticula explorent . Callidus est , ajebat , nec facile est incautum opprimere prudentem omniaque circumspectantem , quum non ignoret sibi undique insidias parari , quare nec fixum habet locum , sed huc illuc vagus oberrat : quum- D que illius diversorium invenisse te , narras , mutavit . Videte ergo , ut vera & certa nuncietis , nam in incertum venire non expedit , ne si nostros conatus iterum eluserit , vulgi jocus & fabula fiamus .

v. 25.

Ivit ergo Saul ad quærendum eum , & felici quidem successu , adeo ut Davidem in eas angustias conjecerit , unde nisi Deus , qui sospitem illum & E Regem volebat , hominem opportune adduxisset , qui nunciata Philistæorum irruptione Saulem inde exigeret , cogeretque intermissa Davidis persecutione ad hostes reprimendos procurrere . Quod hic occurrit vocabulum hebraicum *Senoor* rupem significat , quæ ideo petra divisionis appellata est , quia in medio posita Saulis , Davidisque F stationes dividebat : eademque sita est è regione montium Daise , hoc est, *Cervorum* .

CAP. XXIV. v. 4.

E*T venit ad caulas ovium , quæ se offerunt vianti , eratque ibi spelunca , quam ingressus est Saul , & dormivit illic* . Caverna erat in montibus En-

Engaddi satis ampla, ut socios Davidis, qui pauci non erant, commode capere & occultare potuerit. In hoc spelęum ingressus est Saul, qui repressis Philistęorum incursionibus, intermissam eam ob causam Davidis persecutionem resumserat. Causam cur solus antrum subierit, Scriptura his verbis indicavit: *Ad tegendos pedes suos*, quæ noster interpres vertit, *& dormivit*.

v. 5. *Et dixerunt ad David viri ejus: hæc est illa dies, quam dixit tibi Dominus: Ecce ego tradam inimicum tuum in manu tua*. Magna hæc tentatio fuit, quam plures, & graves causæ conflabant, occasio pręsens, sociorum consilium, Prophetæ oraculum, propriæ salutis cura, & studium publicæ tranquillitatis. Quin ergo uno ictu telam istam recideret, & negotium uno momento conficeret? Confessus est ipse David cogitasse se, Saulem occidere, etsi mutata in medio cursu mente, chlamydis dumtaxat oram pręcidit, qua producta suam in Saulem voluntatem testaretur.

v. 6. *Et posthæc percussit cor suum David, eo quod abscidisset summitatem pallii Saul*. Angor iste ex pietate proficiscebatur, & summa erga Regis personam reverentia, nimirum in mente habebat illud: *Nolite tangere Christos meos*. (Ps. 104. 12.)

v. 8. *Et effecit David sermonibus istis, ut viros, qui erant cum eo, pœniteret*. Illis scilicet rationibus, quibus ipse sibi, sociis etiam persuasit, ut ceptum consilium occidendi Regis damnarent.

v. 9. Postquam Saul speluncam reliquit, *David inde egressus clamavit post tergum ejus*, simul ostenso abscissæ chlamydis frusto: *Ecce*, ait, *hodie viderunt oculi tui, quod tradiderit te Dominus in manu mea in spelunca*. Tradidit, inquit, te Dominus in manu mea, non ut occiderem te, nec istud ego ab illo postulavi unquam, sed quod semper optavi, ut populus universus ex evidenti & indubitabili facto perspiceret, alium esse in te animum meum, ac in me tuum, neque me tibi, perinde ac tu mihi, necem machinari, quam quum facile possem, non intuli.

v. 13. *Judicet Dominus inter me, & te, & ulciscatur me Dominus ex te, manus autem mea non sit in te, sicut & in proverbio*

A *bio antiquo dicitur, ab impiis egredietur impietas*. Idem innuit vulgaris parœmia: a fodiente opplebitur fovea. Saul Davidis dictis imo factis vehementer commotus lacrymas continere non potuit: filium appellat, quem hostem capitalem hactenus habuerat: atque justiorem se agnoscit & fatetur. Compertissima siquidem, & eximia erant Davidis in eum merita, quibus ta-B men sciebat se neutiquam respondisse.

Et nunc, quia scio, quod certissime regnaturus sis. Unde hæc Sauli scientia? Ex eo, ajunt, quod videret in hoc Davidis facto impletum Samuelis oraculum. Eum scilicet fore Saulis successorem, qui ipsius pallii summitatem præcidisset. Verius alii docent Saulem ejusmodi scientiam hausisse ab C iisdem fontibus, ex quibus Jonathas filius ejus eam de futuro regno Davidis notitiam acceperat; quando in agro & in deserto Ziph ante illud factum, cum Davide sic agebat & paciscebatur, ut quem certo crederet regnaturum: ex communi videlicet vulgi opinione & publica fama orta ex minaci vaticinio Samuelis adversus Saulem, & in dies aucta ex manifesta Dei circa D Davidem providentia, quæ vel maxime enituit in persecutione adversus eum a Saule excitata, & irrito semper conatu exercita, Deo ubique Davidem mirabiliter protegente.

v. 21.

Jura mihi in Domino, ne deleas semen meum post me, neque auferas nomen meum de domo patris mei. Atque id se facturum David jurejurando spopondit, & suo tempore præ-E stitit: nam etsi aliquos Saulis nepotes divino oraculo compulsus Gabaonitis necandos postea tradiderit, reliquos tamen, quos licuit, servavit & benigne tractavit.

v. 22.

2. Reg. 21.

CAP. XXV.

v. 1.

M*Ortuus est autem Samuel*. Interea dum Saul & David inter se certant, alter ut regnum, alter ut vitam tueatur, moritur Samuel Pro-F pheta Domini, cujus in universam domum Israel ingentia merita supra ex Scriptura retulimus: ut mirum non sit, si ad ejus funus universus populus convenerit. Hac scilicet cum pompa efferri solebant viri magnis in rempublicam meritis insignes: quare Moysis & Aaronis, Jacobi Patriar-

triarchæ & Stephani Diaconi exequias Scriptura refert magno cum planctu, & hominum frequentia fuisse celebratas.

v. 2. *Consurgensque David descendit in desertum Pharan*. Hic occurrunt Davidis cum Nabale, & ejus uxore Abigail gesta. Intellexerat David Nabalem in Carmelum ad tondendos greges suos venisse, montem in eadem solitudine Pharan situm, atque per eam occasionem suis familiaribus & pastoribus splendidum instruxisse convivium. Id enim consuetudo ferebat, sive fruges colligerentur, sive pecora tonderentur: nam & idem fecisse Absalonem infra habetur, ac simili de causa convivium adornasse, *quasi convivium Regis*. David itaque, quum in vasta & sterili solitudine annonæ inopia premeretur, decem ex sociis ad Nabalem misit oratum, ut indigentibus succurreret. Is, ajebant, quem sospitem optamus, David tibi, tuęque domui pacem apprecatur; rogat ut mercedem, qualem qualem ipse statueris, solvi jubeas servis tuis, ob navatam pecori tuo operam. Plura profari non est passus Nabal homo rusticus & illiberalis, sed intolerandæ arrogantiæ esse arbitratus, quod mercedem exigerent publici latrones: *Quis est David*, respondit, *& quis est filius Isai*? quasi dicat, ille scilicet, quem publicæ pacis perturbatorem Rex ad supplicium jamdiu deposcit, & qui socii ejus? Servi nempe fugitivi & prędones, adeo *increverunt servi, qui fugiunt dominos suos*. Scilicet ne Davidis legatos vacuos, & sine viatico dimitteret, hujusmodi mercedem solvit, & contumeliis oneravit.

v. 13. *Tunc ait David: accingatur unusquisque gladio suo*. Eo siquidem responso offensus socios arma protinus expedire jussit, pro deliberato habens, quod solus Nabal peccaverat, universæ familiæ exitio vindicare, ac fortasse fecisset, nisi Nabalis uxor intercessisset. Prudens siquidem, femina mala prospiciens ex eo mariti facto sequutura, jamque prope impendentia, summa, qua potuit, celeritate amplum commeatum paravit, jussitque servos sine mora antecedere, & Davidis animum occupare oblata ingenti esculentorum & poculentorum copia. Ipsa statim sequuta est donis & blanditiis satis in-

[illegible]

A instructa. Porro hæc, mirum est, tam secreto geri potuisse, ut Nabalem prorsus latuerint, nec nisi postridie, uxore narrante, ea resciverit.

v. 23. *Quum autem vidisset Abigail David, festinavit, & descendit de asino, & procidit coram David in faciem suam.* Merito hujus feminæ prudentia laudata est, adeo nihil in actis vel dictis B ejus apparet, quod ad propositum finem non fuerit accommodatissimum, eximiam enim animi demissionem ostendit, & summam erga Davidem observantiam, quare flexis genibus submissa fronte obviam venientem adorat, nec nisi petita venia suam causam agere aggreditur, quam quidem adeo eleganter, & nervose perorat, ut David, quid contra opponeret, nihil C habuerit, immo dicenti gratias egerit, non quod dona attulisset, licet magnifica, & pręsenti necessitati maxime opportuna, sed quod a pręcipiti consilio iratum avocasset. *Benedicta tu*, respondit, *quæ prohibuisti me ne irem ad sanguinem, & ulciscerer me manu mea.*

v. 25. *Oro te Domine mi: loquatur ancilla tua super virum istum Nabal, quoniam* D *quale est nomen ejus, talis ipse est. Nabal est nomen ejus, & conviciandi vitium cum ipso est.* Nabal igitur conviciatorem significat, maledicum & contumeliosum, adeo ut hodie quoque hoc vocabulum eodem sensu vulgus usurpet: quare iratus quispiam adversario dicere solet, Mnabel-no loch, idest contumeliis, seu maledictis & conviciis onerabo te.

v. 28. E *Faciens enim faciet Dominus tibi domino meo domum fidelem. Quum ergo fecerit Dominus domino meo omnia, quæ loquutus est de te bona, non erit hoc tibi in formidinem, & in offendiculum cordis.* Hinc apparet, vaticinium de futuro Davidis regno vulgatissimum fuisse, ut Abigail, illud, quasi rem compertissimam ac certam præsumat. *Faciet*, inquit, *Dominus tibi domum fi-* F *delem*, idest, ut ipsamet continuo se explicat, *regnum tradet*, nec quale Sauli dedit, infirmum & precarium, sed stabile & perpetuo mansurum. Sic ergo age, ut ea utaris in meum conjugem clementia, quam erga Saulem hactenus exercuisti, cujus injurias admirabili mansuetudine hodie quoque dissi-

dissimulas. Ita fiet, ut Regem non poeniteat, quæ feceris privatus. Credidit ergo Abigail, Davidem peccaturum fuisse, si propositam vindictam de Nabale sumsisset, & ipse David Deo gratias egit, & Abigailem laudavit, quod in medio ruentis iræ cursu illum cohibuisset. Judicavit ergo etiam ipse nefas esse, quod cogitabat.

v. 38. *Quumque pertransissent decem dies, percussit Dominus Nabal, & mortuus est*. Is videlicet, post decem dies immissa divinitus lue justissime periit, qui decem Davidis sociis causam jurgii intulit iniquissime. Periit, inquam, poena crimini conveniente, sic ut qui ad aliena mala omnem misericordiæ sensum exuerat, lapidis naturam indueret, atque adeo omnem sensum amitteret. Nabal itaque, qui uxoris gratia absolutus homini poenas non dedit, proprio scelere damnatus dedit Deo. Porro, sicut justus Deus Nabalis inclementiam & duritiem punivit, ita uxoris humanitatem & misericordiam est remuneratus, nec passus est viduam manere in luctu, sed ad regium thalamum Davidi statim nuptam evexit. Sub idem tempus David etiam Achinoam duxit, postquam Merob, deinde Michol a patre aliis viris traditæ ab eo divortium fecerant. Credibile est hoc Davidem, Deo inspirante, fecisse, quo Patris exemplo Salomon, ejusque successores suas uxores, nam plures ducturi erant, regere discerent, nec earum blanditiis eo trahi se finerent, unde vel inviti in idololatriam, & idololatrarum errores & vitia ruere cogerentur. Tropologice. Abigail derelicta, a Davide in sponsam assumitur, quia natio Gentium Christi sponsa facta est, ut *sterilis, quæ non pariebat lætaretur, & multi fierent filii desertæ, quam ejus, quæ habebat virum*. (Es. 54. 1. Gal. 4. 27.) Achinoam, idest frater meus jucunditas, sive melos, synagogam Judæorum significat, quorum Christus frater est secundum carnem, vera Sanctorum jucunditas, & canticum: hanc quoque Christus sibi copulabit, *postquam intraverit plenitudo gentium*, ut scribit Apostolus. (Rom. 11. 25.)

CAP. XXVI. v. 2.

ET *surrexit Saul, & descendit in desertum Ziph*. Quoniam ea, quæ intra speluncæ latebras acta fuerant, nec adeo manifesta erant, ut nefas esset

esset eadem in dubium vocare, neque adeo perspecta in eo facto Davidis fides, ut plerique suspicari non possent, illum cæde Saulis idcirco abstinuisse, ne sibi & sociis ingens & inevitabile periculum accerseret, quum & antrum a militari via prope abesset, & in vicinia ad Saulis custodiam excubarent tria armatorum millia, qui, comperta Regis cæde, eam utique inultam minime reliquissent. Credo Davidem Deo supplicasse, ut altera adhuc vice Saulem sibi traderet, non ut insidiatorem vitæ suæ vita privaret, id enim ille quasi scelus execrandum perpetuo fuerat aversatus, sed ut filiis Israel universis palam faceret, nec regnum se affectare, nec Regis capiti insidias moliri.

Et ait David, quis descendet mecum in castra? *v. 6.* Nunciatum fuerat Sauli a Ziphæis Davidem in collem Hachila profugisse. Eo itaque cum tribus armatorum millibus illico profectus collem vacuum occupavit: inde siquidem comperto Saulis adventu David, mutata statione in vicinam solitudinem se conjecerat. Quum ergo Saul non longe abesset, David alta jam nocte castra ingressus Regis tentorium diligenter observavit: indeque reversus suos commilitones compellans: *Quis*, ait, *descendet mecum in castra?* Mox assumpto uno Abisai filio Sarviæ, silentio ad Saulis tentorium repsit. Quumque Abisai in eum ferrum strinxisset, adolescentis impetum repressit David. Neve alius quispiam de hac re sibi deinceps negotium facesseret, juravit per Dominum in Saulis cædem se nunquam consensurum: nec enim fas esse, Regem a Deo constitutum alia, quam divina perire manu. Hastam dumtaxat & scyphum abstulit, ut haberet testes, quibus suam innocentiam præterito documento Regi approbatam, universo nunc ejus exercitui, adeoque omni populo faceret manifestam. Illud mirum, quomodo David talia ausus fuerit: adeo ut in medios hostes semel & iterum se conjecerit, nec casum pertimuerit, quo quispiam in tanta hominum multitudine ex qualicumque causa expergefactus, venienti vel abeunti occurreret, quod si contigisset, de salute

lute Davidis actum videbatur. Relege, quæ superius circa ejusdem cum Gigante pugnam annotavimus: Davidem videlicet in factis ejusmodi divino consilio rectum fuisse, quare manifestis periculis citra omnem temeritatis & imprudentiæ notam frequenter se objecisse. Quod quidem præter alia argumenta, mirabilis etiam & constans in eisdem adeundis, atque evadendis felicitas declaravit. Et in præsenti facto Scriptura confirmat, caussam indicans, ob quam nullus in tanta hominum turba Davidis & socii adventum, aut abitum animadverterit. *Quia*, inquit, *sopor Domini irruerat super eos*.

v. 19. *Et ait David: Si Dominus incitat te adversum me, offeramus sacrificium*. Idest: mactatis hostiis Deum consulamus ambo. Quæ enim ipse facit, eadem suo fieri nutu declarabit. *Si autem filii hominum, maledicti sunt coram Domino*, idest execrabiles Deo sunt, & ejus maledictione digni, quippe qui me meosque nituntur ab illius cultu abstrahere, dum in idololatrarum terras migrare cogunt, atque adeo eorum legibus & moribus vivere.

v. 20. *Et nunc non effundatur sanguis meus in terram coram Domino, quia egressus est Rex Israel, ut quærat pulicem unum, & persequatur perdicem in montibus*. Quasi dicat: sin ergo nec Deus te adversum me incitat, nec homines factum laudant, vide ne incassum effundas sanguinem innoxium injusta nece, quasi vero, qui homo sum infimæ sortis, & hoc amplius extorris, & exul, tibi tanto Regi nocere valeam. Sed nec si possim, unquam velim: tuque istuc iteratis experimentis doctus certe ignorare non potes, nec debes negare.

CAP. XXVII. v. 1. ET *surrexit David, & abiit ipse, & sexcenti viri cum eo ad Achis filium Maoch Regem Geth*. Dixi Davidem plura ausum fuisse, quæ quidem a temeritatis nota excusari non possent, nisi facta dicantur ex peculiari divini Spiritus instinctu: tale profecto fuit, quod hic occurrit. David enim ante aliquot annos ad hunc ipsum Regem Geth profectus, adeo sibi infestum senserat, ut capitis discrimen vix evaserit; evasit ta-

[illegible]

[illegible]

A tamen, imo ejectus fuit, nec absque ignominia & dedecore, ut qui insanus haberetur, nam talem ipse se finxerat, quo vitæ discrimen præsens ac certum averteret. Nunc vero injuriarum simul, & periculi immemor ad eumdem Achin redit. Excipitur nihilominus humanissime, & hoc amplius oppido Siceleg donatur. Sic Achis Davidem antea repulit inutilem sibi arbitratus, B tum quod sibi quidem, suis tamen popularibus oppido magis addictum crederet, tum quod videret in insaniam fuisse prolapsum: nunc vero, quum sciret Davidem a Saule, ejusque popularibus maxime diffidere, eo quod ab illis magnopere vexatus & gravissimis injuriis affectus fuisset, nec aliunde dubitaret, quin militari prudentia maxime valeret veteranus miles, & C dux pluribus exercitus bellis, censuit ejus operam sibi quam oppido necessariam in proximo præsertim bello, quod Philistæorum respublica adversus Israëlitas moliebatur, & paulo inferius Scriptura refert. Quamobrem venientem effuso sinu excepit, & illi urbem, quam petebat, libens concessit. Adeo Achis utrobique deceptus est, seu D quum Davidem antea insanum credidit, seu quum suis Philistæis ejus operam utilem fore, postea speravit.

v. 10. *Dicebat ei Achis: in quem irruistis hodie? Respondebat David: contra meridiem Judæ.* Plura occurrunt in præsenti historia, quæ dispensatorie a Davide facta, vel dicta credere oportet, ut superius observatum fuit. Cæterum etsi ipso Davidis responso Achis E deceptus fuerit, mendacium tamen non fuit: quod enim per ea verba enunciabatur, verum erat: gentes quippe ex quarum locis prædas egisse se dicebat, promissas Judæis terras occupabant: quare non mentiebatur, quum earum agros populatus, Judæorum regiones vastasse se affirmabat.

CAP. XXVIII. v. 3.

F *ET Saul abstulit pythones, & hariolos de terra.* Pythones dicit vel quorum ventres insidens dæmon ipsorum halitu, & ore verba formabat, vel qui a dæmone per assumptum ab illo corpus responsa petebant, quod hic fecisse mulier pythonissa dicitur. Saul fortasse Samuelem habuit auctorem, ut ejusmodi hominum genus maleficum exterminaret, vel ipse, quum pius fuit,

proprio instinctu id fecit. Saul quippe etsi in cæteris malus, paternæ tamen religionis tenax fuit, adeo ut eo vivente Israëlitæ ab illa minime desciverint, quod profecto nunquam accidit, nisi piis principibus rempublicam administrantibus.

v. 6. *Consuluitque Saul Dominum, & non respondit ei.* Philistæi in Israëlitarum fines rursus irruperant cum ingenti exercitu, cujus apparatum & numerum Saul contemplatus expavit. Quumque consultus Dominus nullum illi responsum daret nec per Sacerdotes, quorum plerosque sustulerat injusta nece, nec per Prophetas, quos monitores contemserat, ad maleficos, & pythones confugit. Propriam ergo personam mentitus, regiisque insignibus depositis & comitatu relicto cum duobus sociis mulierem adit mortuorum, ut credebat, suscitatricem, rogavitque, ut sibi excitaret Samuelem. At illa, *quare*, respondit, *insidiaris animæ meæ, ut occidar?* Nec enim ignoras Saulis adversus Hariolos & Divinos edicta, & plurimorum hac de causa cædes, & nunc, quem suscitabo tibi? Itan' credis, an mentiris? Tun' mortem timeas, quæ mortuos suscitas, aut alienos casus prævideas, quæ ignoras tuos? fortasse etiam mulier Saulem repulit, quod Samuelem suscitari rogaret, quem noverat illi suggessisse edita adversus maleficos edicta.

v. 12. *Quumque vidisset mulier Samuelem, exclamavit voce magna, & dixit ad Saul: Quare imposuisti mihi? Tu es Saul* Hoccine dicis? ten' a Saule delusam quereris, quia personam tibi occultavit suam? Quid ergo ille de te dicat? An non vicissim a te deluditur? rogata quippe Samuelem dare, alium, incertum quemnam offers. Sed jam & istuc expedi: Cur pro uno, quem petebat Samuele, plures, non rogata repræsentas? Quocirca suspicor, mulierem una cum Samuelis spectro Saulis etiam imaginem vidisse, illaque inopinata specie exterritam in eam prorupisse querimoniam. Et illud perinde incertum: quonam indicio utrumque agnoverit, & alterum ab altero distinxerit? Ajunt igitur, Samuelis quidem umbram sacro habitu indutam apparuisse; Saulis vero præsentis formam ex regiis insignibus agnitam fuisse:

[illegible]

A se, quare ex propria imagine ipsum Saulem a femina fuisse deprehensum, ut diceret: *Tu es Saul*.

v. 15. *Quare inquietasti me, ut suscitarer?* Jam si is, qui apparuit, Samuel non fuit, sed Samuelis spectrum, plane mentitur affirmans se fuisse suscitatum; nec enim resurgit, qui nunquam cecidit. Sin Samuel hic fuit, utique non erat, cur Propheta rerum suarum gnarus a Saule suæ suscitationis
B causam rescire vellet, nec Saul res Samueli, imo universo Israëlitarum populo notas retexere debuit, ut diceret: *Philistæi pugnant adversum me, & Deus recessit a me. Vocavi ergo te, ut ostenderes mihi quid faciam.*

v. 17. *Et ait Samuel: Quid interrogas me, quum Dominus recesserit a te?* Quid
C istuc? Si hic non erat Samuel, quomodo Samuelis personam & verba usurpat, qui nec animum, nec corpus Samuelis habebat? Vel si malus dæmon fuit, atque adeo spiritus mendax & Deo inimicus, quomodo Sauli vera loquitur, & futura ex vero prædicit, & hoc amplius Dei æquitatem prædicat, & Saulis damnat inobedientiam? Rursus si Samuelis fuit, a mortuorum ergo
D sedibus evocatus Sauli apparuit, & eo unde venerat, eadem nocte rediit, ut bene constent, quæ Sauli comminatus fuit. *Tu, & filii tui cras mecum eritis*, idest, sicut ego mortuus sum & mortuorum locis detineor, ita & tu, tuique liberi moriemini, & ad defunctorum receptacula venietis. Vel si idem verum Samuelis spectrum fuit & malus dæmon, dæmones utique non
E moriuntur, Saul autem & filii ejus mortui sunt, qua ergo ratione cohærent, quæ hic ab eo dicta referuntur de Saulis & filiorum morte, atque eorundem post illam cum interlocutore mora: postera enim die, qua illi interfecti sunt, utique nec pythones, nec pythonissa vivere desierunt.

v. 20. *Statimque Saul cecidit porrectus in terram*. Horribili scilicet denunciatio-
F ne perculsus & inevitabilis, jamque imminentis interitus objecta imagine velut sideratus, amisso sensu corruit. Sed enimvero vix ulla fuit timendi causa: mortem quippe timere non debuit, cui præsens aderat pythonissa suscitatrix mortuorum. Si quid ergo hujusmodi Saul audierat, meræ nugæ & vana som-

somnia fuerunt. Jam si Saulem recenti letho sublatum a pythonissa suscitari posse nullus credidit, stultus, imo & impius est, qui sanctissimum Prophetam Samuelem, cujus etiam ossa in cinerem abierant, ab illa suscitatum, aut potuisse suscitari credat. Lusit ergo fabulam python, & ab eo delusus fuit, qui Samuelem ab ipso suscitatum credidit: umbram itaque & spectrum Samuelis dæmones Sauli objecerunt; esto Scriptura Samuelem apparuisse dicat semel hic & iterum in secundo libro Annalium: id enim exponendum est in eum fere sensum, quem a Spiritu Sancto intentum fuisse, dubitari non potest, ubi narrat Angelos ab Abrahamo hospitio exceptos, & homines fuisse, & appositos ab illo cibos comedisse, & rursus ubi Josue apud Jericho diversante, Angelum illi evaginato gladio apparentem hominem pariter appellat, utrobique enim, ut alibi frequenter, species rei, non veritas proponitur. Et quoniam Saul divinos & hariolos, quos velut simplicis vulgi deceptores pie sustulerat, impie post adhibuit consultores: idcirco justa Dei ordinatione factum est, ut quod ille maxime horrebat, ab eisdem audiret, suum videlicet, suorumque interitum, atque adeo morientium pœnam ante mortis articulum sustineret. Id porro Deus per Ezechielem comminatur illis verbis: *Etsi abierit ad Pseudoprophetam ego respondebo ei*. Simile profecto crimen Regis Moabitarum, simili mortis denunciatione punitum fuit, Deo verba Balaamo dictante. Illud vero, quod spectrum dixit: *Cras autem tu, & filii tui mecum eritis*, ideo Scriptura retulit, quo intelligeremus, eos qui dæmonum præstigia affectantur, eorumque consilio & voluntate reguntur, ipsorum etiam potestati post obitum fore subdendos, ut æquata utrorumque sorte pœnam cum illis sustineant sempiternam.

14. 4.

A B C D E F [illegible]

Mor-

A

ܘܡܝܬ ܫܐܘܠ ܘܬܠܬܐ ܒܢܘܗܝ. ܦܫܝܩ
ܗܘ ܡܢ ܠܡܫܟܚ ܥܠܠܬܐ ܕܡܛܠܬܗܝܢ
ܫܐܘܠ ܡܝܬ ܘܡܠܟܘܬܗ ܢܣܝܒܬ. ܟܕ ܟܬܝܒܢ
ܒܣܦܪܐ ܩܕܡܝܐ ܕܕܒܪܝ ܝܘܡܝܢ ܘܝܕܝܥܢ ܣܓܝ
ܡܢ ܥܒܕܘܗܝ ܕܡܬܬܫܥܝܢ ܒܣܦܪܐ ܗܢܐ.
ܠܐ ܕܝܢ ܥܠܬܐ ܕܡܛܠܬܗ ܐܬܩܛܠ ܝܘܢܬܢ
ܙܕܝܩܐ ܥܡ ܫܐܘܠ ܪܫܝܥܐ. ܘܐܦܠܐ ܡܬܬܡܨܝܐ
ܡܡܠܠܘ ܗܘ ܕܒܬܪܐ ܠܐ ܫܬܩ ܟܬܒ
ܐܡܪܝܢ ܒܪܡ ܐܢܫܝܢ ܕܡܦܫܩܢܐ ܬܠܬܝܢ
ܥܠܬܐ. ܩܕܡܝܬܐ ܕܐܬܥܢܝ ܝܘܢܬܢ ܩܕܡ ܕܘܝܕ ܘܠܐ
ܢܬܚܪܐ ܠܡܣܒܠܐ ܠܕܘܝܕ ܡܢ ܡܠܟܘܬܐ
ܐܦܢ ܒܫܘܠܛܢܐ ܕܟܝܢܐ ܡܫܬܐܪ ܐܡܪ
ܕܢܗܘܐ ܠܐ ܒܥܐ. ܝܘܢܬܢ ܓܝܪ ܟܕ ܚܝ ܗܘܐ
ܚܝܠ ܐܝܕܘܗܝ ܕܕܘܝܕ ܘܡܕܝܪܗ ܒܠܒܘܗܝ
ܐܦ ܒܬܪ ܕܚܙܐ ܕܢܡܠܟ ܗܘ ܥܠ ܥܡܐ.
ܟܕ ܐܡܪ ܐܢܬ ܬܡܠܟ ܥܠ ܐܝܣܪܐܝܠ
ܘܐܢܐ ܐܗܘܐ ܠܟ ܬܢܝܢܐ. ܐܚܪܢܐ ܕܝܢ ܐܡܪܝܢ
ܕܡܛܠ ܕܠܘܛܬܗ ܗܘܐ ܕܫܐܘܠ ܥܠ ܝܘܢܬܢ.
ܘܩܛܝܠ ܒܩܛܠܐ ܗܢܐ ܒܐܘܪܚܐ ܕܐܡܝܢ
ܫܡܥ ܠܗ. ܗܘܕܥܐ ܦܬܓܡܐ ܒܐܝܕܐ
ܘܦܠܫܬܝܐ. ܘܡܢ ܐܚܪܢܐ ܐܬܚܝܒ ܝܘܢܬܢ
ܘܠܐ ܟܐܢܐܝܬ ܡܠܟܬ ܠܘܬ ܐܒܘܗܝ ܐܠܐ
ܠܕܘܝܕ ܡܠܟܘܬܐ ܟܕ ܐܡܪ ܢܥܒܕ ܡܪܝܐ
ܠܒܥܠܕܒܒܘܗܝ ܕܕܘܝܕ ܡܢ ܐܦܝ ܐܪܥܐ.
ܘܡܢܐ ܠܗ ܕܝܢ ܕܡܣܟܐ ܗܘܐ ܠܡܘܬܗ
ܕܐܒܘܗܝ ܗܘܐ ܠܗ ܠܐܘܪܚܗ. ܕܘܝܕ ܓܝܪ
ܠܐ ܩܢܐ ܒܥܠܕܒܒܐ ܕܩܫܐ ܝܬܝܪ ܡܢ
ܫܐܘܠ ܒܥܠܕܒܒܘܗܝ.

B

C

CAP. XXXI. v. 6.

Mortuus est ergo Saul, & tres filii ejus. Facile est causas invenire, ob quas Saul vita demum regnoque spoliatus fuit, quum eædem expresse legantur in primo Annalium libro, & satis constent ex ejus gestis, quæ in præsenti historia suis locis narrantur. Causam vero, cur cum Saule impio pius Jonathas cæsus fuerit, dicere nec obvium est, sed neque, tacente Scriptura, tutum, esto quidam interpretes triplicem protulerint. Ajunt primum Jonathan Davidi præmortuum, non quod cum illo de regno contendere vellet, sed ne posset. Jonathas quippe, quum viveret, *confortavit manus David*, eique maxime favit, etiam postquam ipsum regnaturum credidit. *Tu*, ajebat, *regnabis, & ego ero tibi secundus*. Alii ad Saulis maledictionem istuc referunt. Quoniam, inquiunt, Jonathas pœnas ob paterni præcepti transgressionem commeritas olim populi intercessione vitaverat, tandem aliquando dedit Philistæorum opera interfectus. Aliqui Jonathan damnant quasi in parentem minus æquum, imo impium, eo quod Davidi regnum & prospera omnia precatus adjecit: *Et eradicaverit Dominus inimicos David, unumquemque a superficie terræ*. Visus est, ajunt, sperasse & quodammodo optasse sui parentis interitum: nec enim David habuit inimicum illo infestiorem.

1.Par.10.13.

Sup.23.17.

Sup.20.15.

SAN-

A

SANCTI PATRIS NOSTRI
EPHRAIM SYRI
IN LIBRUM SECUNDUM SAMUELIS, QUI ET REGUM SECUNDUS
EXPLANATIO.

[illegible]

B

CAP. I. v. 1.

ET factum est, postquam mortuus est Saul, ut David reverteretur a cæde Amalec, & maneret in Siceleg duos dies. Die tertia apparuit homo de castris Saul. Hic Davidi nunciavit externi prælii exitum, Hebræis ob cladem acceptam Regisque cædem funestissimum. Incertum quis iste nuncius fuerit, quamquam ipse se Amalecitam esse affirmaverit, ad captandam forte Davidis gratiam, ut qui communem cum ipso haberet hostem Saulem. Illud certum, eum neutiquam dubitasse, quin lætissimum Davidi nuncium afferret, qui capitalis hostis interitum nunciaret; neve ille de testimonii fide ambigeret, sua Saulem manu occubuisse dixit. Quamquam animadversa Davidis perturbatione, statim subintulit, invitum se id fecisse, nec nisi ipsius Saulis adactum imperio, jamque post lethale vulnus desperata illius salute. An vera, an falsa nunciaverit, juste a Davide interfectus est, tum quod Amalecitam se esse confessus est, Dei proinde sententia communi omnium Amalecitarum anathemati subjectum, tum quod ipse se reum fecit, seu verum, seu falsum affirmaverit. Nec enim Regem occidere debuit, nec si non occidit, sua manu occisum mentiri. Multo tamen propius vero esse existimo, illum Sauli necem neutiquam intulisse, aut ullam intendisse injuriam: id enim ne fieret, milites regium latus stipantes, & armiger præsens utique prohibuissent.

v. 18.

Et præcepit, ut docerent filios Juda arcum. David, ut vidit suorum ex ea clade consternationem, & auctam indidem Philistæorum audaciam, ut vix quiescere posse viderentur, atque a bello cessare, edixit, ut quibus per ætatem licebat, omnes arma tractare assuescerent, & præcipue ediscerent artem sagittariam, qua Philistæos in primis excellere proximum prælium docuerat. Edictum

C

[illegible]

D

[illegible]

E

[illegible]

F

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A ctum ad tribum Juda directum fuit, apud quam David plurimum auctoritate valebat, fuitque publicatum post Saulis & Jonathæ obitum, ambo quippe, quum viverent, tractandorum ejusmodi armorum ipsi peritissimi populum per se exercebant, ut in sequenti carmine David vere & merito dixerit: *Sagitta Jonathæ nunquam rediit retrorsum, & gladius Saul non est reversus inanis.*

B *Ecce istud scriptum est in libro Hascir*, in eo videlicet volumine, in quo Cantica & carmina per ordinem descripta legebantur.

Caprea Israel. Capream Israëlitidem gentem dicit, sive ob ejus decorem juxta illud Canticorum: *Similis est Dilectus meus Capreæ*. Sive quod Caprearum in persequendis hostibus velocitatem imitaretur: qua laude Saulem & Jonathan excelluisse, infra commemorat. — v. 19.

C

Super collibus tuis quomodo fortes ceciderunt vulnerati! quasi dicat. Siccine victi succubuere viri fortissimi: nec profuere locus superior, nec vires corporis firmæ, nec invictum animi robur, sed quos ceperant Gelboe montes, victi, cæsique suis cadaveribus texerunt! Israëlitarum porro in hac pugna fortitudinem laudat, ut indicet non militibus virtutem defuisse, sed Duci pietatem, quæ *ad omnia utilis est, promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ*: nec perinde ejus prelii exitum Philistæis rem fortiter gerentibus, sed Deo scelera Saulis præsertim vindicanti esse tribuendum. — v. 20. — D — 1. Tim. 4. 8.

E *Montes Gelboe, nec pluvia, nec ros veniant super vos*. Non pluvia, quia Saulis cruore maduistis, nec ros, quia tabe cadaverum Jonathæ ejusque fratrum infecti fuistis: Verba indicant vehementissimam animi commotionem, & ægritudinem. Nec tamen montibus optabat David sterilitatem, sed fidem dolori suo: hic enim feralis hujus carminis scopus fuit. Verisimile namque videbatur Benjamitas (nam de cæteris Tribubus minor suberat suspicio) ad conflandum Davidi populare odium, hoc interim vulgasse, gratissimum illi accidisse Saulis regiæque sobolis interitum. Tropologice. David sententiam a Christo in Ju- — v. 21. — F

A Judæos ferendam præoccupat, illiſque in figuram prænunciat ruinam & vaſtitatem, quam ille poſtea ipſis aperte comminatus eſt prædicens regnum Dei ab eis auferendum, & relinquendam domum eorum deſertam propter cædem Prophetarum, & fuſum ſuper ipſorum montibus Juſtorum ſanguinem, puta in monte Calvariæ, & in ea urbe, cujus fundamenta jacta fuiſſe Propheta dicit in B *montibus ſanctis*.

Pſal. 86. 1.

Neque ſint in vobis agri oblationum, quia illic fractus eſt clypeus fortium. Fortium caſum cum ſterilitate montium recte conjunxit primum, quia perinde ut campi ſi ſteriles fiant, nativo ornatu ſpoliantur, & inculti inpoſterum ſqualent, ſic Saul & ejus milites fortiſſimi ſui honoris inſignibus a Philiſtæis exuti ignominioſam nuditatem ſubierant. Iterum. Sicut victores atroci aliqua C injuria provocati dirutarum urbium ſolum ſale aſpergere ſolebant, unde perpetua ſequebatur ſterilitas, ſqualor & vaſtitas. Ita David conceptum ex Saulis & Jonathæ acerbiſſimum dolorem teſtaturus, hanc ipſam pœnam montibus, in quibus occubuerant, imprecatur.

Clypeus Saul, qui unctus erat oleo, ideſt occidit Saul & clypeus ejus ab-D jectus eſt, nec juſtus ſcelerum vindex Deus, nec hoſtis Philiſtæus ſacram unctionem attenderunt, quæ illum venerabilem, ac reverendum alias facere ſolebat.

v. 22.

Sagitta Jonathæ nunquam retrorſum abiit, & gladius Saulis non eſt reverſus inanis. Jonathæ in arte ſagittaria excellentiam prædicat, & Saulis E in tractandis armis peritiam, vimque animi & corporis robur: indeque oſtendit, quod nec ille telum in hoſtes fruſtra torſerit, nec iſte gladium in quemquam ſtrinxerit, quin alto vulnere confoſſum proſtraverit.

v. 23.

Saul, & Jonathas amabiles, & jucundi in vita ſua, etiam in morte non ſunt ſeparati. Mores nunc laudat utriuſque, nec porro dubitabile eſt Davidem de Jonatha ex ſincero animi F ſui ſenſu talia fuiſſe loquutum, ejus enim jucundiſſimam conſuetudinem, & ſuaviſſimos mores ipſemet expertus fuerat & populi ſtudia pro tuenda ejus adverſus parentem cauſa ſatis commendabant. At nec dubium eſſe debet, quin de Saule paria affirmare potuerit ci-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A citra ullam veritatis injuriam, modo hæc referri dicantur ad initia ejus principatus, quando a Samuele unctus est, & coram populo laudatus, & ejus consilio rectus multa pie & fortiter gerebat.

Aquilis velociores, leonibus fortiores, seu quum incurrentes hostes invaderent, seu quum fugientes insequerentur.

B *Filiæ Israel super Saul flete, qui vestiebat vos coccino super vestibus polymitis*. Vestes significat varii generis, quas Saul vicinis populis abstulerat, & inter Israëlitidas feminas diviserat, quarum pars magna puellis virginibus occasione nuptiarum obtigerat. Prædixerat olim Israëlitis Samuel, eum, quem petebant Regem, filias eorum vexaturum: satagebat ergo Saul insi-C tam ex ea prædictione opinionem illorum animis evellere. — v. 24.

Et stolis vestris imagines auri superducebat. Idest, & quas vobis distribuebat vestes illitis auro argentove figuris, vel hieroglyficis symbolis ornabat.

Doleo super te frater mi Jonatha mihi amabilis, singularis amor in te meus super amorem mulierum. Hæc postre-D ma, præcipua tamen pars est hujus carminis. Nihil enim tantum pupugit Davidis animum, quantum Jonathæ carissimi amici fatum. Quare nec mirum si in ejus complorando casu tamdiu insistit. Diligebat quippe illum super amorem, quo matres filios suos amare solent, perinde etiam amissum dolebat magis, quam mater unigeniti sui acerbo fato perculsa, quo dolore nullus major, E nisi, quo Christus mortem nostram doluit, & destruxit moriendo pro nobis. — v. 26.

Quomodo ceciderunt robusti. Repetit, quæ supra dixerat, vel admirans rerum humanarum vicissitudinem, quod scilicet a summo honoris, ac dignitatis fastigio tantus Rex in tantam ignominiam & contemtionem tam F brevi tempore decidisset. Seu dolens communem populi sui ruinam, ac tot fortissimorum virorum funera. Quasi dicat: qui factum, aut fieri potuisse, putas, ut invicti bellatores ac tot gentium victores puta Amalecitarum, Ammonitarum, atque Philistæorum, adeo turpiter victi fuerint, ac Regem & castra simul amiserint. — v. 27.

Et perierunt vasa bellica , vel arma significat , quorum in bello usus: vel ipsos milites , quibus velut instrumentis ad gerenda bella utitur respublica , vel Saulem & Jonathan tam egregios bellatores.

CAP. II. v. 1.

P*Osthæc consuluit David Dominum* . Ideſt poſt Saulis obitum , ac teterrimam illam ad montes Gelboe cladem . David incertus , quid conſilii in eo caſu , atque rerum perturbatione caperet , quove ſe verteret , conſuluit per Abiathar Pontificem Dominum, eoque jubente Hebronem conceſſit urbem tribus ſuæ primariam . Ibique a contribulibus ſuis Rex inauguratus fuit, & a Pontifice ſolenni ritu iterum inunctus.

v. 8. *Abner autem filius Ner tulit Asboſul , & duxit in Mahanim , Regemque conſtituit* . Nec enim Davidis facta a Deo electio erat certa , nec ſi certa & publica perinde certum , & notum tempus ad eam exequendam a Deo conſtitutum . Hinc ortum inter utramque factionem diſſidium in apertum bellum tandem erupit.

v. 12. *Egreſſuſque eſt Abner , & ſervi Iſboſeth e Mahanim in Gabaon* . Abner Saulis patruus ejuſdem Soboli paternam hæreditatem integram manere volebat , cui quum Tribus Juda cum ſua factione reſiſteret ad arma utrinque procurritur.

v. 14. *Dixitque Abner ad Joab : Surgant pueri , & ludant coram nobis* . Conditionem non abnuit Joab . Dixitque Abneri : ſi duodecim juvenes in eam dimicationem produceret , parem eiſdem numerum ſe educturum . Dato ſigno concurrunt , pugnatur , exitus pugnæ : omnes mutuis vulneribus confoſſi occubuere victores & victi . Credo duces belli eventum ea dimicatione explorare voluiſſe victoriam horum, vel illorum pro præjudicio accepturi . Nam eam velitationem juſtum prælium mox conſequutum eſt , in quo Abneritæ a Joabitis cæſi fugatique fuerunt.

v. 19. *Perſequebatur autem Aſael Abner* . Frater Joab hic erat , qui quum obſtinatius inſtaret fugienti Abneri , nec ſemel & iterum ab eo commonitus recedere vellet , ab eodem averſa haſta confoſſus interiit . Invitus Abner hoc fecit , ut qui nollet cum Aſahelis

[illegible]

[illegible]

lis fratribus Joabo & Abisai suscipere inimicitiam gravissimam, & ut eventus docuit sibi maxime periculosam, Asahel vero immoderati spiritus juvenis gloriam de interfecto hostilis exercitus duce ambiebat immensæ ambitionis poenam dedit interfectus ipse. Tropologice. Abner Asahelem monuit, hic monentem sprevit: ille prudentis & recte sibi, aliisque consulentis animæ symbolum fuit. Hic dum cupiditati suæ nimium indulget, monentem contemnit & occiditur, peccatorem describit in suum exitium ruentem, dum suis cupiditatibus obsistentes monitores repellit.

v. 26. *Num in sempiternum mucro desæviet?* Sunt Abneris verba. Sensus est. Non expedit o Joab, hunc enim alloquitur, ad internecionem usque sævire, idque in fratres. Qui enim hodie hostes aliquando tandem fratres erunt, Tuque si scires regnum ad Davidem ocyus devolutum iri, & utriusque populi unum fore pastorem, gregem ejus neutiquam, ut facis, perditum venires. Joab fratre multo prudentior bene monentem, esto hostem, libens audiit, receptuique statim cecinit, & pugnam diremit, sua arbitratus civium suorum damna.

CAP. III. v. 2. **N***Atique sunt David in Hebron filii.* Undecim Scriptura enumerat: duodecimus Bethsabeæ filius. Parem ergo discipulorum Christi numerum in Davidis liberis agnosce, sicut in istorum parente frequenter illorum magistri figuram es contemplatus. Ex eo censu excidit unus filius peccati in cunis extinctus, quia ex Apostolorum collegio paulo post vocationem ejectus est Judas filius perditionis, cui suffectus fuit ex Dei electione Matthias, sicut Bethsabeæ filio Salomon Deo dilectus.

v. 8. *Numquid caput canis ego sum hodie adversus Judam?* Abner ab Isbosetho reprehensus fuerat, quod Resphæ patris sui Saulis concubinæ domum frequens adiret, eam reprehensionem Abner contumeliam & injuriam interpretatus monenti respondit. *Numquid caput canis ego sum hodie adversus Judam?* Varios & contrarios sensus habere potest hoc Abneris responsum. Pri-

Primum, ut significet Abner se neutiquam canis loco habendum, adeo ut Isboseth a tecto & consuetudine ejus mulieris jurgio velut fuste canem abigendum putaret. Secundum, quum hæc verba Abner ad Tribum Juda referat sensus esse potest. Equidem non sum caput canis, idest mutum sine mente animal, qui Davidis merita non considerem, & ipsi destinatum divinitus regnum jure deberi non intelligam. Possunt iterum ea verba in contrariam fere significationem flecti, ut hunc faciant sensum. Ego nec canis sum, nec caput canum, militum scilicet, quibus præfectus sum, adeo ut domum tuam custodire & inimicos tuos filios Juda arcere debeamus, quamquam id hactenus fecerimus. Sed quoniam tibi canis sum, idest vilis & nullius pretii homo, quemadmodum tuum istuc factum ostendit, ab hac die canis non ero adversus Judam & Davidem, idest, nec bardus, ut non intelligam quanti sit faciendus David, nec inimicus ut ab hac regia, quam occupas, illum prohibere pergam: *Sed quomodo juravit Dominus David, sic faciam ei*. Isboseth veritus, ne si jurgium porro pergeret, idem, qui Saulis concubinam sibi adjudicasse dicebatur, thronum etiam invaderet, obmutuit.

v. 14. *Non videbis faciem meam, nisi adduxeris mihi Michol filiam Saul*. Abner, quod Isbosetho fuerat interminatus, actutum exequi statuit. Missis itaque clanculum nunciis Davidem sollicitat, ut regnum ex divina destinatione sibi addictum capere festinet, pollicitus operam suam ad ejusmodi negotium minime defuturam. Micholis reductionem David Abneri injunxit, quia nec illam repudiaverat, quare nec legem prævaricabatur repudiatæ uxoris nuptias maritis prohibentem. Sed nec Michol Phalthieli nubens Davidem offenderat, fecit enim invita, Davidem namque diligebat, patre etiam istuc ægerrime ferente, cujus etiam ab insidiis maritum cum sui capitis periculo liberaverat; fortasse aliis quoque argumentis suam in eumdem benevolentiam testata fuerat. Quapropter David officii esse sui credidit, ejus reditum procurare eo tempore, quo intelligebat, ejusdem promeritis gratiam referre se posse imo & debere. Videbat præterea talem cum defuncto Rege affinitatem ad negotium ab Abne-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A nere propositum non parum conferre, quare Micholis reductionem huic potissimum commendandam existimavit.

v. 27. *Et percussit Joab Abner in inguine, & mortuus est.* Abner Hebronem profectus inchoatum per nuncios negotium, cum Davide composuerat, redibatque ad suos, quæ in eo congressu decreta fuerant exequuturus, quum B a Joabo fraudulenter revocatus in urbem, ab eodem occiditur. Hujus cædis causa prima fuit, quam Scriptura hic notavit, Asahelis mors, quam fratres inultam manere nolebant. Altera, quia Joab Abneris incrementa damna sua censebat; nec dubitabat, quin eum honoris gradum, quem apud Isbosethum tenebat, apud Davidem retinere vellet: C id porro si ad votum succederet, Joab & Abisai interfecti Asahelis fratres, & ea de causa Abneris hostes, nedum præfecturas, quas habebant, imo nec vitam servare se posse credebant. Quid enim? num Abner fraternæ cædis ultores vivere vellet?

v. 33. *Plangensque Rex, & lugens Abner ait: Numquid sicut mortuus est Nabal, D sic mortuus est Abner?* Nequaquam sed Nabal mortuus est, quod timeret, Abner, quod timeretur. Hic innocens impia nece sublatus, ille nocens, & injustus æqua Dei sententia damnatus homo siquidem ignavissimus, idemque ingratissimus ex aprehensione appropinquantis hostis metu exanimatus justo judicio periit. Tu vero Abner fortissime, E quia nullum inimicum formidabas, amicitiæ specie deceptus es, occisus ab eo, qui te maxime timebat. Quare *manus tuæ non sunt ligatæ, & pedes tui non sunt compedibus aggravati.* Idest dolo non vi oppressus occubuisti, alioquin vim vi repulisses, vel arte artem elusisses, ut solebas. Et tu quidem Joabi fratrem ex adverso concur- F rentem æquo certamine necaveras, hic vero te ad secretum colloquium amice interpellatum, fraudulenter amplexatus confodit: osculum scilicet offerre videri voluit, ut tutus incautum perimeret: salutem ore dixit, manu Sicam prætendit. Hujusmodi porro carmine David Abneris funus prosequi voluit non eo solum, quod amici viri & erga se optime animati ægerrime ferebat, sed quod

A

quod studebat omnem a se perpetratæ cædis suspicionem amoliri, quod etiam consequutus est; quare Scriptura subdit: *Et cognovit universus Israel, quoniam non actum fuisset a Rege, ut occideretur Abner*. Cæterum videtur a Deo cædes Abneris eo consilio permissa fuisse hoc tempore, antequam Israëlem, quod meditabatur, reduceret, nequis putaret Davidi regnum non singulari Dei providentia, sed humana industria collatum.

B

CAP. IV. ℣. 2.

DUo viri duces cohortis erant cum filio Saul, nomen uni Baana, & nomen alteri Rechab. Incidit hoc loco cædes Isbosethi filii Saul. Auctores fuere Baana & Rechab Berothitæ, qui, ut quidam ajunt, rei frumentariæ negotium sceleri obtendentes, aulam circa meridiem ingressi Regem in cubiculo dormientem confecerunt; abscissumque caput Davidi per eos dies Hebrone

C

commoranti detulerunt, magnam facinoris sui mercedem accepturi, adeo persuasum habebant fore, ut æmuli Regis necem summi beneficii loco is esset habiturus. Sed enimvero David perpetuus æquitatis & justitiæ vindex sine mora occidi jussit homines sceleratos, qui Regem, & insontem ac dormientem in ipsa regia jugulaverant.

D

Extemplo satellites reos corripiunt, & obtruncant: exectas cadaveribus manus & pedes ad sceleris vindictam in eadem urbe Hebron super piscinam suspenderunt. Isbosethi caput sepulcro Abneris patrui sui illatum est. Fecit hoc David primum, ut omnem a se suspicionem impiæ cædis submoveret. Secundum, ut suam erga domum

E

Saulis voluntatem testaretur. Quod etsi ex virtute faciebat, fuit enim natura mitissimus, rem nihilominus suam hoc facto magnopere promovit: magnam quippe inde clementiæ & æquitatis opinionem adeptus est. Postremum: non decebat Regem Regis mortem relinquere inultam, nec execrabile facinus impunitum præterire, & hoc in sui gratiam perpetratum. Tropologice

F

Judæi & Gentiles necem Christo, & discipulis ejus intulerunt, arbitrati se obsequium præstare Deo. Judæi enim Christum occiderunt quasi divinæ legis transgressorem; Gentiles in Christianos sæviebant tanquam rerum divinarum contemtores: utrique religionem tue-

tueri se putabant, magnamque perinde a Deo sui laboris & studii mercedem sperabant: neutri tamen justum ejus judicium effugerunt: Judęos enim Christi interfectores dispersit, & Reges gentium Martyrum persecutores exterminavit.

CAP. V. v. 6.

Non ingredieris huc, nisi abstuleris cæcos, & claudos. Hæc Jerosolomitæ Davidi arcem Sion oppugnanti dicebant: loco siquidem fisi obsidionem ferre decreverant. Sensus est. Heus tu, qui nostram urbem capere te posse putas, cogita tibi cæcos & claudos ante exterminandos esse, quam quod ipse temere tentas, conficias: nam si vel illi soli manserint hanc arcem defendent: ea nempe natura est loci, ut prorsus nec vi, neque fame sit expugnabilis.

v. 8. *Omnis, qui Jebusæum diligit, & claudos, ac cæcos in clypeo tetigerit, ipse odit animam David*, ut sensus sit. Davidem non amat, qui claudis & cæcis infestus est, isque Jebusæis studet, qui hoc genus hominum exterminatum cupiunt. Ita cum antecedentibus cohærebit sequens Jebusęorum adversus eosdem edictum. *Non intrabit cæcus, & claudus in domum.* Tanto igitur minori cura David cęcorum & claudorum, ac miserabilium hominum rebus studebat consulere, quanto iniquius Jebusęos agere in eosdem videbat.

v. 23. *Non ascendas contra eos, sed gyra post tergum eorum ex adverso Bochim.* Philistæi comperta Davidis electione arma resumsere, quum minime dubitarent, quin Israëlitæ ductu imperioque novi Regis acceptas sub decessore clades ulcisci cogitarent. Quare hostem instructa acie antevertere decreverunt. Occurrit David consultoque prius Domino Philistęos ingenti plaga concidit. Quumque resumtis viribus denuo instarent infestis signis, David iterum rursus Dominum consuluit, qui respondit hostem hac vice non directa acie, sed capto circuitu a tergo esse invadendum ex adverso montis Bochim, nec nisi accepto signo, quod ex ejus montis cacumine ipse daret. Signum fuit vehemens vicinæ sylvæ soni-

nitus, quo audito, David ex condicto procurrit in hostem: commissa pugna pulsi Philistei terga verterunt: fugientes insequuti sunt victores a Gabaa, ubi cœptum fuerat prelium ad Gazer usque, oppidum in finibus Philisteorum positum. Tropologice Philisteus non ex adverso, sed a tergo invadendus significat inhonestam voluptatem facile expugnari si a tergo oppugnetur, pervidendo quos dolores, & quas molestias excepturus sit, quisquis occecatus cupiditate, blanditiis apparentis boni capi se sinat & corrumpi; tota namque voluptatis vis in facie & extima oris specie consistit. Rursus eodem symbolo admonentur omnes, qui vitiosas animi affectiones cohibere, vel resecare student non tam faciem, quum illæ se offerunt, intueri, sed tergum, idest non esse facile pronunciandum de earum malitia ex damno, quod in primo exortu non magnum afferre solent, sed ex ea scelerum colluvione, in quam a principio neglectæ, incautos in fine precipitant.

CAP. VI. v. 3. **E**T *imposuerunt Arcam Domini super plaustrum novum, tuleruntque eam de domo Abinadab*. In hac translatione Oza dum Arcam, quæ calcitrantibus bobus ipsi casura videbatur, sustinere tentat, eodem temporis vestigio exanimatus est. Subita mors pœna fuit Ozæ divino judicio irrogata, tum quia temere ac sine justa causa Arcam contingere tentavit; tum quia, quum ex prescripto legis Arcam Domini Sacerdotes humeris gestare juberentur, ille plaustro impositam Bobus avehendam commisit cum eo periculo, quod utique cavendum fuisse hujus translationis auctores, aut moderatores admonuit subsequutus casus. Cur autem solus Oza plectitur? Fortasse quia idem huic functioni prefectus omnium maxime tenebatur statas cæremonias discere & observare, secundo quia negligentiæ ceremoniarum, quæ culpa etiam sociorum fuit, propriam adjecit temeritatis & irreverentiæ. Horribili Ozæ exitu David conterritus Arcam, quam in suas ædes transmittere decreverat, mutato consilio in domo Obed-Edom collocavit, etsi post trimestre spatium, quod antea bene sa-

[illegible]

A sapienterque statuerat, perfecit & in arcem transtulit. Duo in hac secunda translatione pręcipua occurrunt. Primum, quod David hanc per occasionem ordinarias vestes mutavit, & lineas assumsit, quo quidem facto visus est populum monere voluisse, mutare mores illos debere, qui ad Dei obsequium accedunt, & animi candorem, & munditiem querere. Alterum, quod ante Arcam spectante B populo tota corporis contentione saltavit. Fecit hoc pius Rex primum ex gestientis animi affectu, quum cerneret Dei Arcam eo cum honore deduci. Pręterea, ut exemplo suo populum ad similem in Dei famulatu lętitiam provocaret illud forte animo revolvens. *Servite Domino in lætitia*.

[illegible]

Michol filia Saul vidit Regem David subsilientem, & despexit eum in corde suo. v. 16.
C Nec modo contemsit, sed postea etiam objurgavit tanquam regiæ dignitatis immemorem, suique decoris oblitum: non enim decuisse, ajebat, ut Rex scurrarum more nudus ante servularum oculos & ignobile vulgus saltaret & psalleret. Retorsit convitium David affirmans se viliorem adhuc speciem propter Deum assumturum, & confidere, suo honori apud illum nihil detritum iri, vel si ad D ancillarum servitia sese abjiceret, quin ait, & si id fecerim, *cum illis gloriosior ero*. Tropologice. Michol synagogæ imaginem pręfert Christum Regem suum ad columnam & in cruce nudatum blasphemantis. Et generatim repręsenrat impiorum hominum puta Gentilium & Judęorum petulantiam Sanctæ Ecclesiæ & piorum mores irridentium. At enimvero petulanti feminæ poena repensa est E justa, adeo ut cui os ad contumelias & convicia frequenter pateret, & uterus ad procreandam sobolem clauderetur. *Igitur Michol filiæ Saul non est natus filius usque in diem mortis suæ*.

[illegible]

CAP. I. v. 5.
NUmquid tu ædificabis mihi domum ad habitandum? Interea David de construendo templo, ubi Arca Dei tanquam in propria sede locaretur, delibe-F rare coepit. Consultus hac de re Nathan Propheta Regis votum probavit, deinde improbavit, respondit que, ædificium in aliud tempus Deum reservare. Homo scilicet, quod humana primum ratio dictabat, exposuit, idem Propheta, divino afflatus Spiritu, quæ antea laudaverat, dam-

damnavit. Ne porro David repulsam ex odio, aut contemtu sui profectam putaret, statim Propheta de divina erga eum voluntate ac benevolentia certiorem facit: & Dei nomine successorem de ipsius stirpe pollicetur, & subdit. *Ipse ædificabit domum nomini meo.* *In stultitia ejus corripiam eum in virga virorum*, ideſt opera Adar & Razon Regis Damaſci. *Et in plagis filiorum hominum*, moleſtias deſignat, quas Regibus regni perturbatores creare ſolent, quaſque Salomoni attulit Jeroboam. Et iſta quidem in Salomonem proprie conveniunt. Quæ autem de æternitate regni vel Davidis, vel Salomonis attexuntur, in utroque inchoata, atque adumbrata, in Chriſto certiſſime ac manifeſte impleta & perfecta ſunt. Davidis ſiquidem regnum in Salomone & quibuſdam aliis eorumdem poſteris continuatum, vere ac ſimpliciter ampliſſimum, atque ſempiternum evaſit in Chriſto, cui *dedit Dominus Deus ſedem David patris ejus, & regni ejus non erit finis.*

3.Reg.xi.25
Ib.v.40.
Luc.1.32.

v.18.

Et ſedit David coram Domino, & dixit: Quis ſum ego Domine Deus, quia adduxiſti me huc uſque? Sed & hoc parum viſum eſt in oculis tuis Domine Deus, niſi loquereris etiam de domo ſervi tui a longinquo. Ideſt vel a diebus Jacob Patriarchæ, qui regnum Tribui Judæ prędixit: vel in longinquum, ideſt in longum tempus, ut velis hanc, quam mihi impertiiſti dignitatem ad poſteros meos tranſmitti & in mea familia perpetuo manere.

Iſta eſt diſciplina hominis. Ideſt. Hac lege tenetur unuſquiſque homo, ut credat implenda, quæ promittis, modo ipſe impleat, quæ prępcipis.

CAP.VIII.
v.2.

ET percuſſit Moab, & proſtravit eos in terram, & menſus eſt duobus funiculis eos, quos occidere voluit, & funiculo uno pleno eos, quos voluit vivificare. Tropologice. Quum Simeon dicat Chriſtum poſitum fuiſſe in ruinam & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & Paulus ſcribat Judęos generatim offendiſſe in lapidem offenſionis, allegoricus ſenſus hujus loci innuere videtur. Primum, in Chriſti exaltatione & victoria Judęorum pereuntium numerum

Luc.2.34.
Rom.9.32.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A merum duplo majorem futurum. Præterea, virtute Crucis malorum Dæmonum imperium sic labefactatum iri, ut paucis idolorum templis relictis cætera numero duplo majora funditus evertenda sint, quod quidem hodie fieri videmus.

v. 6. *Et percussit David Hadar-Azar filium Rohob Regem Soba, quando profectus est, ut converteret manum suam super flumen Euphratem.* B Postquam David, Deo ejus cœptibus, quocumque se verteret, perpetuo aspirante, Philistæos domuit & Moabitas, movit contra Syros, commissoque ad Euphratem prælio Hadar-Azar Regem Soba male concidit. Vides in imagine expressam Christi cum Rege tenebrarum ad Jordanem pugnam. Descendit, nimirum Rex noster in flumen: *Et confregit in aquis capita Draconis.* Psal. 73. 13.

v. 7. C *Et tulit David Scolte*, quas habebant servi Hadar-Azar: idest torques aureos, vel pharetras.

v. 14. *Et facta est universa Idumæa serviens David.* Sic tandem pluribus ante seculis editum oraculum, impletum est, ut Esau filiorum Isaac major minori Jacobo serviret: Idumæi quippe Esau posteri erant, qui a Davide superati Jacobi stirpi servire coacti sunt, idest parere, ac D tributa pendere.

CAP. IX. v. 7.

TU *comedes panem in mensa mea semper.* Mephiboseth eo tempore, quo Saul, & Jonathas pater ejus occubuere in monte Gelboe, ex nutricis ulnis ceciderat, & debilitatis cruribus claudus effectus fuerat: E hunc alloquitur hoc loco David, suumque perpetuum convivam creat; adeo nec genus odit, erat quippe Saulis nepos, nec fastidit corporis ex pedum impedimento deformitatem. Christus nempe in eo figurabatur: porro Christi ea benignitas est, ut pauperes ac debiles, idest peccatores & parentum peccatorum sobolem cœcos & claudos, F idest ex ignorantia & infirmitate in via mandatorum Dei vacillantes, ab intelligibili sua mensa non excludat, quin & ad illam venire compellat. Luc. 14. 21.

Cap. x. v. 4.

TUlit itaque Hanon servos David, rasitque dimidiam partem barbæ eorum, & præcidit vestes eorum medias usque ad nates, & dimisit eos. Hunc in modum Hanon tractavit nuncios, quos David ad eum legaverat, ut illum de parentis obitu mœstum solarentur. Nec mirum id ab eo commissum, qui ob ætatem rerum ignarus a suis cosiliariis ducebatur. Persuaserunt isti adoloscenti, Davidis nuncios ad speciem consolatores venisse, reipsa exploratores esse. Davidis gesta adversus Philistæos, Syros & Moabitas palam testari, quid homo ampliandæ dominationis cupidus, ea legatione moliretur. Sic inexpertus juvenis, dum fictam belli imaginem timet, verum bellum accendit, sibi regnoque exitiale: ea quippe injuria lacessitus David Ammonitidem invasit, & universam vastavit, habitatores vero horrendis suppliciis mactavit. Sensus allegoricus in Davidis nunciis Prophetas repræsentat, quos Deus post Abrahami & Patriarcharum obitum ad Judæorum synagogam destinavit consolatores, & doctores: quo illi munere optime functi sunt Christi Salvatoris adventum & regnum illos sperare, jubentes. Sed quemadmodum Ammonitæ improborum hominum consiliis inducti repulere Davidis legatos, imo & contumeliis & probris affecerunt: ita Judæi Pseudo-prophetarum persuasionibus decepti, Prophetas indignis modis tractarunt. Quamquam non contenti, verbis & factis eos traducere etiam persequuti sunt, & occiderunt; ut merito ipsis Sanctus Stephanus illa coram exprobrare potuerit: *Quem Prophetarum non sunt persequuti patres vestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de adventu Justi.* (Act. 7. 52.)

v. 6. *Videntes autem filii Ammon, quod injuriam fecissent David, miserunt, & conduxerunt mercede Syrum Rohob, & Syrum Soba.* Mysticum hujus loci sensum ipse David explicuit in Psalmo, ubi hanc fortasse Regum & Gentium coitionem cogitans dicit. *Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania?* quæ Apostoli de Christo dicta intellexerunt. In istis ergo Regibus adversus Davidem conspirantibus Herodem contemplamur & Pilatum. Judæos

A dæos, & Gentiles convenientes in unum adversus Dominum, & adversus Christum ejus: item adversarias potestates & spiritus nequitiæ illos adversus eosdem sollicitantes. Peccavit Hanon tam atroci injuria lacessendo Davidem, eo tempore Regum omnium Chananitidis potentissimum; & gravius adhuc offendit in eo, quod factum minime excusavit: quum enim officiis Davidis animum dilinire oporteret, & injuriarum B oblivionem petere, quam utique, attento Davidis mitissimo ingenio, facile impetrasset, maluit cum labore summo, maximo dispendio, & argenti talentorum mille jactura auxiliares equitum ac peditum copias conducere a Nisibitis, Aranitis, Aramæis Mesopotamiæ incolis, & ab Idumæis; idque nullo suo commodo, imo C cum totius regni maximo detrimento, & suorum Ammonitarum clade, omnium, quas hactenus acceperant, teterrima: prima namque expeditione a Joab, & Abisai ejus fratre male multati, altera ab ipso Davide usque ad internecionem cæsi sunt.

CAP. XI. v. 2.

Accidit, ut surgeret David de strato suo circa vesperam. Geminos hic Davi- D dis lapsus Scriptura narrat, quorum causa fuit rerum omnium copia & saturitas, vitaque mollis & delicata, occasio autem incautus mulieris aspectus. Quum enim David pomeridiano tempore è cubili surrexisset, atque ad auram captandam deambularet in tecto. Solarium hoc erat in editissima regiæ domus parte positum, pulcherrimo & latissimo quaqua versus prospectu. Inde viciniæ do- E mus otiose circumspectans, mulierem in propriis ædibus se lavantem vidit. Quidam putant illam purificari voluisse ab aliqua legali immunditia, ejusmodi namque purificationibus Hebræas feminas assuetas fuisse, constat. Ex eo autem, quod aspectus ille tantum fudit incendium, conjectant ad Regis curiositatem procacitatem mulieris accessisse, nec enim post- F quam animadvertit illius oculis patere nudum corpus, texit, vel ut pudicam decebat, illico intra conclave se abdidit. Cur istuc? Non ad insipientiam ajunt, sed ad auferendum ab illo thesaurum in ipso absconditum. Messiam enim ex tribu Juda proditurum, omnes norant, & mulier ex regia stirpe nasciturum, ex vero divinabat. Conjecturam futilem non esse, probare conantur ex eo, quod de

de adulterio interpellata nuncium morata non eſt, puta deprecando ſuam & mariti injuriam, & ſi res ad cujuſpiam aures effluxiſſet, certam infamiam: ſua ergo voluntate, non vi, aut donis capta lenonem, quo ducebat, ſequuta eſt, libenti utique animo, quum ſibi rem ad votum ſuccedere, cerneret, ipſum hoc enim avebat, ut David propria victus concupiſcentia eam evocaret.

v. 5. *Mittenſque nunciavit David, & ait concepi*. Porro ſi Regem adire licuiſſet, Bethſabea utique per ſe David id ſignificare maluiſſet, quod ſicunde propalatum fuiſſet, illam in ſummum famæ, vitæque diſcrimen conjeciſſet. Ex eo autem, quod Regem convenire ei conceſſum non eſt, diſcis, hoſpitem non multorum dierum, ſed unius fortaſſe horæ fuiſſe Bethſabeæ & Davidis peccatum.

v. 6. *Miſit autem David ad Joab, dicens mitte ad me Uriam Hethæum*. Timebat infamiam David, Bethſabæa etiam mortem. Evocatur è caſtris Urias, jubeturque domum ſuam divertere. Negat Urias, decere bonum militem, ducibus humi cubantibus, conjugalis thalami delicias quærere. Perſtititque obſtinatus in ſententia, adeo ut nullis officiis induci potuerit, ut, mutata mente, domum ſe reciperet, ibique per aliquot dies commoratus, uxoris crimen ea mora velaret.

v. 14. *Factum eſt ergo mane, & ſcripſit David epiſtolam ad Joab*. Poſtquam David intellexit Uriæ pertinaciam expugnari non poſſe, eundem perdendi conſilium cœpit, ne uxor ejus adulterii aliquando convicta necaretur, mandat itaque Joabo, ut ponat Uriam ex adverſo belli, ubi neceſſario illi pereundum videretur, & derelinquat eum, ut percuſſus intereat. Fecit Joab, quod imperatum fuerat, & Urias a ſuis deſertus, ab hoſtibus circumventus occubuit. Ajunt quidam: Joabum rerum, quæ in aula gerebantur indagatorem oppido curioſum, clandeſtinos Davidis cum Bethſabæa congreſſus antea ſubodoratum fuiſſe; indeque conjectaſſe cauſam, cur Urias fuiſſet domum evocatus. Quum vero literas ab eodem allatas legiſſet, intellexit innocentis pœnam peti, ne nocentes punirentur. Et mandata quidem

[illegible]

[illegible]

A dem exequutus est, literas tamen apud se retinuit, ratus se perinde famam & vitam Davidis in manu tenere, quandoquidem putabat, eum se locum in aula Davidis obtinere, qualem Abner apud Isbosethum sibi arrogaverat, adeo ut, sicut ille Isbosethum regno dejicere, illudque in alterum transferre se posse, crediderat, sic ipse cum Davide ex æquo certare B se posse confidebat, vimque siqua ab eodem inferretur, vi repellere cogitabat. Ex quo enim Abnerem occiderat, Davidem suspectum habere cœperat, sibique adhuc infensum credebat, sed dissimulare interim injuriam, & vindictam in aliud tempus reservare. Cæterum Davidis testamentum ostendit, quam vere Joabo suorum maleficiorum conscientia C istud occineret. Mysticus sensus tria hominum genera in uno Uria designat. Primum Judæos ferentes propriæ perfidiæ & impietatis accusatores sacrarum Scripturarum Codices. Secundum Sapientes quosque, si, quod aliis dicunt, ipsi non faciunt, isti enim ex doctrina, quam tenent, arguentur, & eis dicetur, quod servo inerti & otioso regestum fuit. *Serve nequam, ex ore tuo te judico.* D Tertium quoslibet peccatores, omnis namque peccator habet in semetipso responsum mortis.

CAP. XII. v. 1.

Misit ergo Dominus Nathan ad David, qui quum venisset ad eum, dixit: Duo viri erant &c. Quum Propheta partes accusaroris sustineret, E nec ullum inveniret competentem judicem, ubi Rex ipse reus agebatur, excogitavit rationem, qua ipsum reum suimet judicem faceret. Parabolam induxit hominis, qui quum pecora & armenta haberet plurima, oviculam vicini pauperis abstulit, & occidit, ut peregrino cuidam mensam instrueret.

v. 5.

F *Iratus indignatione David adversus hominem illum nimis dixit ad Nathan: Vivit Dominus, quoniam vir mortis est ille, qui fecit hoc. Ovem reddet in quadruplum.* Sic David in eo, quem reum mortis esse judicarat, seipsum condemnavit: recte seipsum, non ita reum furti non magni, quem lex ad restitutionem dumtaxat obligabat,

bat, non capite damnabat. Sententiam nihilominus ratam habuit etiam postquam intellexit, eodem qui parabolam composuerat, interprete, a Domino indictum sibi supplicium, quale ipse sibi ignarus statuerat. Nec peccatum suum celavit, sed compunctus corde ingemuit, & ait: *Peccavi Domino*.

℣. 11. *Ecce ego suscitabo super te malum de domo tua*. Significat divinæ sententiæ executorem fore hominem ingratissimum, qualem se David in eo facto ostenderat. Quamobrem sicut ipse magnis a Deo affectus beneficiis, benefactori male responderat, sic ejus ingratitudinis futurus ultor designabatur homo omnis officii & humanitatis expers, domesticus tamen, & familiaris, arctissimaque necessitudine conjunctus. Manifeste prædicit Absalonis rebellionem, & ingentia mala inde sequutura. In hanc scilicet multam Deus commutavit pœnam capitis, lege taxatam: adulteros enim, & homicidas ultimo supplicio plectendos, lex sanciebat.

℣. 13. *Et dixit David ad Nathan: Peccavi Domino*. Peccavit Saul, & a Samuele correptus, peccasse se, dixit, nec tamen absolutionem meruit: quia etsi peccasse se confessus est, peccandi tamen voluntatem non abjecit. (C. 15. 30. l. 1.) Enimvero contraria Saulis, & Davidis post confessionem opera ostendunt, illos non eodem animo, esto eadem verba protulisse: David enim malefacta benefactis correxit, Saul contra scelera sceleribus adjunxit. Quid? quod Saul peccatum excusavit, & nullum pœnitentiæ documentum dedit. David nullam obtendit excusationem sceleri suo, & malefactum palam damnavit bonis verbis, & bonis factis compensavit, scriptaque delictorum suorum confessione, & perpetuo, dum vixit, luctu peccatores docuit, quid dicere, & quid agere eum oporteat, quem deliquisse, serio pœniteat.

℣. 25. *Et vocavit nomen ejus Jedidia*. Ex re natum nomen, *quia Dominus dilexit eum*. Idem ipse postea Salomon appellatus est ex pace, quæ ejus regnum consequuta est: hanc scilicet parenti ejus promiserat Deus, dicens: *Faciam eum requie-sce-*

[illegible]

[illegible]

A *ſcere ab omnibus inimicis ejus per circuitum, & hanc ob cauſam Salomon*, ideſt pacificus *uocabitur*. Ejus porro nativitas matrem maxima lætitia affecit, tum quia ſpem regni cum primogenito extinctam, Salomone naſcente, reſumſit, tum quia metum ex Davidis pœnitentia conceptum depoſuit. Quum enim frequenter recogitaret, in quales, & quantas anguſtias ſuis illum amoribus conjeciſſet, & qualem, quantumve ſui cauſa dolorem idem in præſenti ſuſtineret, merito timebat, ne ab eo repudiaretur, domoque pelleretur. Quod animadvertens *David conſolatus eſt eam*. Primum diſcuſſo repudii metu, deinde firmata jurejurando fide futuræ Salomonis in regnum ſucceſſionis.

I. Par. 22. 9.

B

C

*V*Enitque Thamar in domum Ammon fratris tui. Quum Ammon filiorum Davidis natu maximus Thamarem Abſalonis germanam deperiret, nec ullam ad ejus nuptias patere viam, cerneret, Jonadabi patruelis ſui fraude in cubiculum introductam oppreſſit, reluctantem omnino, & injuriam lacrymis fruſtra deprecantem. Deinde amore in odium converſo, repulit, cunctantem, accito famulo, ejici juſſit. Illa furens ſe a fratre injuria tam atroci violatam, conſcidit veſtem, crines turpavit cinere, impoſitiſque manibus capiti ibat ingrediens, & clamans: donec accurrens Abſalom ſororem conſolatus eſt, ultore promiſſo. Hinc natum Abſalomis in Ammonem capitale odium, & hujus ſubſequuta poſt biennium cædes, & hoc fuit initium earum calamitatum, quibus Propheta prædixerat, vindicandum fore geminum Davidis in Uriam peccatum. Tropologice. Ammon odit Thamarem, quam ante deperibat. Idem plane cuilibet peccatori evenire neceſſe eſt. Talia quippe appetit, quæ tandem execrari & damnare aut ſuadetur, aut cogitur. Rurſus Thamar virgo decora & pudica, puram & ſanctam animam repræſentat. Quod autem Ammon puellam violare non potuit, niſi poſtquam illa cubiculum intravit, oſtendit diabolum non poſſe animam ſubigere, niſi ipſa ſemet ad eum ſe convertat & ſponte ſua

CAP. XIII. v. 8.

D

E

F

[illegible]

sua voluptatis inhonestæ jugo cervicem supponat. Deinde Thamaris simplicitatem, & Ammonis astutiam considera, indeque discito diaboli artes, & incautæ cujusvis animæ imprudentiam. Diabolus siquidem volens ejus decorem extinguere, quoniam istuc aperta vi efficere non potest, artificio utitur, alliciendo puerilem ejus simplicitatem oblectamentis, nullam specie tenus inhonestatem præferentibus, cujusmodi sunt passiones, quas subtili cogitationum impulsu in nobis excitari sentimus, nec attendimus, quia omni culpa vacare putamus. Tales etiam sunt otiosi sermones, qui ex quodam hilaritatis sensu, vel ex aliquo amoris & benevolentiæ affectu passim usurpantur, item carnis motus, quos ex infirmitate naturæ patimur, vel dæmonum astu objecta somniantibus phantasmata ciere solent. Siquid istiusmodi ipsis accidat, exhorrent animæ Sanctorum; intelligentesque, ejusmodi affectiones esse rudimenta quædam vitiorum, easdemque a recta ratione exorbitare, & puritati mentis officere, anguntur, & ex vehementi tristitia & dolore in lacrymas funduntur, tunicam conscindunt, carnem videlicet duro labore atterunt, & compunctione cordis spiritum discruciant. Caput operiunt, idest pudore suffunduntur, & euntes clamant in toto corde suo ad Dominum, ut de persequentibus se faciat judicium.

v. 29. *Fecerunt ergo pueri Absalom adversus Ammon, sicut præceperat eis Absalom*. Absalom servorum opera Ammonem occidit, suoque facto licet nefario & prorsus execrando sanctum, & adorandum Christi de diabolo hujus mundi principe judicium expressit, quando discipulorum suorum opera illum foras ejecit, idest idolorum cultum sustulit: & exaltatus est a terra omnem hominem traxit ad se ipsum.

CAP. XIV. v. 2. *Misitque Joab Thecuam, & tulit inde mulierem sapientem*. Absalom ad Regem Gessur avum maternum profugerat. Joab hoc interim de ejus reditu sollicitus feminam prudentem ex oppido Thecua ac-

A B C D E F [illegible]

[illegible]

A accersivit, ejusque opera filium patri reconciliatum ab exilio reduxit. David nimirum Absalomi fratricidæ pepercit, quia ipse homicida fuerat, idem Ammonem incestus cum propria sorore ne reprehendit quidem, quia scilicet ipse fuerat adulter. Quid inde? Ammonem impunitum Absalom tandem interfecit, ipse in gratiam receptus, patrem è solio B dejecit, non occidit, vitam tamen redimere coegit morte plurimorum, quotquot videlicet cecidere in eo prælio, in quo ipse Absalom occubuit & pœnas, quas non exegerat pater, serò tandem exoluit. Tropologice. Joab, quum non auderet de reditu Absalomis Regem per se interpellare, verba composuit & prudenti feminæ sug- C gessit, regessit illa Regi, persuasitque, ut filium in gratiam reciperet, & ab exilio revocaret. Joab Justorum modestiam, atque prudentiam adumbravit, hanc scilicet rationem inire solent Deum oraturi. Cogitant prius, quæ ipsos decet postulare, tum, quæ sibi pustulanda intelligunt in gemitu cordis sui desiderant: attamen quum verean- D tur ipsi per se recta Deum petere, & rogare, conceptas preces & sua vota divinæ gratiæ committunt ad conspectum Altissimi perferenda, idest, quod Apostolus scribit: *Spiritus adjuvat infirmitatem nostram: nam quid oremus, sicut oportet: nescimus: sed ipse Spiritus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus: qui autem tangit corda, scit quid desideret* E *Spiritus, quia secundum Deum postulat pro Sanctis.*

Rom. 8. 26.

v. 6.

Ancillæ tuæ erant duo filii, qui rixati sunt adversum se in agro: & percussit alter alterum, & interfecit. Et ecce consurgens universa cognatio adversum ancillam tuam dicit: trade eum, qui percussit fratrem F *suum, & occidamus eum.* Parabola est, quam Thecuitis vidua a Joabo acceptam Davidi recitavit, ubi primum observo, quod tametsi istiusmodi historiam simulabat ad excitandam Davidis erga Absalomem commiserationem, multa tamen interserit, ex quibus idem intelligat, sibi utile non esse liberos habere extorres, & per principum vicino-rum

rum ditionem errantes, illos quippe esse reipublicæ columina, sine quibus nec ipsi Davidi regnum firmum & stabile consisteret. Talia deinceps attexuit, ut Davidem artificii ignarum eo tandem perduxerit, ut interposito juramento promitteret, superstitis se filii incolumitati omnino provisurum. Tum vero mulier, quod hucusque per ambages, ac tormenta verborum contendebat, plane, libereque explicat & fortiter urget. *Quare*, inquit, *cogitasti hujuscemodi rem contra populum Dei, quasi qui delinquas*, idest, quasi putes te delinquere revocando Absalonem, quum reipsa magis delinquas obsistendo voluntati populi Dei. Quo videlicet intelligeret eam agendi rationem a multis non probari, & populum universim Absalomis absentiam admodum ægre ferre. Istud porro vulgi erga Absalonem studium & benevolentiam, illi in primis corporis, qua mirifice excelluit, forma comparabat, subdit enim Scriptura: *Sicut Absalom non erat pulcher in omni Israel*, hinc factum credo, ut populus externa illa specie captus, illum eximie coleret, & admiraretur. Quod quidem etiam facto paulo post ostendit, Absalomi quippe regnum invadere conanti, omnes universim tribus mirabili consensu, nulla interposita mora, statim obsequutæ sunt. Nota verba illa: *Quare loquutus est &c.* aliter verti posse sic: *Quare loquutus es o Rex istud quasi obligatus*, idest peccato obstrictus, seu peccator, quasi dicat, agis & loqueris, quod loquuntur & agunt peccatores: dixisti, dictumque retractare ex mera pertinacia non vis, quod boni viri non faciunt.

Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. Urget propositum eo argumento, quo ipsemet David se, suosque familiares de obitu filii Bethsabeæ mœrentes, solabatur: *Numquid*, ajebat, *potero revocare eum amplius, ego vadam magis ad eum, ille vero non revertetur ad me*. Hunc discursum hic promovet Thecuitis. *Omnes*, ait, *morimur*, sic & Ammon mortuus est, nec interfectoris mors vitam interfecto restituet, nec ipsi proderit nostra de ejus obitu mœstitia, non ille ad

[illegible]

A ad nos redibit, ipsi eum sequemur. Hæc te olim dicere solitum memini, quid? num non sapienter? Aut quod sapienter dixisti, hoc agere, stultum putas?

Nec aufert Deus animam, sed cogitando cogitat, ne homo ipsi pereat. Dei naturam imitandam proponit, cujus tanta est clementia, ut nolit quemquam perire, & si quidem rei B puniendi sint, ex duobus molentibus unum aufert, & alterum relinquit; idest ex duobus in eodem delicto deprehensis alterum corripit, & alterum dimittit. Ubi rursus ad scopum parabolæ instat, ut Rex Dei sententiam sequatur, nec velit perditum ire, quem ille sospitem volebat: Absalomem perinde reum esse, ut Am- C mon fuit, nihilominus huic Deum eripuisse vitam, mortem vero illius in aliud tempus distulisse.

[illegible]

CAP. XV. v. 1.

E*T posthæc fecit sibi Absalom quinquaginta Tabellarios, qui præcederent eum.* Hinc cœpta est Absalomis in optimum parentem conjuratio, quam Davidi Nathan Propheta multo ante prædixerat. Tabellarii sunt, quos *Pho-* D *runcos* appellamus, sunt autem Cursores, quorum opera viri principes utebantur, si quid volebant, ab absentibus celeriter sciri, vel ipsi ab illis rescire.

v. 7.

Post quatuor annos dixit Absalom: vadam, & reddam vota mea in Hebron. Quo facilius pio parenti imponeret, pietatem obtendit. Jerosolymam civitatem Sancti relinquit & He- E bronem conjuratorum stationem concedit, inde adversus patrem infestis signis rediturus. Habes in Absalomis facto populi Judæorum expressam defectionem, quando legis zelum prætexens in Christum insurrexit, & occidit: deinde ab ignominiosæ mortis specie scandalum passus, montem Sion in quo Christus constitutus fuerat Rex, idest Ecclesiam, deseruit, & He- F bronem migravit, idest paternas suas traditiones repetiit, & Prophetarum oracula, & Christi Evangelium abjecit. Inter hæc admirabilem Dei sapientiam considera, pœnas pro ratione scelerum moderantem. Peccaverat David in Uriam sibi familiarem & in diuturna illa Saulis persecutione, atque temporum acerbitate perpetuum socium

cium & commilitonem, ergo a familiaribus, & domesticis pœnam descendere justum fuit. Ex quo igitur Urias occiditur, Bethsabeæ filius statim moritur, Ammon temulentus opprimitur, Absalom ejus interfector rebellat, & in ipsa rebellione trucidatur, Adonias ambitus accusatus fratris sui Salomonis sententia damnatur. Hic iterum observa alteram Dei justissimam dispositionem, exequentis sententiam, quam David in seipsum tulerat ignarus. Interpellatus enim a Propheta, qua pœna dignum judicaret divitem, qui pauperi oviculam rapuerat? Respondit: *Ovem reddet in quadruplum*. Vides hic, ut David pro unius Uriæ cæde quatuor filiorum morte fuerit multatus.

CAP. XVI. v. 1.

Quum paulullum David progressus esset a loco, ubi adoraverat, occurrit illi Siba puer Mephiboseth cum duobus asinis, qui onerati erant ducentis panibus, & centum alligaturis uvæ passæ, & centum formellis casei, & utre vini. Qui servus Mephibosethi hic dicitur, Sauli avo ejus alias servierat: rogatus de domino suo perfidiæ & ambitus illum accusavit, jure an injuria incertum; respondítque, Mephibosethum in urbe remansisse, ut qui ablatum avo regnum, sibi restituendum, speraret, quando inde pulsum videbat invasorem. Rex attributa Mephibosetho prædia abstulit, & Sibæ addixit, seu quod ejusdem in se officium remunerari vellet, seu quod de domino suo illum vera detulisse crederet. At delatum incognita causa bonis multasse, utique justum non fuit.

v. 5.

Venit ergo usque Bahurim, & ecce egrediebatur inde vir de cognatione domus Saul nomine Semei, procedebatque egrediens, & maledicens. Nec Davidem maledictis solum incessit, sed & lapidibus appetiit. Facinus attentis circumstantiis personæ, ac temporis atrocissimum fuit. Nec porro David prorsus dissimulandum censuit: quin moriturus Salomoni præcepit, ne omnino inultum relinqueret. Tropologice. David Jerosolyma excedens Christum manifeste figuravit, ex eadem urbe in passione egredientem. Semei igitur Judæorum Sacerdotes & Se-

A Scribas expressit, Dominum cruce oneratum, & post ex ea pendentem blasphemantes.

Et ait Rex: dimittite eum, ut maledicat. Quum filii Sarviæ Joab, & Abisai Semei audaciam, ac impudentiam non ferendam putarent, & hominem persequi & confodere pararent, prohibuit mitissimus Rex, docens ejusmodi negotium non armis B conficiendum esse, nec humano tractandum consilio, sed cum Deo inprimis transigendum: multoque magis expedire patientiæ & mansuetudinis officiis ejus gratiam demerere, quam acceptas injurias persequi. *Dimittite*, inquit, *eum*, *ut maledicat*, utique non immerenti, agnosco scilicet crimen meum: nam esto Saulis C sanguinem, ut iste me accusat, neutiquam fuderim, certe vitam Uriæ per summum nefas ego eripui. Agnosco etiam & sequor æquissimum Dei judicium: quod enim eo peracto scelere statim comminatus fuit mihi per Prophetam Nathan, nunc per istum Semei exequitur; nec enim illum adversum me innocentem provocas D set. — v. 10.

Et ait Achitophel ad Absalom. Ingredere ad concubinas patris tui. Achitophel metum populi prætendit, quum solus ipse metueret, ne si Absalom cum patre in gratiam rediret, ipse suæ perfidiæ pœnas daret: & instat, ut Absalom tali injuria parentem afficiat, quæ, omni reconcilia E tionis spe sublata, rebellionis fautores tutos efficeret in futurum, in præsenti vero populum suapte natura rerum novarum cupidum ad defectionem animaret, comperta Absalomis in eo negotio constantia. Nec puduit improbum adolescentem pessimi senis consilium exequi, & quidem in oculis totius urbis, in solario videlicet regiæ domus, in F conspectu Solis, sicut olim Dominus per Prophetam Davidi prænunciaverat. At tu impurissime Absalom qui omnem pietatis & verecundiæ sensum exuisti, audi quod dicam: si Jacob ille patrum pater cum primogenito suo Ruben dissimulare non potuit illatum uni ex suis concubinis stuprum, adeo ut acceptam injuriam persequi nunquam destiterit, etiam — v. 21.

postquam ejusdem in protegendo Joseph operam rescivit. Tu ne, qui vitam fratri eripuisti, patri regnum, & pudicitiam concubinis ejus decem; impune laturum te scelus hoc omne consideres? Nisi enim impunitatem sperasses istuc ausus non fuisses.

A [illegible]

B [illegible]

CAP. XVII.

ỳ. 1.

Dixit ergo Achitophel ad Absalom: Eligam mihi duodecim millia virorum, & consurgens persequar David hac nocte. Hujusmodi consilium suggessit Achitophel, ejusque executionem credidit adeo necessariam, ut ea neglecta, spem omnem rei bene gerendæ continuo abjecerit, simul domum reversus, quasi jam damnationis suæ certus, propriis sibi manibus mortem consciverit. Consilium porro Achitophelis utile fuisse, illique rerum articulo opportunum, ipsa Scriptura testarur, & idcirco ab ultrice Dei providentia ad Absalomis exitium fuisse dissipatum. Nec vero dubium erat, quin, ut ipse Achitophel bene conjectabat, Davidis copiæ eo tempore exiguæ, nec tam ad pugnam, quam ad fugam dispositæ: quid? Quod & more transmigrantium sarcinis impeditæ, & longo citatoque itinere defessæ, a pluribus armatis, paratisque facillime opprimi potuerint. Is porro deletis & sublato Davide, uno eo prælio cum adversa factione debellatum fuisset. Tropologice. *Achitophel*, quo rebus suis desperat, & supplicii ignominiam laqueo antevertit, Judæ Ischariotæ figuram prætulit, quum rejectus a Principibus Sacerdotum è templo recessit, & commune odium suspendio præcurrit.

C [illegible]

D [illegible]

ỳ. 7.

Et dixit Chusai ad Absalom: Non est bonum consilium, quod dedit Achitophel hac vice. Hic est ille Chusai Arachites, quem David secum venire paratum remisit ad Absalomem, ratus, ejus in Senatu præsentiam oppido sibi utilem ad evertenda Achitophelis consilia, quem sciebat sibi infensum, & Absalomi valde addictum: quod ille quidem egregie præstitit, ejus potissimum opera omnem illam conjurationem dissipante Deo. Chusai Davidis amicus, & ab eodem Jerosolymam ad rebelles re-

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

A remissus Apostolos repræsentabat ad Judæos a Domino ideo remissos, ut populum perduellem ad obedientiam reducerent, & Pharisæorum refellerent errores, perversasque Scribarum opiniones evellerent.

v. 17. *Nathan, & Achimaas stabant juxta fontem fullonis*. Davidis exploratores erant, qui inde digressi B a femina quadam recepti sunt, & in Cisternam demissi, insequentes Absalomis satellites fefellerunt; mox resumto itinere Davidem fugientem assequuti renunciant, quæ in Senatu acta fuerant, & suadent, ut Jordanem transmittat. Habes hoc loco pluribus descriptam symbolis nostri baptismatis figuram. Davidis milites duo duos designant in Christum cre- C dentium cætus Judæorum & Gentium. Ambo juxta fontem, qui Christus est, *fons ille patens domui David*, consederunt, ambo a suis popularibus exagitati Jordanem trajiciunt, idest baptismatis aquas subeunt, haustoque novo spiritu tyrannos persequentes non pugnando, sed ut a suo duce didicerant, moriendo superarunt.

D

[illegible]

CAP. XVIII. v. 1.

Præcepit Rex Joab, & Abisai, & Ethai dicens: servate mihi puerum Absalom. Hæc dicebat, quia de victoria non dubitabat: noverat enim rebellionem Absalomi minime E processuram, nullum proinde sibi ab ea procella vitæ, aut dignitatis damnum pertimescendum. Istuc porro Davidi notum fuisse, liquet tum ex iis, quæ in ejus Psalmis ipsi a Deo promissa leguntur, tum ex verbis Prophetæ, hanc ipsam vexationem prædicentis. De propria igitur salute securus Absalomi timebat: quapropter suis ducibus militiæ præfectis il- F lum etiam atque etiam commendat: sed frustra, Absalomem namque de quercu pendentem Joab conspicatus, adacto in viscera telo confodit. Idem nempe, qui illum non ita pridem parenti reconciliaverat & profugum ab exilio reduxerat, ac beneficiis bene multis affecerat, quibus tamen improbus & ingratus Absalom adeo ma-

le respondit, ut Joabi quidem agros incenderit, & optimo parenti regnum & vitam auferre tentaverit. Quapropter vita indignum Joab credidit, & damnata patris indulgentia, & contemto Regis præcepto, Absalomi finem vivendi dedit, ut bello finem daret: quare subdit Scriptura Joabum, illo sublato continuo pugnam diremisse, & cecinisse receptui. Sic nimirum divina sapientia rem disposuit, ut ab optimo benefactore Absalom infesto telo appetitus & confixus, sui exitii causam moriturus intelligeret, non aliam fuisse, quam ingrati animi vitium. Postremum observa, Dei ultricem justitiam crimina quidem aliquando dissimulare, impunita vero nunquam relinquere. Qui ergo Absalomem Jerosolymæ in solario peccantem non vidit, in saltu vidit sub quercu transeuntem: nec enim sine extraordinario Dei concursu tunc fieri potuit, ut Absalomis capillitium momento temporis in funem texeretur, qui hominis corpus armis etiam grave ab arbore pendulum tamdiu sustineret.

CAP. XIX. v. 4.

PORRO *Rex operuit caput suum, & clamabat voce magna: fili mi Absalom, Absalom fili mi*. Usque adeo filium impium pius pater amabat, nec vero tanti facit, se sceleratas ejus manus evasisse, ut non oppido magis doleat, illum in suo scelere periisse. Hic porro Dei clementiam & mansuetudinem ex hominis facto æstima, & cogita quanto magis *alienum, & peregrinum ab eo opus sit irasci, nec utique illum delectari in perditione populi sui, nec ejus ruina lætari*. Iterum observa Davidem Absalomis & Ammonis interitum luxisse, non item Bethsabeæ filium in cunis extinctum, immo matrem, ac domesticos de ejusdem obitu mœstos consolatum fuisse. Scilicet innocentem parvulum non doluit de utero translatum ad tumulum, ut quem cogitaret non pœnam, sed finem pœnæ invenisse, quæ est enim vita hominis nisi *labor & dolor, vanitas & afflictio spiritus*, peccatores autem filios & in flagranti delicto mortuos merito flevit,

Is. 28. 21.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A vit, mors quippe talibus vitam, & vitæ spem eripit. Nam qui in peccatis moritur, resurrectio ejus gehenna est, *nec enim impii resurgent in judicio, neque peccatores in concilio justorum.* Psal. 1.

Confudisti hodie vultum servorum tuorum, qui salvam fecerunt animam tuam. Hæccine loqueris Joab, & ais homines Davidis ani- v. 5. B mam salvam fecisse? Non isti, sed ille Davidem servavit, qui Absalomem perdidit, ejusque exercitum dissipavit, & conjurationis socios alios pro ipsarum merito sustulit, alios pro suo arbitrio interim vivere permisit. Dei scilicet nutu atque consilio hæc & gesta, & provisa sunt omnia.

Juro enim tibi, quod si non ex- v. 7. C *ieris, nec unus quidem remansurus sit tecum nocte hac.* Hæc Joab dicebat, qua mente dixerit non satis constat. Davidem enim, ut supra annotavi, suspectum habere cœperat, ex quo Abnerem ipse interfecit: & quamquam eo facto vehementer offensus, injuriam dissimularet, illum tamen ultionem in aliud tempus reservare. Nunc vero certus, militiæ præ- D fecturam Amasæ destinasse, sibi eo magis timere cœpit. Quare valde credibile est, Joabum ista loquutum, non quo Davidi studeret, aut rerum ejus cura tangeretur, sed ut milites sibi cæteroqui studiosos sub signis haberet, quorum favore fortunam suam sustinere se posse, confidebat & armis Davidem, siquid contra moveret, repellere. In hunc scilicet scopum, E ajunt, Joabum epistolam etiam de cæde Uriæ ad se missam servasse, quod supra tetigimus; opportunam nempe putabat, ad concitandum adversus Regem populi odium.

Et dixit Semei, idcirco hodie pri- v. 20. *mus veni de omni domo Joseph.* Quasi dicat, mea opera factum est, ut tribus Joseph, meique contribules Jeminæi eidem confœderati, tibi antea F rebelles ad tuas modo partes transierint. Hæc verba arrogantiam olere visa sunt Abisai, quare Semei suppliciter veniam atque pacem orante, Regis responsum antevertit: *Et numquid, ait, non morietur Semei hanc etiam ob causam?* Idest ob hanc quoque petulantiam plectendus est Semei omni

omni cæteroqui ſupplicio dignus, ex quo Chriſto Domini maledicere auſus fuit. Contradixit nihilominus Rex, eoque obſequio placatus hominem dimiſit. Tropologice. Semei Davidi ad vada Jordanis occurrit, peccatum ſuum confitetur, culpæ dimiſſionem poſcit, & exorat: Myſterium agnoſce remiſſionis peccatorum, quam Chriſtus, intelligibili Jordane trajecto, generi humano comparavit, iiſque etiam participavit, a quibus in paſſione ſua contumeliis & maledictis affectus fuerat.

v. 24. *Mephiboſeth filius Saul deſcendit in occurſum Regis*. Jonathæ hic erat filius, cui David Sibæ delationibus ſeu veris, ſeu falſis commotus, conceſſa liberali manu prædia abſtulerat, & accuſatori tranſcripſerat. Is, comperto Regis in urbem adventu, occurrit vili habitu, intonſo capillo, & promiſſa barba. Dolorem nempe ſuum de Regis calamitate teſtari volebat. Nihilominus David, quæ de Mephiboſetho ſibi delata fuerant, nondum oblitus, quaſi de ejuſdem fide ambigeret, interrogat: *Quare non veniſti mecum Mephiboſeth?* Cauſavit ille pedum impedimentum, ſuumque ſimul accuſavit delatorem, quod ejus operam ea occaſione depoſcentem herum minime attendiſſet, & inſuper fictis criminibus Regi exoſum reddere niteretur. Aderat præſens Siba, nec tamen contradicere, aut mutire eſt auſus. David etſi injectam de Mephiboſetho ſuſpicionem abjicere non poterat, attamen, vel quod illum reſipuiſſe, crederet, vel doleret, hominem regia ſtirpe natum in eam illuviem & ſordes veniſſe, vel quod defuncti parentis ejus in ſe merita recogitaret, imo & præcipue, quod Deum promiſſorum Jonathæ factorum teſtem revereretur, ſententiam temperavit, edixitque, ut pro æquali portione, Mephiboſeth & Siba inter ſe prædia dividerent.

v. 35. *Et Berzellai erat ſenex valde, dixitque Regi, maneam obſecro ſervus tuus, & moriar in civitate mea*. Bonus iſte ſenex ad aulicas delicias invitatus a Rege, venire recuſat, vitiumque prætendit ætatis jam devexæ, & ad omnes ſenſuum voluptates hebeſcentis. *Non poſſum*

[illegible]

[illegible]

A *possum* , ait , *ultra vocem cantorum* , *&* *Cantatricum* , vel *dominorum* , *&* *dominarum* , ut ex Hebraico verti posset . *Ecce tecum est Bemaham servus tuus filius meus* , *ipse vadat tecum* . Pater itaque in regione citra Jordanem moritur & Jerosolimam non venit : filius Bemaham Regem sequitur , & fluvium transmittit , atque sanctam civitatem ingreditur . Ille B ergo senex antiquos de populo Dei justos puta Patriarchas & Prophetas significat , quibus utique non licuit ad aquas baptismi pervenire , aut Jerusalem cœlestem matrem nostram ante Christi ascensum intrare . Bemaham vero Berzellai filius Apostolos designat , quibus concessum fuit mysticum Davidem comitari , & statim a mortis somno Domini hæreditatem C cernere.

CAP. XX. v. 1.

Accidit quoque , *ut esset ibi vir iniquus Sema filius Bocri vir Jeminæus* , *&* *cecinit buccina* , *&* *ait* , *non est nobis pars in David* . Absalome sublato alius Davidi adversarius succedit Sema de tribu Benjamin , qui , ex contentione nata D inter Judam & reliquas tribus , occasionem datam sibi arbitratus , restituendi suis contribulibus principatum , concitavit in Davidem undecim tribus arrogantia Judæorum offensas , eo tamen exitu , quo Absalom arma dudum in eundem Davidem sumserat . Sema siquidem paulo post capto , & interfecto , Abisai & Joab , flammam in acerbum E incendium cito erupturam , mira celeritate restinxerunt . Tyrannus iste Sema , qui bellum Absalomis interitu extinctum reparavit , Hæreticos designat , qui regnum Christi Judæorum dispersione , & conversione Gentium firmatum , atque mirum in modum propagatum , quatere & perturbare non desinunt . Quod ferme Davidi accidit , quem huc us- F que vidimus persecutionibus & bellis perpetuo exercitum.

v. 16.

Et exclamavit mulier sapiens de civitate ...... *&* *loquuta est ad Joab dicens* . *Loquentes loquebantur antiquitus* : *consulendo consulant Prophetas* , *&* *tunc perdant* . Joabi præposteram festinationem tacite perstringit , & ejus-

ejusque animum ad mitiora & saniora consilia præparat. Deinde ad propositum interrogat. *Utine sim ego reddens judicia in Israel?* idest pœnas civitatum, quæ a Rege defecerunt, seu quod textui magis congruit, pœnas a Sema exigendas, qui ejus defectionis auctor fuit: contendit enim civibus parcendum, & ejus perduellionis reum esse plectendum: hujus nempe capite pacem esse redimendam prudens femina providebat. Et sic bene constant, quæ Joabo ipsum hoc petenti, statim velut rem jam meditatam respondit: *Caput ejus mittetur ad te per murum.*

CAP. XXI. ℣. 1.

Facta est quoque fames in diebus David tribus annis jugiter. Hujusmodi famis causam fuisse Scriptura significat factam Gabaonitis a Saule injuriam, quam tamen ille justum zelum pro filiis Israel & Juda existimavit. At fortasse sincerus zelus non fuit, certe injustus & iniquus fuit. Vera etenim causa, quæ Saulem movit ad exterminandos Gabaonitas, ut conjicio, erat ejusdem cupido ampliandæ ditionis propriæ tribus: quatuor namque urbes, quas eo tempore Gabaonitæ possidebant, ex sortitione a Josue olim facta ad Benjamitas jure pertinebant, quare illas propriis dominis vendicandas esse Saul judicabat, & hoc judicium innatus cuique suæ gentis amor, æquum & justum esse, volebat. At quoniam Scriptura indefinite loquitur, id a Saule attentatum fuisse, non ob alicujus particularis tribus studium, sed quasi ex zelo communis boni filiorum Israel & Juda, videtur magis congruere verbis Scripturæ, atque Saulis ingenio arroganti & superbo, illum Gabaonitas delere voluisse, quod censeret, corrigendam esse antiquorum Israëlitarum indulgentiam; errasse siquidem illos, temere præsumsit, quod contra expressum Dei præceptum Gabaonitas salvos & inquilinos habere maluissent, quam perdere. Causæ porro, cur Deus Saulis in Gabaonitas consilium damnavit, ejusque executionem sibi displicuisse triennali fame monstravit, prima & certa est, quia pactum cum illis & juramento fir-

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A firmatum foedus violavit, nam etsi Josue & principes Israëlitarum decepti fuerant a Gabaonitis, initum tamen cum illis foedus etiam post agnitam fraudem ratum habuerunt, & servarunt, posterisque servandum sanxerunt. Quamobrem Saul illud infringere non debuit, nec Gabaonitas quasi hostes invadere, & opprimere. Præterea si verum est, B quod quidam Interpretes tradiderunt, Gabaonitarum majores Abimelechi Palæstini Regis subditos fuisse, & Abrahamum honorifice & humaniter tractasse, hujusque officii gratia a Domino Abrahæ sedes consequutos fuisse inter posteros Abrahæ: Saul etiam hoc nomine culpandus fuit, quod Gabaonitarum nepotes contra Dei ordinationem sedibus sibi attributis expellere tentaverit. Sed ut C hoc dubium est, sic illud certum nec Josuam, vel Prophetas eam Israëlitarum erga Gabaonitas indulgentiam reprehendisse, tametsi eos frequenter accusent, quod inter gentes, quas disperdere debuerunt permixti opera earum didicissent. Unde suboritur alia adhuc ratio, cur Gabaonitæ extirpandi non fuerunt, D quia non ipsi sua opera Israëlitas docuerunt, immo Israëlitarum opera didicerunt, illorum siquidem religionem amplexi sunt, quod ex Chananæorum populis nullus fecit. Tropologice. Vides, quomodo Deus scelerum poenam frequenter differat, quod etiam supra expendimus, ea tamen impunita nunquam relinquat. Peccaverat Rex consi- E lium perdendi Gabaonitas proponendo, subditi approbando; peccatum dissimulavit Deus, rejecitque poenam in annos; nihilominus definito tempore in utrosque severe animadvertit, & illum quidem septem filiorum cæde multavit, istorum vero posteros triennali fame F afflixit, nec ipsos immerentes, eo quod illatam a parentibus Gabaonitarum populo injuriam, justis officiis compensare prætermisissent. Iterum compara hoc Dei factum cum ejusdem edicto. *Ita parvum audietis sicut magnum*. Qui ergo magnum populum Jacob de Pharaone ultus fuerat, idem parvos Gabaonitas a Saule immerito oppressos haudquaquam in-

Deut. 1.17.

inauditos præteriit, aut reliquit inultos.

v. 3. *Dixit ergo David Gabaonitis, quid faciam vobis, ut benedicatis hæreditati Domini?* Famis nempe causam esse didicerat Gabaonitarum injuriam, offert ergo satisfactionem, & benedictionem vicissim petit. Intelligebat enim, Gabaonitarum sanguinem contra Israëlitas clamare, & maledictionem petere. Orat itaque, ut accepta satisfactione, præteritas injurias Israëlitis remittant, & a Deo pacem ipsis exorent. Vides Saulem in Gabaonitas sæviendo famem gravissimum malum accersivisse, Gabaonitas contra, ignoscendo & pro suis persecutoribus orando, illud avertisse. Aliquam nihilominus satisfactionem petunt, non tantum ad vindictam injuriæ præteritæ, quantum ad futuræ cautionem. Tropologice. Benedictionem a Chananæis Hebræi petere compulsi sunt ad expiationem innoxii sanguinis, quem ex inconsulto & præcipiti zelo effuderant ipsorum majores. Hocce nimirum eorundem Hebræorum posteris contingere in diebus novissimis divino consilio præfinitum erat, ut videlicet si ob perversum tuendæ legis zelum occiderent Christum, a Dei gratia exciderent, & dispergerentur, posterique majorum pœnam sustinerent, post tandem resipiscentes a Gentibus ad Christum conversis opem peterent, atque earundem intercessione amissam Dei gratiam reciperent, qui Christum in propria venientem non receperunt.

v. 6. *Dentur nobis septem viri de filiis Saul, ut mactemus eos coram Domino in Gabaa Saul.* Nec infra septem capita substitit Gabaonitarum furor, ne videlicet quempiam ex filiis Saul in vivis relinquerent, futurum fraternæ cædis ultorem. Nec porro ultra progressus est, ne si geminos Jonathæ filios Mephibosethum & Micham eadem perinde pœna comprehenderent, datam parenti fidem infringerent: hanc enim David, qui dederat, quovis impendio salvam & integram manere, volebat. Jonathæ igitur stirpi utrique pepercere, Rex petendo, Gabaonitæ ex æquo & bono petenti assentiendo.

Tulit

[illegible]

A *Tulit itaque Rex duos filios Respha filiæ Axia, & quinque filios Nerob filiæ Saul, quos genuerat Azarieli filio Berzellai...... & mactaverunt eos in monte coram Domino.* In colle proximo urbi Gabaa natali solo Saulis: quare supplicii ignominiam auxere locus & tempus. Locus quidem, quia editus & patens omnium illac transeuntium prospectui, & quia ei urbi proximus, in qua filii Saul paulo ante regali fulserant dignitate. Tempus vero, quia ibidem præter Hebræorum morem ad plurimos menses pependerunt: *Ab initio*, videlicet, *messis donec stillaret aqua super eos de cœlo*, ideſt ab initio veris usque ad æstatis finem. Ut discas, partem crassiorem maledictionis, qua pater affectus fuerat, in filiis velut in fundo subsedisse. Hunc in modum expiata Gabaonitarum injuria, cadavera Davidis jussu inde sublata, & una cum ossibus Saulis & Jonathæ asportata in terram Benjamin, ibidem paterno sepulcro illata fuerunt. *v. 8.*

Et nunciata sunt David, quæ fecerat Respha filia Axia concubina Saul. Fecit nimirum, quod omnes loquerentur & suspicerent, regio scilicet assueta thalamo femina, & deliciis, supra petram vili stragulo instratam ad plures menses sub dio jacuit pervigil & insomnis. Id enim fieri necessum erat ab illa, quæ filiorum cadavera a feris, avibusque custodire & inviolata servare proposuerat. Ejusmodi Resphæ factum fuit profecto maternæ caritatis illustre exemplum & admirandum, idemque pastoribus Ecclesiarum vigilantiæ, ac patientiæ documentum. Attamen, quam ejus feminæ obstinatam circa mortua filiorum corpora repræsentat moram, Synagogæ quandam imaginem prætulisse visum fuit. Nam sicut illa inter cadavera jacuit, sic ista operibus mortuis incubat, & sicut illa natos extinctos prosequuta est, sic ista a filiis suis divelli non potest etiam postquam partim interfecti, partim dispersi, & omnes Deo mortui sunt. *v. 11.*

CAP. XXII. v. 1.

LOquutus est autem David Domino verba carminis hujus in die, quo liberavit eum Dominus de manu omnium inimicorum suorum, & de manu Saul. Unde liquet, Davidem hunc psalmum composuisse extremo ætatis suæ tempore, quo pro beneficiis hucusque acceptis Deo gratias referret, post etiam literis consignari mandasse, quod vellet, ex perspecta Dei bonitate, ac beneficentia constare posteris: quam bonus idem sit iis, qui recto sunt corde: indeque discerent divinam liberalitatem grati animi sensu profiteri, tantæque majestatis benignitatem mirari, ejusque muneribus sapienter uti. *Diligam te Domine.* Hanc scilicet Deus pro suis benefactis gratiam a nobis reposcit, ut diligamus eum. Audi quid Moyses inculcabat populo suo, quem Deus per signa illa, portentaque ingentia eduxerat de domo servitutis, atque in solitudine paverat pane Angelorum. *Et nunc Israel, quid Dominus Deus tuus petit a te, nisi ut timeas Dominum Deum tuum, & ambules in viis ejus, & diligas eum?*

Psal. 17. v. 2. — Deut. 10. 12.

v. 3. *Fortitudo mea, & refugium meum, & liberator meus.* Rationes, quæ ipsum ad amandum ex toto corde Deum movebant explicare incipit, quasi dicat: equidem non meis viribus, aut mea fretus prudentia, sed tuæ confidens virtuti, atque providentiæ tot bella suscepi, nec profecto eadem tanta cum fœlicitate confecissem, nisi tuum è cœlo affulsisset auxilium, *auxiliator* quippe meus es tu, nihil enim potest creatura, nisi in virtute ejus, qui creavit illam; si sibi ipsa sufficeret, Creatori æqualis esset. Siquid ergo a me factum est, id tuo numine, nutuque perfectum est, siquid contra mali passus non sum, id tua virtute provisum fuit. Quoniam *cornu salutis meæ tu fuisti*, meorum videlicet inimicorum terror, ne nocerent, & ultor si quidem nocuissent. Cornibus namque feræ arcere solent aggressores, & offensores ulcisci.

v. 5. *Circumdederunt me dolores mortis.* Dolores mortis & Inferni dicit, vel illa pericula, in quibus nulla expediendæ salutis ratio, spesve relicta videbatur, puta quum in deserto Maon

[illegible]

A Maon in coronæ modum a Saulis exercitu cingeretur, nec ullum erat aut sperabatur ab humana ope mortis effugium: vel impugnationes manifestas cum vitæ periculo itidem conjunctas, nam occultas statim annectit, & laqueos mortis appellat: quare duo hostium genera distinguit, quorum alterum adversa fronte dimicat, alterum a tergo, alterum sensibus B obvium & aspectabile, alterum a sensibus abstractum & invisibile, & ab utroque se a Deo protectum declarat.

Et torrentes iniquitatis conturbaverunt me. Adversariorum multitudinem significat, & conspirationem, impetum & minas. Torrentium quippe id omne proprium est. Aquis nempe hinc inde collectis & in C unum alveum coëuntibus, subito intumescunt, & exundant, magnoque impetu & fragore feruntur, impellunt, & rapiunt obstantia. Quales igitur esse solent rapidi torrentes tales ait fuisse suos inimicos plurimos, videlicet, atque ferocissimos.

Ascendit fumus in ira ejus. Non omnia signa, quæ hic commemorat Propheta, sibi etiam accidisse signifi- D cat, sed quid fieri potuisset indicat, aut potius quid aliquando factum fuerit aliis Justis, puta Moysi, Josue & Samueli ab eo, qui quum omnia facere possit, invocantibus se adest, atque nemine contra moveri, aut hiscere audente, succurrit, & ipsorum adversarios dejicit, ac prosternit. Quum ergo dicit: *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis a facie* E *ejus exarsit*, plane designat, quid olim Deus amanter præstiterit Moysi & populo ejus in deserto, ut inde ostendat, quid idem ipse hostiliter agere valeat contra suorum servorum persequutores, quando ad ejus contactum fumigarunt montes, & ad ejus præsentiam voraces emicuere flammæ vel in Ægypto, vel in loco Incensionis in solitudine. Si- F mul innuit pari utique facilitate, atque celeritate perdendos Dei inimicos, qua arida materies flammis absumitur.

Carbones succensi sunt ab eo. Pergit declarare Dei potentiam, ejusque in agendo celeritatem, facilitatem, & vim. Tropologice. Carbones succensos

v. 9.

Num. 11. 11.

sos intelligimus Angelos, vel animas Sanctorum. Vere enim Angeli, & sancti homines a Deo purgantur, illuminantur, & in divinam transferuntur naturam. Vel contra cogitare possumus malignos spiritus, quorum ignea tela Apostolus commemorat. Eo enim ascendit eorum superbia, ut sibi omnem creaturam subesse præsumant, quod Tentator Domino etiam suadere se posse credidit; adeo ut ignis in modum citra sui detrimentum possint agere in quamlibet naturam, nihil pati. Id porro ab eorum sequacibus tamdiu creditur, donec superveniat divina virtus, & prunas istas stipulas esse ostendat, & flammam concipere, & in cineres abire a conspectu ejus, *qui vere ignis consumens est*.

Ephes. 6 16. — *Deut. 4. 24.*

v. 10. *Inclinavit cœlos, & descendit*. Innuit celeberrimam illam Dei super Sinai manifestationem, simul docet Dei nutu cœlos moveri: & laudat admirabilem Dei benignitatem, quod quum altissimus ipse sit, seipsum infimæ creaturæ communicet. Idem hoc optime quadrat in Deum Verbum, quando propter nostram salutem descendit, idest naturam divina inferiorem assumsit, & homo factus homini se totum indulsit.

v. 11. *Ascendit super Cherubim, & volavit, volavit super pennas ventorum*. Persistit in proposito, & demonstrat iterum Dei potentiam ex passionibus aëris, & multiplici ejusdem in hoc elemento operatione. Præterea docet paratum Dei auxilium, nec illum cunctari, quando celeritate utendum sit. Postremum, dum Cherubim & ventorum obsequium hoc loco repræsentat, significat, & ventos ad Dei nutum spirare, eodemque agente, ac dirigente aërem, maria terramque vexare, & ab Angelis cœlorum orbes propriis uniuscujusque motibus, ac mutationibus cieri.

v. 13. *Fecit nubes suas in grandinem, & carbones ignis*. Exponit alias Dei in aëre operationes, & clare indicat, quæ in Scripturis narrantur in eo elemento gesta adversus Sodomitas, Ægyptios, & Chananæos labentibus cœlo flammis, & grandine depluente. Item ostendit extraordinarias vires, quas Creaturæ quæ-

[illegible]

A quælibet concipiunt, quum a Deo concitantur vel ad inimicos perdendos, vel ad vendicandos amicos.

v. 16. *Revelata sunt fundamenta orbis terrarum.* Quando Israëlitis vadum quærentibus fundum rubri maris, & Jordanis alveus patuerunt, mare fugit, & Jordanis conversus est retrorsum: *Ab increpatione tua Domine*, ex cantico B Moysis ista petuntur, quasi dicat. Flumina & maria coërcuit tua Domine virtus, & quidem nullo apparatu, imo simplici oris tui increpatione flante siquidem spiritu furoris tui, *congregatæ sunt aquæ, & stetit unda fluens*. Tropologice. Fundamenta orbis terrarum dicuntur Reges & Principes, quorum, si mali C sunt, occultas machinationes ille, qui habitat in cœlis detegit, conspirationes & conatus videt, & auctores irridet & subsannat, ut in furore suo rato tempore loquatur ad eos. Testes præsentes habemus Judæos & Gentiles, qui Christi Ecclesiam opprimere aggressi, utrique male multati sunt, magnisque calamitatibus affecti.

v. 17. *Misit de summo, & assumsit* D *me, & eduxit me de aquis multis*. A generali contemplatione divinorum operum Propheta descendit ad enarrandam singularem Dei erga se beneficentiam. Aquas multas vel adversitates multas appellat; vel adversarios multos. Misit de summo & accepit me, idest eripuit me non humano, sed cœlesti & extraordinario auxilio.

v. 18. E *Liberasti me a Judicibus populi*, idest populi principibus, virisque potentioribus. Joabum fortasse designat, & fratrem ejus Abisai, quorum semper fuit suspecta fides, nec ferenda arrogantia. Mysticus sensus hæc universim ad Dominum traducit, hunc enim Judæorum Judices perdere, ejusque memoriam & nomen abdolere stu- F duerunt: ipse idem a doloribus mortis & inferni liberatus fuit, & ne videret corruptionem, dirupit vincula mortis & inferni. Deinde exaltatus est super Judæos & Gentiles, qui Evangelii promulgationem & cursum impedire, aut retardare tentarunt: ac tandem constitutus est in caput gentium; quod utique Davidi absolute

te convenire non potest, qui cunctis gentibus profecto dominatus non est, contra optime & ex toto accommodatur Christo, & rei gestæ exactissime respondet, quandoquidem Christus omnium gentium imperium adeptus est, ipse namque dominaturus a Propheta dicitur: *A flumine usque ad terminos orbis terrarum*, & a Patre audiit: *Dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

Psal. 71. 8.

Psal. 2. 8.

℣. 19. *Prævenerunt me in die afflictionum mearum.* Hæc omnino respiciunt ea tempora, quum primum Saul, deinde Absalom adversus Davidem insurrexerunt. Ad illorum porro persecutiones aliæ minores etiam accessere ab iis, quos Propheta sibi benevolos existimabat, & futuros aliquando adjutores. In iis tamen angustiis Dominus ipse solus auxiliatus est mihi, *& salvum me fecit, quoniam voluit me.*

℣. 33. *Præcinxisti me virtute in bello.* Nec enim si tua me virtus destituisset, superior ex acie discessissem, vel quando cum gigante dimicavi, vel quum a Saule & Absalome contra me dimicatum est, vel quando cum externis populis bella mihi gerenda fuerunt.

℣. 50. *Propterea confitebor tibi in gentibus Domine.* Istud & quæ sequuntur usque ad finem Psalmi, plane confirmant, quæ de regno Christi exposita sunt. Per Christum enim omnes gentes vero Deo confitentur, & psallunt: item misericordia Davidi facta, idest regnum Davidi concessum perpetuatum est & in ejus posteros propagatum, quod etiam Esaias & Daniel, postea disertissime vaticinati sunt. Nec sane invenire est alios quospiam ex Davidis posteris, in quibus ejusdem principatus perpetuo duraverit, quum certum sit una cum Zorobabele omnem Davidicæ stirpis gloriam concidisse.

CAP. XXIV. ℣. 1.

Dixit David filius Isai. Simili, quo Balaamus utitur exordio, sic enim ille suis vaticiniis præfatur: *Dixit Balaam filius Beor, dixit homo, cui obturatus est oculus &c.* Consequenter subdit: *Dixit vir, qui statuit jugum Christi sui: Deus Jacob,* qui

A *qui jucundos facit hymnos Israel . Spiritus Domini loquutus est per me , & verbum ejus per linguam meam .* Quibus verbis contendit authoritatem & fidem conciliare non iis duntaxat , quæ hoc Psalmo complexus est , verum etiam universim reliquis omnibus , quæ Deo dictante hactenus conscripserat , quum hæc & illa eundem habeant auctorem Deum , qui B Davidis lingua velut suo instrumento utebatur , & sicut suo calamo Scriba , quemadmodum ipse David diserte testatur in Psalmo : *Lingua mea* , inquit , *calamus Scribæ velociter scribentis* . Cæterum , quum eandem sententiam tertio repetit , verba ipsa non obscure ostendunt , Prophetam , opus istud plane divinum tribus divinis personis attribuendum esse , insinuare voluisse . C

Ps. 44.2.

Dixit vir , qui statuit jugum Christi sui , vel cui mandatum est Christi sua de stirpe nascituri regnum statuere , idest annunciare , vel , qui exequitur opus unctionis suæ , suæ scilicet ad propheticum munus vocationis .

v. 3.

Loquutus est fortis Israel , dominator hominum , justus dominator in timentibus Deum . D Loquutus est , inquit , hymnos , & psalmos , quos David ejusdem instinctu cantavit , & scripsit , *& dominator in hominibus timentibus Deum* , idest se benignum & clementem dominum præbet Justis & perfectis in timore Dei . Talium quippe viam novit , idest opera & consilia approbat , & secundat , ut merito ac vere dicatur : E *Beatus populus , cujus Dominus Deus ejus* .

Ps. 145.15.

v. 4.

Sicut lux auroræ oriente Sole , mane absque nubibus . Justorum fælicitatem proposita Solis similitudine declarat , cui in fine opponit ex adverso Impiorum contrariam sortem , inde assurgit ad prædicandam Dei beneficentiam erga domum suam , quamquam immerentem . F *Nec enim* , ait , *tanta est domus mea apud Deum , ut pactum iniret mecum* . Significat pactum de stabiliendo Davidicæ stirpis regno in sempiternum ; unde liquet hanc Psalmi partem Christi adventum spectare , quem hac ipsa Solis comparatione laudant Esaias , & uterque Zacharias : A Christo enim Davidicum re-

regnum accepit stabilimentum, atque æternitatem.

v. 5. *Et sicut pluvia, quæ germinare facit terram.* Ejusmodi nempe foecunditatem generi humano præstitit sua præsentia Christus, qui idcirco matutinus imber a Joële nuncupatur, eoque madefacta radix Jesse germinavit, & protulit Salvatorem. Terra vero ejus sanguine irrigata dedit fructum justitiæ & spiritus, qui ut docet Apostolus, est *charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides.* Constat ergo totam hanc prophetiam, etsi ad omnes communiter Justos pertineat, peculiariter tamen ac præcipue de domo David, & Christo ex eadem nascituro esse exponendam.

v. 8. *Hæc sunt nomina fortium virorum David.* Quum septem supra triginta numerentur hoc loco viri fortissimi, qui Davidi regnum sua virtute pararunt, & partum conservarunt, quæres, cur septem solummodo commendentur. Primo loco Gadhu, secundo Eleazar, tertio Samma filius Agæ, quarto Tres Viri, qui aquam de cisterna Bethlehem hauserunt, quinto Abisai, sexto Banaias filius Jojadæ, septimo Asael frater Joab. Tropologice. Septem nimirum hominum ordines in Ecclesia præcipue laudantur, quamquam in illa bene multi censeantur alii laude digni, Apostoli, Prophetæ, Doctores, quique miraculorum donum, vel gratiam curationum acceperunt, postremum Adjutores, & Rectores, quos magnifice designant septem pariter Pastores Assyriaci imperii eversores apud Michæam, & apud Salomonem septem columnæ Sapientiæ domum fulcientes. Similiter septem dumtaxat Diaconi in actis Apostolorum suis nominibus censentur, esto plures alii extiterint Stephano & Philippo ordinis prærogativa pares. Perinde septem laudantur virtutes, quæ virum perfectum constituunt, & septem dona spiritus, quæ animam Justi faciunt divitem in fide.

Mich. 5. 5. Prov. 9. 9.

v. 16. *At ille noluit bibere, & libavit eam Domino.* Tres illi viri, quos quarto loco retuli, flagrante cum Philistæis bello per medias inimicorum acies irruperunt, hauseruntque de cister-

[illegible]

sterna Bethlehem aquam, quam Davidem desiderare audierant, ipsique detulerunt. Rex accipere noluit, sed libans eam Domino fudit in terram. Cur istuc? Quia aquas furtivas a stulta muliere antehac oblatas hauserat: & quamquam furti damnum ex taxatione Prophetæ restituisset, sua tamen voluntate hanc quoque multam suscepit. Et quia Uriæ sanguinem fuderat, suorum militum sanguinem bibere se nolle, dixit. Hæc expositio vera est, si Davidis lapsus factum istud anteceſſit, atqui hoc minime constat. Congruentius Christum aquam esse dicemus, quam David & omnes Justi veteris testamenti desideraverunt, Bethlehemitica cisterna sancta Virgo fuit, & ipsa Bethlehemitarum filia. Porro aquam istam multi Prophetæ & Reges magnopere appetiverunt, sed neutiquam biberunt: *Multi Prophetæ*, ait Dominus ad discipulos suos, *& Reges voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt, & audire, quæ vos auditis, & non audierunt.* Luc. 10. 22.

CAP. XXIV. v. 1.

E T adjecit furor Domini irasci contra Israel, & dixit ad David: Vade numera populum. Exponendus est hic locus a simili, qui occurrit in libro Judicum: quando Tribubus undecim quærentibus, an deberent ascendere contra Benjamitas, respondit Deus: ascendite. Ascenderunt, commissa acie victi a Benjamitis Israëlitæ ingentem accepere cladem. David similiter audit a Domino: *Vade, & numera Israel, & Juda*: dum mandatum exequitur, pestis populum invasit & septuaginta millia hominum sex horarum spatio extinxit. David ergo populum numerando, ex hoc simpliciter capite non peccavit, id enim præterquamquod a Deo edictum fuerat, nulla interdictum lege sciebat, quare nec peccati pœna comprehensus fuit. Eadem porro in populum incubuit, quia hoc facto peccabat, & alias peccaverat. Primum, quod Sacerdotum cædem a Saule imperatam impedire neglexit, & omisit. Secundum, quod nuper cum Absalome contra Regem sanctissimum per

A per summum nefas conspiraverat. Tertium, quod in præsenti legem census non observabat, cujus transgressionem subsequente plaga vindicandam fore Deus diserte monuerat. *Quando tuleris*, inquit, *summam filiorum Israel, juxta numerum dabunt precium singuli pro animabus suis Domino, & non erit plaga, quum fuerint recensiti*. Quum ergo recensionem plaga consequuta fuerit, ex effectu causam B bene conjectamus. Dixi nec Davidem peccasse, neque Israëlitas Benjamiticæ ditionis invasores, quod divinum mandatum simpliciter exequuti fuerint; quamquam vix dubitari possit, quin in ipsa executione aliquid vitii irrepserit, & inde aliqua executoribus culpa hæserit, quandoquidem, utrosque peccasse se, confessos fuisse, C & petiisse peccati dimissionem, Scriptura testatur: adeo ut verum sit & Deum Davidem concitasse, ut hic Scriptura affirmat, & Satanam contra populum insurrexisse, ut in primo Annalium libro narratur.

Exod. 20. 12.

1. Par. 21. 1.

Nunc

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A *Nunc ergo delibera, & vide, quem respondeam ei, qui me misit, sermonem*, Dominus per Prophetam Gaddum Davidi trium plagarum optionem dederat, an scilicet mallet septennalem famem, aut bellum trimestre, aut pestilentiam triduo duraturam. Postremam elegit. Extemplo atrox & sæva lues populum invasit, prostravitque brevi sex horarum spatio septuaginta ho- B minum millia a Dan usque Bersabeam, quæ duæ urbes termini sunt longitudinis terræ promissæ ab aquilone in meridiem. Rationes, quæ Davidem impulere ad eligendam præ reliquis mortalitatem fuere. Prima, quod magnopere confideret divinæ pietati; eam quippe norat esse Dei naturam, ut quantumlibet offensus, miserorum cala- C mitate, atque lacrymis facile flecteretur, pœnamque statutam, aut revocaret, aut minueret. Secunda, quia cogitabat famem, atque bellum esse commune malum sontibus promiscue, atque insontibus; imo inopes ac tenues, esto innocentes, magis quam locupletes ac potentiores vexare. Fame vero ingruente, agrorum ste-

v. 13.

Iii 3

[illegible]

Si Dominus Davidem ad populum numerandum concitavit, an inde reus David, aut populus? An Deo jubenti obtemperasse, crimen fuit, & hoc ultimo supplicio vindicandum? Præterea, quorsum Dominus Regem ad ineundum populi censum impelleret? Nec enim bellum instabat, aut aliquis imminebat hostis. Resp. Non is erat Hebræus populus, qui jugum ferre assuesceret, sæpe sæpius illud audacter excusserat: assuetus proinde Dei legem proculcare, affluente nunc sub fœlicissimo Davidis regno rerum copia & saturitate, indeque convalescente peccandi consuetudine, atque libidine, scelera sceleribus cumulabat; adeo ut ea licentia severa aliqua animadversione necessario compescenda videretur. Sed enimvero, quum una cum aliis Justis pius Rex pro delinquentibus perpetuo intercederet, suisque precibus divinæ justitiæ minas difflaret, idcirco Dei gratia, quæ hactenus Davidem singulari cura sustinuerat, ad tempus deseruit, permisitque, ut in eam cogitationem prolaberetur, cujus occasione postea populus aliunde nocens plecteretur. Et quamquam nonnulli opinentur, Davidem eatenus populi censum imperasse, quatenus sciret, utrum constaret veritas promissionis Abrahamo factæ per illa verba: *Multiplicans multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine*. Vero propius tamen existimo, quod modo dicebam, ideo permisisse Deum, ut David susciperet inutilem illam curam (talem sane judicavit supremus militiæ Præfectus Joab, palamque reprehendit.) ne Rex & ipse non ex toto innocens pro populo nocente intercedere auderet, & sic obice sublato, pœna in peccatores procederet. Nec alium capit sensum Scriptura, quum dicit concitatum fuisse furore Domini Davidem, quandoquidem indubitaum est, Domino nullatenus placuisse imperatum a Davide censum. Sed hoc fert consuetudo divinæ Scripturæ, ut quæ permittit Deus ab aliis fieri, id Deum voluisse affirmet. Quisnam ergo verus extitit ejus consilii author? Diabolus utique, idem nimirum, qui antea Absalomem ad eversionem Davidis concitaverat, Davidem modo ad enumerationem populi provocavit. Id porro indubitabile facit Textus clarus divinæ Scripturæ in primo libro Annalium, ubi factum his verbis exponitur: *Et insurrexit Satan contra Israel, & concitavit David, ut enumeraret populum.*

S. Iac. Edess.

Genes. 16. 10.

Cap. 21. 1.

sterilitatem, & inopiam frugum nocentem ab innocente minime secernere: Deum non item, sed pro sua sapientia, & æquitate plagam in eos dirigere solitum, quos deliquisse nosset, futurum proinde, ut si Rex solummodo reus esset, ipse solus pœnam sustineret. Enimvero David bonus populi sui pastor, ejusdem salutem sua morte redimere maluisset, hanc porro suam erga subditos suos voluntatem ipsemet postea, viso Angelo vastatore, sincerissima mente Deo professus est illis verbis: *Ego sum, qui peccavi, isti, qui oves sunt, quid fecerunt? vertatur, obsecro, manus tua contra me*. Sic nimirum pater præveniebat affectu effectum filii, ac domini sui, qui rato tempore positurus erat animam suam pro ovibus suis. Tropologice. Angelus divinæ Justitiæ in hac horribili plaga administer Angelum mortis designat, qui Adamum è Paradiso ejecit, & definito tempore extinxit, & in omnes deinceps ejus posteros similiter desæviit, donec apparuit Bersabee, idest: *Puteus juramenti, & Civitas pacti sempiterni, quod juravit Deus ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis, ut sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, serviamus illi*. Hæc est Christi Ecclesia. Eo itaque sæculorum intervallo Angelus mortis septuaginta millia hominum prostravisse dicitur, quia septuaginta generationes invasit & sustulit. Porro de mane immissa lues hora sexta cessavit, quia sexto millesimo, & hora sexta absorpta est mors in victoria Crucis Christi. Cujus etiam cruentum sacrificium circa horam nonam in monte Calvariæ consummatum, exacte repræsentat circa eandem horam in area Areunæ Jebusæi immolata hostia, quæ depulit mortalitatem, & Angelum vastatorem inhibuit.

Luc. 1. 73.

ܦܘܫܩܐ

ܕܡܪܝ ܐܦܪܝܡ ܣܘܪܝܐ

ܕܥܠ ܡܠܟܘܬܐ

ܕܒܬܪ ܫܡܘܐܝܠ

ܡܠܟܐ ܩܕܡܝܐ.

[illegible]

A

SANCTI PATRIS NOSTRI

EPHRAEM SYRI

IN PRIMUM REGNORUM, QUI ET TERTIUS REGUM.

B

EXPLANATIO.

CAP. I. v. 1.

Et Rex David senuerat provectus annis, & quum operiretur vestibus, non calefiebat. Dixeruntque servi ejus: quæramus domino nostro virginem, quæ stet coram Rege..... Et invenerunt Abisag Sulamitidem. Suspicantur nonnulli, senectutem Davidi festinasse parentum ætatem. Quum enim constet ex Scriptura, Davidem C septem filiorum Isai natu minimum fuisse, inde colligunt, eundem a parentibus genitum corpore effœto, & naturali calore jam defervescente. Indeque profectum ajunt, ut extrema ætate in eam, quam hic narrat Scriptura, ægritudinem inciderit. Nihilominus præcipuam ejus causam fuisse existimo, quam hic Scripturæ D textus indicat, ipsam scilicet senectutem: senum quippe malum commune est, algere: quid? Si ætati accedat malus corporis habitus ex qualicumque causa antea contractus? Id porro illis accidere solet, qui sua corpora plurimis, magnisque laboribus perpetuo exercuerunt. Nec dubium est, quin ejusmodi vitæ cursus Davidi obtigerit: id enim præ- E ter ea, quæ in utroque Samuelis libro narrantur, Psalmi ab ipso Davide compositi aperte demonstrant. Quum naturalis calor annis imminutus, quæsitis fomentis reparari non posset, atque lodicum pondus imbecillum corpus ægreferret, medicæ artis periti tale remedium excogitarunt, ut senis corpus naturali calore defectum F virginis adjuncto corpore fervido, & succi pleno confoverent, rati longævum senem etiam accendere posse puellaris formæ jubar.

v. 4.

Rex vero non cognovit eam, vel ne aliam virginem quærere cogeretur, vel potius, ut præsenti continentia præteritam intemperantiam castigaret, & Abisag in sinu ejus san-

sancte, casteque cubitans impurum, & nefarium cum Bethsabæa concubitum obliteraret. Allegoria. Quum populus Judæorum procedentibus annis consenuisset, languescente divinæ legis, quo prius ardebat, studio, Prophetarum oraculis & opera quibusdam velut tegumentis nuda, & algentia membra operire, & fovere conatus est, sed nec calorem concipiebant longa peccandi consuetudine, velut concreta glacie torpentes artus, nec rigorem in venis, medullisque insidentem dispellendi remedium aliunde, quam a cœlo, suppetebat: inde descendit Dei sapientia, cujus figuram Abisag virgo speciosissima expressit, & in propria veniens in sinu hujus senis cubavit. Sed frustra, Judæis scelera præterita novo scelere Christum crucifigendo cumulantibus. Interea recedente Sole, incubuit tristis hyems, idest Christo in cœlum redeunte, dispersisque per orbem ejusdem discipulis, exitiale bellum Judæam invasit. Tum vero Judæorum gens, quasi arbor brumalibus quassata ventis folia quoque decussit, post etiam imis avulsa radicibus corruit; Romanorum quippe armis concussa & subacta fuit, dirutoque cum civitate templo, & eversa republica, externam quoque illam sacrificiorum, & cœremoniarum pompam exuit; mox etiam natali deturbata solo incertis sedibus hodie quoque varias per oras vagatur. Arcano itaque sensui insistendo, in Abisag Sulamitide, quæ ad confovendum senem accedit, Deum Verbum, ut supra dixi, contemplare, qui assumto ex Davidica stirpe corpore ad Judæos venit tritam Prophetis viam ingressus. Deinde considera puellæ obsequium, ut intelligas, *Filium hominis non venisse ministrari, sed ministrare*. Dumque illam a Rege minime cognitam fuisse legis, recole illud Apostoli. *Christum Dei sapientiam nemo Principum hujus sæculi cognovit*.

Mat. 20. 28.

1. Cor. 2. 8.

v. 5.

Adonias filius Haggit magnificabatur dicens: Ego regnabo. Adonias filiorum David natu maximus, dum ignaro, nec opinante patre, regnum occupat, filii senioris, qui est Judæorum populus, ambitionem, & contumaciam adumbravit, quæ quidem tan-

[illegible]

[illegible]

A tanta est, ut nec præteritis cladibus, nec præsentibus calamitatibus infringi, domarique potuerit. Videmus enim hodie quoque Judæos magna spe plenos orbis terrarum imperium sibi deposcere, & jactare palam istud sibi sui Messiæ armis, quandoque vindicandum: ipsum hoc Adonias, somniabat, quando dicebat: *Ego regnabo*. Dumque talibus imbuti cogita- B tionibus se omnibus hominibus anteponunt, quam sperant dominationem in futurum, in præsenti habere sibi videntur. *Regnaverunt*, ait Propheta, *sed non ex me*. Ergo ex se, ex sua scilicet opinione. (Os. 8. 4.)

(v. 7.) *Fueruntque sermones ejus cum Joab filio Sarviæ, & cum Abiathar Sacerdote*. Alter erat supremus militiæ C præfectus, alter summus sacrorum antistes. Non fuit novum eam sibi potestatem Joabum arrogasse, hominem, ut supra observatum fuit, ad omne facinus audacem & majestatis contemtorem. At mirum est Abiatharem Joiabi in hoc facto temeritatem non vidisse, nec cogitasse, in quantum & quale discrimen se, suosque conjiceret, si forte illud negotium minime procede- D ret. Consensit tamen in eam societatem ob veteres fortasse cum Sadoco altero Pontifice simultates, confidens Adoniæ favorem sibi adversus æmulum magnopere commodaturum, quod quidem commodum Joab perinde sperabat adversus Banaiam alterum militiæ præfectum, quem idcirco velut objectum fortunæ suæ aggerem è medio tollere parabat: & vero om- E nino fecisset, nisi ab eodem fuisset astu feliciore præventus, & interfectus.

(v. 9.) *Immolatis ergo Adonias arietibus, & vitulis, & universis pinguibus juxta lapidem magnum, qui erat vicinus fonti Fullonis vocavit omnes fratres suos, & Salomonem fratrem suum non vocavit*. Regum inaugurationes victi- F mis, & sacrificiis celebrare mos erat, quem supra vidimus a Samuele in Saulis creatione fuisse observatum. Sic Abiathar summus Sacerdos, & Joabus militiæ princeps Adoniæ, seu potius suæ ambitioni serviebant, hostiarum ac thymiamatum religionem impio facinori obtendentes ipsa religione repugnante: non enim ignorabant divina ordinatione regnum Salo-

lomoni fuisse destinatum, alioquin non erat, cur hunc solum Adonias præteriret, quando reliquos fratres ad suam inaugurationem invitavit.

v. 12. *Dixit Nathan Propheta ad Bethsabeam: Salva animam tuam, & filii tui Salomonis.* Nathan, tum, ut divinæ voluntati obsequeretur, sciebat namque Salomonem a Deo Davidis successorem designatum fuisse; tum, ut publicæ tranquillitati prospiceret, quam fratrum & factionum discordia turbatum iri prævidebat; tum denique, ut innocentis Salomonis saluti consuleret, quippe qui nosset ex præsenti facto præcipitem Adoniæ ambitionem, indeque conjectaret juvenem regnandi cupidum eos omnes è medio sublaturum, quos undeunde suspicaretur regni sui perturbatores. Quamobrem Bethsabeam sollicitat, ut quamprimum Regis aures occupet, se postea venturum pollicitus, Deoque aspirante inchoatum negotium perfecturum. Regina periculi magnitudine perterrita, Regem illico petit, narrat quæ filius natu major ipso inconsulto attentaverat, orat ut jurisjurandi memor destinatum Salomoni regnum ab Adonia occupari minime patiatur, mox ex condicto superveniens Nathan paucis Davidi persuasit, ut exortam discordiam ipse pro sua autoritate componat. Rege itaque Bethsabeæ filio regnum adjudicante, Nathan Propheta, & summus Sacerdos Sadoc, atque militiæ præfectus Banaias, accedente populi, & exercitus consensu & acclamatione, Regem salutarunt. Quidam opinati sunt juramentum hoc loco a Bethsabæa memoratum eo die factum fuisse, quo primum a Davide misso nuncio clam evocata fuit, ac proinde illud præstitum fuisse sine arbitris, intra regiæ domus adyta, blandientis potius affectu, quam religiose jurantis. Quapropter Bethsabeam merito timuisse, ne talis promissi memoriam vel longa dies, vel certe consequuta Davidis pœnitentia obliterasset. Nihilominus ab iis, quæ supra probavimus, non puto hic recedendum, quare multo probabilius esse existimo, illud juramentum eo tempore datum & acceptum, quo Rex Bethsabeam de acerbo filii, quem ex nefario concubi-

[illegible]

A cubitu pepererat fato mœstissimam invisit, & consolatus est. Consolationis porro argumentum fuisse credo juratam ejusdem liberis promissionem successionis in regnum. Allegoria. Viden' Bethsabeam pedibus Davidis provolutam & supplicem exorare filio suo paternum regnum, agnosce in matre matris Ecclesiæ imaginem. Quid enim? An non & ista carissimis filiis regnum sempiternum a cœlesti patre incessanter postulat, & instat allegando Christi promissum, qui dixit: *Nolite timere pusillus grex, quia complacuit patri vestro, dare vobis regnum*? *Luc. 12. 32.*

Et imponite Salomonem filium meum super mulam meam, & deducite ad Siloe, & ungent eum ibi Sadoc Sacerdos, & Nathan Propheta, ut regnet super Israel. *v. 33.* Nec Moysen, nec Judices, qui populo præfuerunt unctos fuisse, Scriptura memorat. Et Moyses quidem extraordinaria Dei electione dux Hebræorum factus est. Josue vero non unctione, sed manuum impositione a Moyse principatum accepit, cæteri Judices incertum, an ullam in sua inauguratione cœremoniam adhibuerint, quod certo constat unctionem Sacerdotum fuisse olim propriam & ad Reges postea propagatam. Porro Salomon duplicem accepit unctionem, primam minus solennem, sed oppido necessariam ad cohibendam Adoniæ proterviam, alteram in generalibus omnium tribuum comitiis, utramque Davide adhuc in vivis agente. Allegoria. Salomon regno, ac nomine Regis pacifici dignitatem, & in omne genus humanum beneficentiam figuravit. Ipse namque Rex constitutus a patre pacem cunctis gentibus annunciavit & reddidit, ideoque a Prophetis vere ac merito princeps pacis appellatur. Insuper antiquum Gentilium & Judæorum dissidium sustulit, effecitque, ut in unius populi corpus utrique coalescerent. Præterea, quum Scriptura Salomonis regnum a fonte Siloe cœptum describit, significat homines per Christum ad regale sacerdotium provehendos, ab aquis baptismi regni sui exordium auspicaturos. His porro mirifice consonat, qui hoc loco indicatur tubarum clangor. Christo namque regnum suum ineunte, Apostolorum, atque Evangelistarum per totum

totum orbem insonuere tubæ, quarum clangore excitæ gentes ad Christi fidem venerunt, & diabolus ejusque satellites everso idololatriæ regno spe principatus, quem hactenus ambierant, pariter exciderunt, quare ad complementum allegoriæ aptissime Scriptura subtexuit, Adoniam, ejusque fautores & socios eo tubarum, ac tympanorum concentu deterritos, confestim soluto conventu, fugam arripuisse.

v. 52. *Dixitque Salomon, si fuerit vir fortis, capillus de capite ejus non cadet in terram.* Adonias a conjuratis desertus in tabernaculum Domini profugerat, indeque petebat a Salomone juris jurandi fidem; & in præsenti quidem a loci religione, & parentis adhuc superstitis clementia sibi satis cautum putabat: postulat ergo, ut in posterum tutum sibi vivere liceat. Concessit Salomon patris voluntati deferendum recte arbitratus, quem noverat filiorum suorum esse amantem, proinde nec Adoniæ cædem probare: conditionem tamen adjecit: *Si*, inquit, *fuerit vir fortis*: idest, si nihil tentaverit, quod virum honestum dedeceat. Imbellis & impotentis animi esse innuit, cupiditate vinci, pravas affectiones puta superbiam & ambitionem cohibere non posse. *Capillus de capite ejus non cadet in terram*, idest, nullam nocentis pœnam solvet, si fuerit innocens, esto capitalem meruerit, postquam nuper in caput meum conjuravit. Quod si regnum adhuc affectare, convictus fuerit, ambitioni modum supplicium statuet, quam disciplina cohibere non potuit.

[illegible]

CAP. II. v. 1. *Et appropinquaverunt dies David, ut moreretur, præcepitque Salomoni filio suo dicens.* David finem vitæ suæ præsentiens Salomonem pro sua sapientia, ac pietate ad tanti imperii gubernationem instituit: Jacob itaque & Moysis exempla recogitans in primis Dei timorem, divinorumque mandatorum observantiam etiam atque etiam eidem inculcat, & præmia ab illo expectare docet amplissima, ac proinde etiam illa, quæ patri suo promissa bene noverat; sic ut non ipse modo regnum habe-

[illegible]

[illegible]

A haberet pacatissimum, verum etiam ad suos posteros feliciter transmitteret. Deinde monet, ut publicæ tranquillitati prospiciat, pacisque perturbatores coerceat.

Tu quoque nosti, quid fecerit mihi Joab filius Sarviæ. Primum Joabi crimen, & præcipua causa latæ hoc loco in eum sententiæ, fuit duorum principum cædes, quæ quidem B ob expositas supra circumstantias non modo injusta fuit, sed homine honesto ne dum militiæ Præfecto ignominiosa, & quo perpetrata fuerat contra publicam fidem, Regi, & Magistratibus injuriosa. Secundum fuit nex Absalomis, quo in facto Joabus Davidem gravissime offendit, & contristavit, tum ob atrocem filii cædem, tum ob contemtum majesta- C tis, & apertam inobedientiam transgrediendo expressum præceptum, & sæpius iteratum de re maximi momenti, quamque, protestatus fuerat Rex, sibi cordi esse, ut nihil magis. Tertium, quod post commissam filii cædem ad patris conspectum venire adeo non timuit, ut eundem etiam coram objurgare auderet. v. 5.

Habes quoque apud te Semei filium D *Gera &c.* David expositis Joabi, & Semei criminibus eorundem punitionem Salomoni præcipit, modum tamen, & qualitatem pœnæ minime præscribit: *Tu*, inquit, *facies juxta sapientiam tuam.* Quasi dicat, tametsi ambo Joabus & Semei talia perpetraverint, ut eos impunitos relinquere, nefas sit; tu tamen istuc negotium pro tua sapientia sic transigi- E to, ut in sua illos iniquitate tua æquitas capiat: quæ ergo peccata dissimulavit patris tui indulgentia, tua severitas non sine novi criminis delatione animadvertat. Et ex parte quidem Joabi nova aderat causa cur plecteretur, conspiratio videlicet cum Adonia, cujus fortasse principalis auctor, & machinator fuit, non item ex parte F Semei, quare ejus supplicium Salomon distulit, utriusque distulerat David usque ad extremum vitæ tempus, Joabi quidem, quia nec citra proprii capitis periculum exequi potuit, attenta Joabi potentia; nec rei publicæ id fieri opportunum, aut utile visum fuit, Semei vero, quia & culpam confessus est, & Regi occurrit eo tempore, quo v. 8.

Davidi clementia utendum fuit ergà populum fere universum rebellionis reum, ne dum erga privatam personam ex privata injuria obnoxium. Allegoria. David, quum filii sui arbitrio committit præmium rependendum filiis Berzellai Galaaditæ hominis spectatæ in Regem fidei & liberalitatis, atque pœnam de Joabo & Semei sumendam, facto prævenit, quæ Christus de se ipse erat dicturus: *Neque pater judicat quemquam, sed omne judicium dedit filio*: imo & quæ facturus est in supremo mundi diè, quo illum credimus venturum bonorum operum remuneratorem, & scelerum vindicem.

Jo. 5. 22.

℣. 11. *Dies autem, quibus regnavit David super Israel quadraginta anni sunt: in Hebron regnavit septem annis, & in Jerusalem triginta tribus annis*. Septem anni constant ex biennio, quo regnavit super Juda, Isbosetho vivente, & reliquis tribubus imperante: alii quinque anni supplendi sunt ex eo temporis spatio, quod a prima Davidis unctione, facta per Samuelem, fluxit usque ad alteram Hebrone peractam, toto namque eo intervallo Rex, & Christus Domini dici potuit propter unctionem, & infusa Sancti Spiritus charismata. Postremi tres & triginta anni, qui summam Davidici regni implent, sunt illi, quibus Jerosolymis regnavit Αυτοκρατωρ, ideſt plenam summamque exercens publicæ rei constituendæ potestatem.

℣. 17. *Precor, ut dicas Salomoni, ut det mihi Abisag Sulamitidem uxorem*. Hæc ad Bethsabeam matrem Salomonis Adonias, qui Salomoni insidiari intermiserat, communem parentem adhuc in vivis agentem reveritus: eo itaque mortuo Joabo, & Abiathare auctoribus, ut ego interpretor, Abisag Sulamitidis nuptias petebat, ut si agente Salomonis matre, Reginam acciperet, regnum etiam Salomoni auferret. Hæc secum meditatus simplicem feminam homo versutissimus aggreditur. Mihi, inquit, qui natu major sum communi jure gentium regnum utique debebatur, meque Regem universus Israel dudum designaverat. Sed quoniam regnum debitum obtinere non licuit, optatas saltem Sulamitidis nuptias mihi a Rege exores, rogo. Sic vulgus ejus arcani penitus igna-

[illegible]

A ignarum, adoloscentem perinde inexpertum fallebat; nec enim ejus momenti negotium humano jure, aut populi suffragio transigendum fuit; & regnum a Deo institutum, & divina dispositione Salomoni adjudicatum Adonias immerito ambiebat. Sed nec populus Adoniæ, esto hoc ipse jactaret, regnum usquam obtulit. Testantur festivæ acclamationes, B quibus hesterno die terra concuti, sindique visa est, populum non Adoniam, sed Salomonem Regem optasse.

Respondit que Salomon, & dixit matri: Quare postulas Abisag Sulamitidem Adoniæ? Postula ei & regnum. v. 22. Non mirum, quod hic legitur, Salomonem venienti Reginæ assurrexisse, & illam adorasse, sibique C assidere voluisse, nempe cogitabat, quam magno constaret matri, quod ipse ad tantam fortunæ, gloriæque altitudinem conscendisset. Cæterum Salomon intellexit, Adoniam nuptiarum obtentu regnum aucupari. Quamobrem accito Banaia urbanæ militiæ præfecto Adoniam eodem die occidi jussit. Sic immensæ ambitionis juvenis quærens regnum, vitam D perdidit.

Abjathar quoque Sacerdoti dixit Rex: Vade in Anathoth ad agrum tuum &c. v. 26. Abjathar Pontificum ex familia Ithamaris ultimus, Pontificatum usque ad obitum Davidis tenuerat, hunc jam senem Salomon amovit, & in patriam suam relegavit. Nam etsi non ignoraret, illum cum Joabo Adoniæ conspirationem machinatum E fuisse, & nunc ad petendas Sulamitidis nuptias eundem sollicitasse, viri tamen amplitudinem, & præteriti temporis merita reveritus, nulla capitis imminutione mulctandum censuit, ne dum vita privandum. Jussit tamen Jerosolymis excedere, atque intra Anathoth oppidi fines se continere: publicæ tranquillitati expedire F ratus, hominem seditiosum, & turbulentum a regia urbe procul abesse. Merito Rex aliquid deferendum putavit Pontifici, qui Davidi parenti suo factus individuus comes, magnum, Saule regnante, propriæ dignitatis, & existimationis detrimentum inde reportarat. Hunc exitum tulit Abjathar Heli Pontificis nepos, ut eo sacrorum

rum præfecturam abdicante, & in ejus locum succedente Sadocho, Eleazari familia pristinum honoris gradum recuperaret, & impleretur sermo Domini, quem loquutus fuerat super domum Heli propter peccata filiorum ejus.

v. 28. *Et venit nuncius ad Joab, quod interfectus fuisset Adonias. Joab autem declinaverat post Adoniam, & post Salomonem non declinaverat: Et fugit Joab in tabernaculum Domini.* Huc profugit Joab, simul ac Adoniam interemtum audiit, ejusdem quippe criminis complicem se fuisse sciebat; & Salomonem istud ex Adoniæ, vel aliorum conjuratorum delatione rescivisse, conjectabat. Aliquid namque novi Salomonem de Joabo audisse, Scriptura innuit, retexens, quam supra exposuerat, Joabi cum Adonia conspirationem. At Joabo nihil profuit tenuisse altare Domini, quemadmodum nec postea Athaliæ, quin Jojadæ Pontificis jussu occideretur, quod & nunc Salomon fecit. Intelligebat enim ex legis dispositione, homicidam insidiatorem nullum ab altari habere præsidium. *Ab altari meo*, sunt verba legis, *evelles eum*. (Exod. 11. 15.) Evellendus ergo fuit Joabus ab altari, & è tabernaculo extrahendus, & sic in loco profano occidendus, ne sanctuarium humano sanguine pollueretur. Quamobrem Jojadas videtur in simili casu Salomone religiosior fuisse, qui Athaliam nequidquam reluctantem a militibus jussit extra templi septa duci, & illic interfici. (4. Reg. 11. 15.) Hunc in modum Salomon Jojabum novo in crimine deprehensum sustulit, didicitque ex Jojabi, & Semei exitu patris sui Davidis præceptiones, prædictiones fuisse futurorum.

v. 36. *Et vocavit Rex Semei &c.* Vocavit, inquit, Semei alterum nocentem a Patre sibi designatum; edixitque, ut in urbe Jerosolyma sedem sibi deligeret, adjecit quoque suburbana, quo liceret defunctorum cadavera efferre, & ipsi ægro perinde, atque integro animi gratia deambulatum ire. Id porro Semei adeo non audiit invitus, ut sibi potius quasi de beneficio gratularetur. Conscius quippe suorum facinorum vere, & merito existimabat pro supplicio, quod merebatur, ho-

[illegible]

A honore, quem non merebatur, affectum se fuisse.

Et factum est post tres annos, ut fugerent servi Semei ad Achis filium Maacha Regis Geth. v. 39. Peccatum Semei, ut supra demonstratum est, gravissimum fuit, nec Salomon pœnam tamdiu distulisset, nisi data a parente fides, aliam coegisset supplicii causam expectare: quoniam B præteritam culpam confessio nocentis, & Davidis indulgentia obliterasse videbatur. Accedebat ejusdem Davidis mandatum supremis expressum tabulis, ne Semei sine novo crimine plecteretur. Interea accidit servorum fuga, quos ut reduceret, Semei profectus est in urbem Geth, deprehensus ultimo supplicio affectus est. Cæterum si veniam C ad illud iter conficiendum a Rege poposcisset, ille utique dedisset, nec enim longum erat, nec absentiam ferebat diuturnam, præsertim si servorum reductio nisi a proprio domino transigi non poterat. Nec Semei Regis mandatum triennio ante intimatum oblitus fuerat, sed ejusdem transgressionem credidit occultam fore, nec unquam ad Salomonis aures venturam D. Hic porro comperto Semei ab urbe, in quam relegatus fuerat, discessu, statim post reditum hominem capi jussit. Continuo sententiam in reum convictum dicturus, quæ hoc loco Scriptura refert, regessit, novam scilicet præcepti violationem, & antiquum cum Davide jurgium: inevitabilem proinde pœnam esse dixit, quam, & Rex jurejurando comminatus E fuerat, & reus ipse, tanquam jure & justo statutam, laudaverat: confestim ad supplicium duci jussit. Causa in urbe regia acta est, quo populus intelligeret Davidis mandata justa & æqua fuisse, eademque exacte impleta, Deo nimirum sontes ab illo condemnatos per varios & improvisos casus quasi per ambages, & vada cæca ad supplicium ducente F. Quatuor hic vides læsæ majestatis reos a Salomone condemnatos, omnes ruinam Judaicæ gentis ex injusta Christi nece sequuturam præsignabant. Primus Adonias, Rex designatus, & paulo post interfectus Judaici regni excidium portendit; perinde ut sacerdotii Aaronici abrogationem Abjathar pontificatu dejectus, & Joab militiæ Præfectus digni-

dignitate, vitaque spoliatus ejus gentis ducum, omnisque rei militaris interitum. Postremus Semei adhuc magis perspicue & distincte peccatum, & pœnam expressit Judæorum, præsertim Jerosolymitarum Christum blasphemantium, & ad crucem deposcentium: & illa quidem ejusdem Christi morientis oratione, velut supremo mandato ultra quatuor annorum decadas dilata fuit, nec porro ante inflicta, quam Judæi Apostolos, aliosque Christi discipulos persequendo, in novo scelere deprehensi sunt.

[illegible]

Cap. III. ỽ. 3.

ET *dilexit Salomon Dominum, ambulans in præceptis patris sui, excepto, quod in excelsis immolabat.* Atenim hoc fecit pater ejus: sed necessitate compellente fecit. Quod Scriptura expresse annotandum censuit, ne tanti Regis & Prophetæ factum posteris laqueum faceret. Sciebat David legem. *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco.* Merito ergo Salomon arguitur, quod a præceptis & moribus patris sui exorbitasset, quia sine Dei instinctu & nulla urgente necessitate in excelsis immolabat, imo & populum simili immolatione iterata legis statuta violantem tolerabat, quod nec pater ejus, nec laudatissimi Reges Ezechias & Josias tolerare voluerunt, esto ea sacrificia vero Deo offerrentur. Quamobrem, ut hunc errorem fortasse corrigeret, Salomon Gabaonem porrexit, ibique ad ostium Tabernaculi, sicut lex præscribit, mille hostias immolavit: *Nam Tabernaculum Domini, & altare, quæ fecerat Moyses in deserto, ea tempestate erant in excelso Gabaon.* Illuc ergo Salomon antiqua loci religione invitatus se contulit ad solenne illud sacrificium, quamquam, & hoc rite Jerosolymis offerre potuisset, ubi Arca Domini, & tabernaculum a Davide erectum prostabat.

1. Paral. 21. Lev. 17. & Deut. 12.

1. Paral. 21.

ỽ. 5.

Et apparuit Dominus Salomoni in visione, dicens: Postula, quod vis, ut dem tibi. Apparuit, inquit, in Gabaon non in excelsis, in quibus Salomon antea sacrificaverat, quia hoc præter legis statuta attentaverat. Concessit sapientiam, hanc enim petebat Salomon, petiit autem & promeruit vigilans, quod dormiens & somno

[illegible]

[illegible]

A somno sopitus petere sibi visus est: Deus vero non specie tenus, sed reipsa spiritum sapientiæ Salomoni infudit dormienti non illum modo, quem postulaverat ad polyticam videlicet gubernationem contractum, sed multo ampliorem. Amplissimam profecto fuisse Salomonis sapientiam, testantur parabolæ, quas dictavit, & quæ de natura rerum disseruit, & enigmatum B a Regina Sabæ propositorum solutiones, idque ipsa Scripturæ verba plane declarant, ubi laudata Orientalium, & Ægyptiorum, aliarumque gentium sapientia, quæ sane non tantum polytica & œconomica fuit, Salomonem cunctis in hac parte præcelluisse affirmat. *Infr.* 4. 30. Atenimvero viri sapientis non fuit, Salomonis cum Ægyptia muliere connubium, quod C hoc loco Scriptura commemorat, & infra etiam damnat. *Infr.* 11. 1. Ejusmodi namque cum peregrinis feminis conjugia Deus per Moysen iteratis legibus Israëlitis absolute interdixerat, excepto eo casu, in quo puella patriam religionem abjurare, & populo Dei aggregari statuisset: nec alio modo viris Hebræis nupsere Rahab, Ruth, & Maacha filia Regis D Gessur.

v. 12. *Ecce dedi tibi cor sapiens, & intelligens, ut nullus ante te similis fuerit, nec post te surrecturus sit.* Etsi attenta rerum gestarum historia nullus dubitet, quin Salomoni ea magnitudo imperii, mentisque altitudo & præstantia singulari Dei munere obtigerint, perindeque manifestum sit, E nec decessorum, successorumve Regum quempiam illi hac in parte æquiparandum esse: nihilominus certum est hæc & alia, quæ præsertim in Psalmis de Salomone dicuntur, pleraque ad Christum traducenda esse, secus nec sensus, nec veritas dictis absolute & ex toto constabit. Christus itaque est ille princeps pacis, cujus sapientiam & regiam potestatem nulla similis vel tempore antecessit, vel amF plitudine adæquavit. Nec enim ante ipsum natus est filius æternitate & natura, ac potestate æqualis patri, neque post eum futurus est ipsi similis, sicut idem Deus Verbum per alium Prophetam loquitur: *Ante me, inquit, non est formatus Deus, neque post me erit.* *Es.* 43. 16.

v. 16. *Tunc venerunt duæ mulieres meretrices ad Regem &c.* Hic judicium Salomonis Scriptura aptissime subtexit, velut quoddam specimen ejus sapientiæ, quam dixit divinitus illi fuisse concessam. Accidit, inquit, ut geminæ meretrices de puero inter se contenderent: quumque constaret alterutram filiolum suum oppressisse, utraque superstitem infantem suum esse affirmabat. Lis ad forum deducta est Salomone judice. Allegoria. Duæ mulieres Ecclesiam nobis designant & Synagogam, hæc porro postquam sacramentum humanæ redemptionis supprimere tentavit, & Redemtorem fictis criminibus oppressit & occidit, nihilominus clamitat, adhuc filium suum vivere, Judaicum scilicet populum Deo gratum esse & acceptum, & Mosaicam legem, quæ mortua est, vitam eidem impertire sempiternam. His imbuta erroribus cum Ecclesia, cujus altera mulier typus fuit, perpetuo altercatur. Litem composuit Rex pacificus non dividendo, sed congregando utriusque matris filios, ut unum ex Judæis & gentibus fieret corpus, cujus caput est Christus. Cæterum ambæ matres commorari dicuntur sub eodem tecto, quia Ecclesia & Synagoga permixtis contuberniis hunc mundum habitant. Rursus contraria harum mulierum vota declarant contraria Ecclesiæ & cujusvis sectæ studia. Omnes namque hæreses divisione gaudent. Contra mater vera & sola Ecclesia Christi dissensiones cavet & schismata, *sollicita servare unitatem Spiritus in vinculo pacis* (Eph. 4. 5.). Quocirca congruenter ad propositum Scriptura subdit: *Dixit ergo Rex afferte mihi gladium, quumque attulissent gladium coram Rege. Dividite, inquit, infantem in duas partes, & date dimidiam partem uni, & dimidiam partem alteri.* Huic sententiæ, quum vera mater supplex, ac tristis contradiceret, *e contrario altera dicebat: nec mihi, nec tibi, sed dividatur.* Nec aliæ profecto sunt Hæreticorum voces, quibus notum est bella, cædes & civilem discordiam semper grata fuisse. Hoc nempe prioris temporis historiæ testantur, & nos in præsenti videmus.

v. 17. *Respondit Rex: Date huic infantem vivum, & non occidatur, hæc enim est mater ejus.* Quum nullum aliun-

[illegible]

[illegible]

A aliunde suppeteret documentum, Salomon naturam interrogavit, propositaque infantis cæde ex contrario litigantium affectu veram matrem deprehendit, & prodidit.

CAP. IV. v. 1.

Erat autem Salomon regnans super omnem Israel, & hi principes, quos habebat. Texitur hoc loco catalogus B Præpositorum, quibus Salomon oeconomicam domus suæ administrationem, & polyticam totius regni commisit. Allegoria. Delecti a Salomone præsides Prælatorum ordinem designant, quos sua Christus gratia roboratos ad populi sui regimen assumsit. Duodecim vero Præfecti designantur ad subministrandam Regi, ejusque domui annonam, quia totidem a Christo C Apostoli per universum orbem distribuendi erant, instituendique divinorum mysteriorum dispensatores, qui vivo & immortali cibo pascerent Israel Dei, & coelestem annonam domui Regis pacifici subministrarent. Singularum perinde præfecturarum limites definiuntur, quia similiter Apostoli provincias sortiti sunt, Simon Romam docuit, Ephesum Joannes, Mattheus D Palæstinam, & Indorum regiones Thomas. Quamquam Reginarum & concubinarum numerus extra modum productus & equorum, jumentorumque copia, atque ædificiorum amplitudo & magnificentia vorago immensa videbatur, quæ nisi infinito sumtu oppleri non posset. Vides hic Salomonem a paterno more etiam in hac parte desciviſse: hoc enim David non E fecit, & lex expresse interdixit: *Si fuerit*, inquit, *constitutus Rex, non multiplicabit sibi equos, non habebit uxores plurimas, quæ alliciant animum ejus, neque argenti, & auri immensa pondera*. Salomon contra, perinde ac si lex his contraria præcepisset, præsepia habuit quadraginta millia equorum currilium & duodecim millia equestrium, trecentas Reginas & septingentas con- F cubinas, & incredibiles opes. Huic immenso luxui respondebat similis mensæ apparatus, quem hoc loco Scriptura describit. Allegoria. Quoniam ad instruendam Salomonis mensam promiscue comportari vides similam, farinam, vitulos saginatos & pascuales, arietes, cervos, capreas, boves

Deut. 17. 16.

ves silvestres, & altiles aves, singula observa, & primum in similem contemplare cœlestes illos spiritus, qui sine velamine speculantur divina, similes proinde comparantur, tum quia liquida & defœcata luce illuminantur, tum quia purissimi sunt & omnis concretionis expertes, quales esse credimus Seraphim & Cherubim. Qui autem farina furfuri permista aluntur, illos esse, cogita, qui nec eo dum progressi sunt, ut ad haustum puri luminis per se sufficiant, nec enim adhuc integram & castam mentem nacti sunt, sed ad instar triticeæ farinæ concreti furfuris admistione infuscantur, secundum tamen obtinent contemplationis gradum. Quibus autem vituli saginati mensam instruunt, eos esse dicimus, qui rerum caducarum jugum vel nunquam acceperunt, vel jam excusserunt & libertatem, qua liberavit nos Christus adepti sunt. Isti porro detersa curarum secularium caligine mysticis irradiationibus identidem asperguntur, sed non implentur. Rursus aves homines designant, qui a terrenis rebus abstracti humana cuncta prætervolant, & divinæ contemplationis summa petunt. Hi porro Apostolis comparabiles sunt; nam qui contrariis moribus vivunt, bobus hoc loco comparatos puta: hujus generis sunt homines, qui profanas curas necdum abjecerunt, quadrupedis nempe sunt similes, quorum corpora quum prona sint, terram perpetuo intuentur. Quibus autem agnorum indoles & natura obtigit, illos esse cogita, qui mansuetudine, simplicitate, atque innocentia Christum imitantur agnum, qui tulit peccatum mundi. Postremi veniunt boves sylvestres, cervi & capreæ, filios autem regni significant, qui è diversis, variisque gentibus collecti sanctæ Ecclesiæ aggregantur. Capreis porro & cervis componuntur, quia a venatoribus, quos Deus olim missurum se dixit, in Gentilitatis sylva capti, cicurantur & regno Christi subjiciuntur. Quum autem audis tantæ virorum & mulierum multitudini, quotidianum censum ordinatissima distributione a Salomonis Præfectis subministratum fuisse, paleas similiter & hordeum regiis stabulis provisa, agnosce pulcherrimum ordinem in sancta Ecclesia a Christo con-

[illegible]

constitutum, & quomodo spirituales divinorum sacramentorum dispensatores cunctis Ecclesiæ filiis alimenta juxta cujusque gradum ministrant, sic ut probis & perfectis arcana, & abscondita depromant; pœnitentibus vero & extra templi fores stantibus paleas, & hordeum porrigant: non quod Christi doctrinam & sacramenta hordeum, & paleas esse putemus, sed quum homines ejus conditionis mores animantium ratione carentium induerint, ideo non quasi homines mentis, rationisque compotes aluntur, aluntur tamen, quoniam & jumentis alimenta præbentur. *Homines*, inquit Propheta, *& jumenta salvabis Domine*.

v. 30. *Et præcedebat sapientia Salomonis sapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & erat sapientior cunctis hominibus*. Salomonem dicit cunctos mortales sapientia antegressum fuisse non modo Orientales, quos alibi filios Orientis, Scriptura appellat, suntque Arabes Abrahæ posteri, sed etiam Ægyptios, apud quos naturales & polyticæ scientiæ maxime floruerunt, & quos ipsa Salomonis ætas protulerat viros sapientissimos puta Ethan, Ezraitam, & Dordam, & filios Mahol.

v. 32. *Et loquutus est Salomon tria millia parabolas, & carmina mille, & quinque*, quorum pleraque interciderunt ob Hebræorum injuriam, vel potius dispersionem, & servitutem. Externarum quippe gentium armis oppressi & libertate spoliati, solum etiam mutare coacti sunt, & in alienas terras transmigrare. In ea porro reipublicæ eversione, nil mirum, si cum incendio archivorum, & bibliothecarum libri quoque Salomonis interierint, quæ supersunt quædam ab amicis Ezechiæ Regis Juda descripta & conservata fuisse, Scriptura testatur. Prov. 25.

v. 33. *Et disputavit super lignis a Cedro Libani usque ad Hyssopum, quæ nascitur in pariete*. A supremo plantarum genere ad infimum, a cedris procerrimis, mundoque coævis usque ad Hyssopum herbulam Ephemeram. Sensus est. Salomonem de cujusvis generis plantis nulla penitus omissa disseruisse.

Et

CAP. V. v. 8.

ET *misit Hiram ad Salomonem dicens : Ego faciam voluntatem tuam in lignis Cedrinis , & Abiegnis* . In hoc Tyriorum Rege , qui Salomoni ad templi fabricam operam contulit maxime utilem , quædam velut lineamenta vides animæ Christi gratia ad pristinam integritatem , & rectitudinem aspirantis , sed & futuram Christo regnante , & ædificante Ecclesiam Gentium conversionem , & earundem ad ejus ædificationem mirabilem conspirationem .

v. 10. *Itaque Hiram dabat Salomoni ligna Cedrina , & Abiegna* , quæ vicini Libani montis nobiles sylvæ affatim suppeditabant . Hæc porro Tyrii componebant in ratibus , & ad condicta loca transmittebant , unde Jerosolymam advehenda curabat Salomon . Allegoria . Non est hic de arcano sensu laborandum : clara quippe est Salomonis in hoc facto cum Christo analogia in iis , quæ idem ad ædificationem Ecclesiæ fecit . Enimvero sicut Salomon desecta è jugis Libani ligna & lapides in mare deponi jussit , & inde advecta ad ædificium templi adhibuit : ita Christus Judæos & Gentiles ab infidelitatis sylva acceptos per baptismi sui aquas ad templi non manufacti fabricam transtulit .

v. 15. *Fueruntque Salomoni septuaginta millia portantium onera , & octoginta millia latomorum* . Tot hominum millia ad cædendas , convehendasque trabes & lapides conducta millia millium administratoriorum spirituum ad salutem nostram missorum designant . Angelis nempe suis mandavit Deus , ut Sanctorum inprimis animas a sæculi rupe , excidant , perpoliant , & velut ad amussim dirigant . Quumque supernæ domus ædificio congruere viderint , alis spiritus sursum evehant suis coaptandas locis . Rursus in eodem symbolo delineatos contemplare Sanctorum pro animarum conversione & salute labores , sive quum homines a sæculi amore abstrahere nituntur , sive quum inde avulsos , velut desectos rupe lapides levigare pergunt , donec accurata expolitione splendorem illis accersant , cœlestique ædificio dignos efficiant . Tum vero illuc a supremo Opifice asportantur & disponuntur . Tali

[illegible]

[illegible]

li profecto in fratres caritate excellentes administratoriis spiritibus comparabiles sunt. Tertio Salomonis artifices intelligimus Angelos in ministerium missos, necnon Prophetas & Apostolos ex antiquo populo ad Ecclesiæ ædificationem electos; commodatos vero a Tyriorum Rege fabros, viros doctrina & sanctitate præstantes, quos populus Gentilis ad idem opus affatim & copiosissime suppeditavit.

[illegible]

CAP. VI. v. 1.

F*Actum est ergo, quadringentesimo, & octogesimo anno egressionis filiorum Israel de terra Ægypti in anno quarto, mense Jar (ipse est mensis secundus) regni Salomonis ædificari cœpit domus Domini.* Deus Salomonem ad templi sui fabricam elegerat, quam electionem David sibi perspectam fuisse testatur illis verbis. *Salomon puer est, & de illo prædictum est, quod ædificaret domum.* Quandonam prædictum? Fortasse istud Nathan Propheta significavit, quando de construendo templo secum deliberantem Dei nomine inhibuit, eo quod manus humano sanguine pollutas haberet; nasciturum tamen dixit ipsi filium, qui piam ejusdem cogitationem ad effectum perduceret. Exinde David materiam & sumtus futuro ædificio necessarios comparare instituit, perfecitque sequentibus annis, quibus luculentam auri, argentique copiam collegit, summam habes in primo Annalium talentorum auri centum mille, argenti mille millia præter æris & ferri inæstimabilem copiam. Huic porro summæ adjecit Salomon de suo mille millia talentorum auri, & duo millia millium argenti. Anno itaque ab exitu quadringentesimo octogesimo templi fabricam aggressus est, regni sui quarto & mense secundo (qui nobis Jar, Majus) in urbe Jerosolyma in eo monte, in quo Abraham olim filium suum obtulerat, in area Areunæ, quam David a Jebusæis emerat & immolato inibi holocausto dedicaverat. Quare situs templi ad gentes pertinebat, nam ab Amorrhæis acceptus fuerat: sed & pars magna opificum Phœnices fuerunt, Tyrii, Sidonii, & Giblii, qui ad populum Dei nulla ratione pertinebant, perinde & Hiram Rex Tyri, ejus operis se-

ſecundus poſt Salomonem auctor, gentilis fuit. Ad ædificandum ſcilicet Deo templum, ideſt Eccleſiam, duos populos Hebræum & Gentilem convenire oportebat. Et duas naturas Humanam & Angelicam in unum civitatis corpus coaleſcentes templum non manufactum in cœlo conſtruere. Rurſus obſerva, quod modo dicebam, in eodem monte peractum Abrahami ſacrificium, deinde ædificatum Moſaicis ſacrificiis templum & altare, ut intelligas a cruento Chriſti ſacrificio ſuam iſta virtutem hauſiſſe. Si quam enim Sacerdotes Aaronici habuere poteſtatem expiandi peccata, illam utique a Chriſti ſacrificio acceperunt, peccatores itaque in fide illius divinæ hoſtiæ expiabant. Porro templum ad formam Tabernaculi Moſaici Salomon architectatus eſt. Tabernaculum temporis, quod Moyſes conſtruxit, Scriptura appellat, quoniam nec fixum, nec ſtabile erat, ſed quoties populus caſtra movere debebat, ſolvebatur, & denuo compingebatur ad nutum Angeli, Hebræorum in deſerto profectiones, ſtationeſque perpetuo moderantis. Suum contra Salomon Tabernaculum, ſeu templum immobile molitus eſt, quod fixam ac perpetuam in terra promiſſa ſedem populo polliceretur. Templi ſacratiora adyta duo erant, alterum ſancta dicebatur & Sacerdotibus dumtaxat patebat, in quo Angelus Joannis Baptiſtæ nativitatem *Zachariæ* nunciavit, alterum interius, parſque erat templi auguſtiſſima, cujus acceſſus ſoli Pontifici permiſſus, quare Sancta Sanctorum appellatur. Templo adjuncta fecerunt porticus, & atria ampliſſima, quorum frequens in Scriptura fit mentio.

v. 4. *Fecitque in templo feneſtras obliquas, & preſſas.* Duæ feneſtrarum facies, alia interna, externa alia, hæc preſſa & anguſta, illa patula & multo latior, contemplantium differentes gradus deſignant: alii quippe myſteriorum Emmanuelis uberiore & clariore luce fruuntur, quibus vero per foramen breve & exile illa tranſmittitur, eos eſſe cogitamus, quibus Juſtitiæ Sol nitet tenuiore lumine, & quaſi die adhuc dubia. Iterum obſerva feneſtrarum figuram ad contrarios proſpectus oppido diverſam, qua enim

[illegible]

A enim templum spectant latissime panduntur, eædem, qua vergunt ad vias publicas & fora urbis, in arctius coëunt, & angustissimæ sunt: contemplantem animam ista monent ad interiora sua se convertere & inibi divina effuso sinu suscipere, nam templum Dei nos sumus, & regnum Dei intra nos est. Quæ vero extra nos sunt, breviter & presse tra- B ctare.

Et ædificavit super parietem templi tabulata per gyrum, quorum infimum habebat cubitos quinque latitudinis, sex medium, septem supremum. Alteram hic habes contemplationis Sanctorum imaginem. Alii siquidem in infimis subsidere dicuntur, quia ab intelligentia divinorum mysteriorum adhuc remotiores sunt. Nam qui ad mediam C contignationem ascenderunt, Deo propiores facti, majori luce perfunduntur, qui summa tenent, divina vident sine medio. — v. 5.

Et malleus, & securis, & omne ferramentum non est auditum in domo, quum ædificaretur. Conveniunt ista cum iis, quæ de altaris constructione præceperat Moyses. *Ferrum*, inquit, *non movebis super lapides al-* D *taris, ne polluas eos*. Ergo lapides & ligna aliis in locis dolabantur, & quadrabantur, indeque advecta ædificio aptabantur. — v. 7.

Et omnes parietes templi per circuitum sculpsit variis cælaturis. Quatuor hic indicantur Cherubim, Palmæ, Narcissi & Lilia symbola esse dicimus Sanctorum in templo orantium E & divina contemplantium, quos simili sensu, quamquam aliis symbolis Moyses adumbrarat, quum tribus populi sui in quatuor turmas ad quatuor mundi plagas distribuit, ita tamen ut omnes circa Tabernaculum excubarent. Tabernaculum quippe Dei personam repræsentabat, quem præsentem ab eis haberi, & perpetuo spectari vo- F lebat. — v. 29.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

CAP. VII. v. 21.

Et statuit duas columnas in porticu templi. Columnæ duæ duos mundos significant visibilem & invisibilem, ambo domum omnium gentium Ecclesiam Christi sustinent, Spiritus videlicet in ministerium missi, atque Prophetæ & Apostoli, & illorum

rum successores ad Ecclesiæ regimen divina dispositione constituti. *Vocavit nomen unius Jachin*, idest stabiliat vox est optantis, ædificium fore stabile & firmum. *Et vocavit nomen alterius Beoz*, idest in fortitudine, adeo ut simul juncta integram orationem efficiant petentis templi firmitudinem & stabilitatem. Rursus, duæ columnæ in porticu templi positæ significant justitiam Dei benefacta remunerantis, & delicta vindicantis: hisce namque columnis incumbit, & stat quodlibet regimen polyticum. Ambæ in porticu, & in primo aditu templi locantur, quia juxta Apostolum: accedentem ad Deum primum discere & credere oportet, quod remunerator sit bonorum, & vindex malorum.

Heb. 11. 6.

v. 23. *Fecit quoque mare fusile decem cubitorum a labio usque ad labium*, in quo missa aqua manus & pedes lavabant Sacerdotes templi ministerium obituri. Ejusmodi amplissima concha, ejusque usus & materia ex metallo pretiosissimo Emmanuelem, & ejus in carne adventum designant, ad cujus aquas Prophetæ vocant sitientes & immundos. Allegoriæ congruunt humeruli, seu columellæ mare sustinentes, quæ Prophetarum vaticinia, & Apostolorum prædicationem significant, quæ duo simul conjuncta, mutuoque sibi convenientia fidem de Divini Verbi incarnatione, miraculis passione, atque resurrectione sustinent & mirifice confirmant. Congruenter ergo boves duodecim æneum hoc mare portantes juxta Ecclesiasticum, idest allegoricum sensum Apostolos interpretare, & Prophetas Christi nomen per universum orbem specie quadam triumphi circumferentes. Hinc rursus assurge, & duodecim Angelorum legiones speculare, quarum obsequium Christus a Judæis comprehensus & postridie crucem libens subiturus, recusavit: nunc vero postquam assumtus est in cœlum, & sedet ad dexteram Dei, ejusdem thronum portant.

v. 46. *In campestri regione Jericho fudit ea Rex in civitate Cacar inter Sochoth, & Sarthan*. Si vasa Domini secundum Apostolum, sunt corpora & animæ Sanctorum, sensus allegoricus hujus loci declarat renovationem homi-

[illegible]

[illegible]

A minis per Christum. Idem enim est Rex pacificus, qui vasa ignominiæ in vasa honoris refudit in planitie urbis Jerico ad ripas Jordanis, idest ad aquas fluminis lætificantis civitatem Dei, quod est baptismus. Hæc vasa sunt, quæ fortis armatus diabolo abstulit, & in usum & ornamentum Ecclesiæ suæ refinxit, ut Paulum vas electionis.

B *Fecitque Salomon omnia vasa in domo Domini, altare aureum, & mensam, super quam ponerentur panes propositionis, auream.* Aurea mensa Christus est, quam Dei sapientia proposuit, & panibus instruxit, quibus animæ Sanctorum aluntur ad vitam sempiternam. Panes ergo propositionis designant nostri sacrificii mysteria ab Ecclesiæ ministris per Christum oblati. Mensam geminæ cingunt coronæ, quia Christum duæ circumstant naturæ terrestris, atque cœlestis, Angelica & humana. Labium itaque a mensa prominens inter utramque coronam labium est exultationis, quo Christum loquuntur, & laudant terrestres & cœlestes naturæ, quas antea inter se dissidentes idem conciliavit, & perpetuæ caritatis nexu conjunxit. — v. 28.

C

D *Et perfecit omne opus, quod faciebat Salomon in domo Domini, & intulit, quæ sanctificaverat David pater suus, argentum, & aurum, & vasa reposuit in thesauris domus Domini.* Non ea solummodo, quæ vel ipse, vel pater ejus paraverant, sed in primis Arcam Domini & repositas in eadem legis tabulas, & Arcæ superpositum oraculum, deinde Tabernaculum ligneum a Moyse fabrefactum, & ejusdem vasa bene multa, & amplam supellectilem, nec enim verisimile est Salomonem ea destruxisse, aut in profano alio loco reposuisse. — v. 36.

E

[illegible]

F *Tunc congregavit Salomon omnes tribus Israel in mense Frugum ad solemnitatem.* Frugum mensis nobis est Tescrin primus, idemque anni initium. Et quoniam eo mense Tabernaculorum festum Hebræis celebrare mos erat, in quo omnes mares, quibus per ætatem licuisset, ad Tabernaculum Domini convenire tenebantur, — CAP. VIII. v. 1.

tur, opportune Salomon hunc mensem ad templi dedicationem delegit, ne populum denuo congregare cogeretur. Dierum quatuordecim spatium definitum fuit utrique festo sic, ut priore hebdomada templi dedicatio fieret, sequenti Tabernaculorum festum de more ageretur. In hoc celeberrimo omnium tribuum conventu Arca Domini de civitate Sion, ubi eam posuerat David, ad novam ædem translata fuit, ipso Rege præeunte cum universo populo, atque a Sacerdotibus in intimo templi adyto collocata fuit. Inde vero digressis Sacerdotibus allapsa cœlo nubes templum implevit. Tria autem significabat, primum, divinitatis ad homines se benigne demittentis descensum, suamque in eo loco præsentiam manifestare volentis. Rursus docebat opere, quod verbo Apostolus, scribens: *Videmus nunc quasi per speculum in ænigmatibus*: Nec enim puri luminis fulgorem creatæ mentis, ne dum oculi mortalis acies sustinet, sed velut lucerna luce Solis continuo offunditur. *Nubes* ergo, & *nebula*, in quibus habitare Deus hoc loco dicitur, obscuram ejusdem notitiam designat, quam interim participamus, *dum peregrinamur a Domino, per fidem enim ambulamus, non per speciem*. Tertio, portendebat, ejus templi durationem non admodum diuturnam fore, sed nubis & nebulæ in modum urbem & ædem fore dissipandam. Quod Deus Salomoni hic comminatus est, nec diu post, Chaldæis Judæam invadentibus & vastantibus, ad effectum perduxit. Post nubis illapsum, & Salomonis orationem cœlestis ignis propositas hostias absumsit. Idem frequenter in Scriptura occurrit, quando Deus acceptum sibi holocaustum significare volebat, fecit & nunc, quo suam voluntatem erga templum, in quo offerebatur, testaretur, id enim Salomon postulaverat. Cæterum victimarum in ea celebritate cæsarum vis tanta fuit, ut omnem numerum, & æstimationem excesserit. Quare Scriptura hostiarum pacificarum numerum dumtaxat expressit, quem ad viginti duo millia boum, & ovium millia centum viginti productum fuisse refert. Id porro fieri oppido consentaneum fuit, ut nimirum, crematis partibus vi-

1.Cor.13.12.

[illegible]

[illegible]

victimæ, quæ Deo in ejusmodi sacrificiis seponendæ erant, reliqua cibum tantæ multitudini sufficerent. Peracta dedicatione templi, Salomon ministeriorum & Sacerdotum, atque Levitarum in iis obeundis vices & ordinem juxta notam sibi Davidis mentem distinxit, & in usum tunc primum induxit. Allegoria. Duæ hebdomades, duæque solennitates summa cum lætitia a populo Domini transactæ, altera Ecclesiæ nostræ celebritates præsignabat, quas Christus mystica dedicatione templi sui, & assumtæ carnis in cœlum translatione auspicatus est: altera nempe postrema, postremum perinde diem omnium festorum maximum, post corporum resurrectionem omnibus Sanctis affulsurum adumbravit. Illum porro diem sequetur distributio ministrorum, & officiorum in cœlesti illo templo perpetuo duratura. Justi siquidem membra Christi sunt, nec unum omnes in cœlo actum habebunt, nec unum locum, quum dicat Dominus: *In domo Patris mei multæ mansiones sunt.*

1.Par.28.19

Jo.14.2.

Stetit autem Salomon ante altare, & expandit manus suas in cœlum, & ait: Domine Deus &c. Habuit Salomon prolixam ad Deum precationem, qua finita, conversus ad populum bona illi cuncta precatus est, suasitque, ut in posterum sancte Deum colere, eique ex animo servire pergeret: quod ut altius mentibus fixum maneret, oppido verisimile est universo conventui renunciasse, quæ sibi non tamen uni, imo cunctis Israëlitis præsentibus & futuris fuerant intimata. Interim nota Salomonem non modo pro populo suo orasse, sed etiam pro externis & alienigenis, ab Israëlitarum gente diffidentibus, eidemque frequenter infestis, quo nimirum filius Davidis Davidis Dominum exhiberet pro omnibus generatim, etiam pro inimicis orantem, nobisque illa præcipientem: *Orate pro calumniantibus, & persequentibus vos.*

v. 21.

Matt.5.44.

Et

CAP. IX. ꝟ. 1.

E*T apparuit ei Dominus ſecundo, ſicut apparuerunt ei in Gabaon.* Quater Dominus Salomonem alloquutus fuit, bis per interpretem, primum poſt ſuſceptam ab illo cogitationem extruendi templi, iterum poſt ejuſdem a pietate defectionem. Bis quoque in ſomnis, primum ante templi conſtructionem in Gabaon, rurſus poſt orationem die dedicationis habitam. Reſpondit itaque in hac ſecunda apparitione iis, quæ Salomon in illa oratione poſtulaverat, ſibique poſtulata placere, ſignificat, præcipue quæ ad templi ſtabilimentum & gloriam pertinerent: rata quoque & fixa ſe habiturum dixit, quæcumque Davidi promiſerat: conditionem tamen adjecit, quam in omnibus promiſſis illi populo factis, inculcare conſueverat: ſi modo, inquit, Salomon parentis veſtigiis inſiſteret, populus vero patriam religionem ſancte, caſteque obſervare pergeret. Cætera, quæ hoc loco attexuntur contra pacti hujus tranſgreſſores, & Judæis, eorumque templo horribiles calamitates, & exitium portendunt, expoſitione profecto non indigent, quando res ipſæ noſtris oculis ubique obverſantur, facta enim, quæ videmus, verba, quæ legimus declarant.

CAP. X. ꝟ. 1.

E*T Regina Saba audita fama Salomonis, & nomine Domini venit.* Non fama Salomonis tantummodo, ſed ſtudio cognoſcendi Deum Salomonis excita longum & anceps iter ſuſcepit, magno utique ſtipata comitatu, atque ut conſuetudo ferebat, dona ampliſſima & regiæ magnificentiæ digna ſecum vehens. Porro credibile eſt, eam famam ad Reginam perveniſſe, vulgato ab illis rumore, qui ex Phœnicia, & finitimis regionibus conducti operam ſuam Hiramo & Salomoni locaverant, eandemque latiſſime poſtea propagatam, miſſis a Salomone & Hiramo claſſibus, quas ad Arabiæ portus frequenter appuliſſe, & cum indigenis negotia habuiſſe, præter alia documenta præſens Reginæ factum ſuadet. Hujus feminæ ſtudium laudavit Dominus in Evangelio, ubi tamen Reginam Auſtri appellat. Hoc nimirum nomine Scriptura indicare ſolet omnes

[illegible]

A omnes regiones ad austrum Palestinæ positas. Arabiam certe intelligebat Habacuc, quando canebat, *Deus ab austro veniet, & sanctus de monte Pharan*, de rebus quippe ad Sinai Arabiæ montem gestis loquitur. Quare vocabulum illud latissimam habet significationem, & præter duas Arabias Judææ confines complectitur Sabæorum regiones, gentesque Sabæis B finitimas extra fauces maris Rubri Oceano expositas, puta Homeritas & Auxumitas. Austri siquidem Reginam istas quoque provincias obtinuisse ipsa, quæ attulit dona, sui scilicet regni vernaculæ merces, indicant, ut non sine causa Christus mutato nomine Reginam Austri eam appellaverit; utpote quæ non Sabæis tantummodo, sed populis etiam C aliis ad austrum Judææ, perinde positis, imperitaret. Aromatum porro gemmarum & auri proventu priscis quoque temporibus notissimas fuisse Sabæam, & confines Sabææ regiones, Scriptura plurimis in locis ostendit.

Dixitque ad Regem: Verus est sermo, quem audivi in terra mea. v. 6. Quum ergo Regina Hierosolymam D venisset & Salomonem docentem, propositaque enigmata sapientissime dissolventem audisset. Ædificiorum præterea fuisset contemplata magnificentiam, templique inprimis amplitudinem, apparatum sacrificiorum, Levitarum ordinem & numerum ministrorum, atque officiorum, functionumque ordinatissimam distributionem, tanta admiratione capta est, ut sibi E vix mente constaret: quamobrem ad Salomonem conversa: *Major*, ait, *est sapientia tua, & opera tua, quam rumor, quem audivi*. Mox a Salomone edocta patriam superstitionem ejuravit, & Deum verum confessa est, quod quidem conjicere licet, ex eo, quod Scriptura dicit: Reginam Salomonis fama & nomine Domini ad eam transmissionem fuisse in- F vitatam, tum ex iis, quæ de Deo vero ad Salomonem proloquitur. *Sit*, inquit, *Dominus Deus tuus benedictus, cui complacuisti, & posuit te super thronum Israel*. Cujus ergo divinitatem & potentiam verbis professa fuerat, oblatione etiam testari voluit: quare advecta secum munera bi-

A bifarium divisit, & thus quidem ac cætera aromata in usum templi seposuit, gemmis vero & auro Regem munerata est. Allegoria. Regina Austri Salomonem accedens, & ab eo doceri cupiens, sanctam sponsam de regionibus Nigrorum, idest Gentium ad cœlestem Salomonem venientem repræsentat. Deus siquidem cum hominibus conversatus ad sanctam, quam sibi sponsavit, Ecclesiam in parabolis loquebatur, ipsique earum sensum per Apostolos sciscitanti exposuit. Quin & hodie quoque eadem per filios suos orat, & instat: *Edissere nobis parabolam*. Quis enim hactenus comprehendit *altitudinem divitiarum sapientiæ, & scientiæ Dei, aut supereminentem scientiæ charitatem Christi*. Salomon porro Reginam Saba docuit omnia verba, quæ proposuerat. Christus similiter Reginæ suæ aperuit, quidquid eam non ignorare consentaneum fuit. *Omnia*, inquit, *quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*.

Mat. 13. 36.
Rom. 11. 33.
Ephes. 3. 19.
Jo: 15. 15.

[illegible]

v. 11. *Sed & classis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir, attulit ex Ophir ligna Chesuto multa nimis, fecitque de lignis Chesuto ornatus domus Domini*. Ophir, unde aurum & gemmæ, & aromata & ligna pretiosa advehebantur montes esse ferunt in regionibus Indorum Orientalium positos, quas olim tenuere nepotes Jecthan filii Heber. Eoque semel per annum ibat classis Salomonis, & Hirami deferens in-

[illegible]

[illegible]

Severi Antioch.

Regina Saba Ecclesiæ nostræ typus fuit, venit illa a finibus terræ ad Regem Salomonem, convenit ista undique a quatuor mundi plagis ad Christum. Quæ ignorabat illa a Salomone didicit, & insuper multis aucta donis rediit: mysterium huic manifestatum est, quod absconditum fuerat a sæculis & generationibus; & terrenas opes docta parvipendere cœlestis thesauri particeps & dispensatrix effecta est. Quin ergo Reginam Austri, quam æmulata est mater nostra, imitemur, Christo aurum, gemmas, & aromata offerentes? Negotiatio est, parva isthæc amittere, ut magna, quæ petimus, quibusque maxime indigemus, accipiamus.

[illegible]

A inde aurum & argentum, & dentes Elephantorum, & Simias & Pavos. Tharsis vero quovis triennio semel, quo nomine veniunt maritimae regiones Africae, & insulae adjacentes. Hic autem in primis designari volunt eam Africae partem, in qua Tyrii, ducta postmodum colonia, Carthaginem urbem celeberrimam condiderunt. Vocabulum *Chesuto* Buxi speciem significat B Palaestinis, ut hic Scriptura indicat, incognitam, fuisse autem in hoc genere oppido raram, & pretiosam minime dubium est, talem scilicet, ut ad ornatum templi adhiberi decuerit, indeque musica instrumenta fabricari ad usum Cantorum inibi psallentium. Allegoria. Nobile lignum ad ornatum templi assumtum lectissimorum Sacerdotum, & Pontificum ordinem adum- C bravit, quos verus ille Salomon ad gloriam Ecclesiae suae, quae est domus Dei, delegit, & quosdam in organa Spiritus Sancti formavit.

Magnificatus est ergo Rex Salomon super omnes Reges terrae. Haec, ut supra annotatum est, in Salomonem quadrant, sed multo congruentius de Christo praedicantur. Nec enim Sa- D lomon aut imperii amplitudine, aut omnes mortales sapientia antegressus est, quod tamen vere & merito de Christo dicimus, cujus regni nulli sunt limites, nec ullus finis, & sapientiae non est numerus. — v. 23.

Fecitque, ut tanta esset abundantia argenti in Hierusalem, quanta & lapidum. Allegoria. Significat per Christi adventum, & manifestationem E divinarum rerum cognitionem cunctis ubique gentibus communicandam; quod Esaias etiam dissertissime de Christi adventu verba faciens vaticinatur. *Repleta est*, inquit, *terra scientia Domini, sicut aquae maris operientes*. Solet enim Scriptura argenti symbolum ad designandum sacram doctrinam usurpare: metallum quippe est candidum, lucidum & sonorum, quae quidem pro- F prietates mirum in modum in Christi Evangelium conveniunt. Hujusmodi argento Domini templum, quod est Ecclesia Christi, implendum praedicit Aggaeus, quum venerit desideratus cunctis gentibus. — v. 27. — Es. 11. 9. — Agg. 2. 9.

CAP. XI. v. 1.

ET *Rex Salomon adamavit mulieres plurimas alienigenas, & filiam Pharaonis*. Salomonis cum filia Pharaonis connubium Scriptura supra indicavit, nec reprehendit, quia & una erat, & quoniam patriam religionem dissimulabat, illi offensioni non erat: at postquam etiam alias superduxit uxores, divina Scriptura & priores illas nuptias, & istas posteriores merito damnavit: idque ex quadruplici capite, primum, ob religionis apertam injuriam, quod ante ejuratam patriam superstitionem duxisset. Rursus, quod contra expressum legis præceptum uxores sibi multiplicasset. Tertium, quod easdem ad insaniam usque deperisset. Quartum ob apostasiam a veri Dei cultu, quam ex talibus conjugiis lex sequuturam prædixerat. Quare non sine causa Salomonis casum ex earum feminarum consuetudine manasse Scriptura hic gravissimis verbis semel & iterum inculcat. Præterea illud etiam Salomonis culpam maxime exaggerat, quod non solum facto suo, sed etiam exemplo nocuit, neque enim solum obfuit, quod corruptus ipse est, sed etiam quod alios, suos præsertim successores Reges, uno & altero exceptis, corrupit. Salomon profecto Ducum & Regum Israel primus fuit, qui idololatriæ cœremonias & sacrificia publica magistratuum auctoritate sancivit.

v. 3. *Fueruntque ei uxores liberæ quasi septingentæ*. Auctus, ut ego conjicio, nobilium uxorum numerus est non tantum ex intemperantia, quantum ex ambitione & studio propagandi una cum sobole imperii. Quas enim Salomon ducebat uxores, quum Regum, & magnorum principum essent filiæ, illarum liberos sperabat in parentum aulas facilem aditum inventuros; indeque, ut rerum humanarum ferunt vices, data occasione ad principatum sibi gradum facturos.

Et averterunt ejus uxores cor ejus. Averterunt, inquit, cor ejus ab illo utique vitæ cursu, quem hactenus cum laude & omnium gentium admiratione constanter tenuerat, eoque perduxerunt, ut mutata velificatione tergum templo verteret, quod ipse ve-

[illegible]

A vero Deo patrum suorum excitarat, & illarum deinceps delubra frequentaret. Scilicet· postquam Rex sapientissimus impurum mulierum amorem totis hausit medullis, haustam a majoribus religionem retinere, stomacho fastidiente, non valuit, sed continuo rejicere coactus est. Quamobrem a Propheta mox audiit, regnum illud, quod sempiternum speraverat, suisque posteris B integrum mansurum, statim ab ejus obitu scindendum, & excepta tribu Juda, totum ab ejus stirpe defecturum. Quid? quod & pacem illam, quam suomet nomine præferebat, & priusquam nasceretur, parenti ejus Davidi promissa fuerat, ipso etiam vivente hostium incursionibus, ac latrociniis & perpetuo metu turbatum C iri. Hæc nempe est illa virga virorum, quam, ut supra expendimus, Deus Salomoni fuerat comminatus. Sic filius Davidis carnem, quam Davidis dominus ex ejus stirpe assumturus erat, execrabili cum idololatridis consuetudine fœdabat, imperiumque filio Dei præparatum, quod sanctitate & justitia per totum orbem terrarum propagandum erat, impiis, D impurisque cœremoniis & sacrificiis infamare moliebatur.

Apprehendensque Ahias pallium suum novum, quo coopertus erat, scidit in duodecim partes, & ait ad Jeroboam: tolle tibi decem scissuras. v. 30. Igitur illis, qui supra memorantur Salomonis adversarii, additus est Jeroboam Ephratæus. Quamvis iste non armis, sed affe- E ctati regni suspicione Salomonem, dum vixit, torqueret. Nec vanus is metus erat: hunc enim Ahias Propheta, quemadmodum hic Scriptura narrat, omnino regnaturum prædixerat: idque scisso in duodecim partes pallio confirmaverat. Sepositis namque Salomonicæ stirpi duabus partibus, reliquas ipsi Jeroboamo tradidit, distinxitque suam utrique portionem. Allegoricum F hujus loci sensum postmodum declaravit Hebræorum in regno Christi divisio. Pars itaque decuplo major, quæ Jeroboamo obtigit, eam Judæorum factionem designat, qui Christum repudiarunt, & dixerunt: *Non habemus Regem, nisi Cæsarem*. Pars altera, eaque minima, minimam perinde ejusdem populi partem significabat, qui Christum, venientem in

in propria, receperunt, & ab eo viciſſim acceperunt poteſtatem filios Dei fieri.

CAP. XII. v. 8.

Venit Roboam in Sichem, illuc enim congregatus erat omnis Iſrael ad conſtituendum eum Regem. Mortuo Salomone de ſucceſſore deliberatum. Nam etſi Roboamum ejus filium ex communi aliarum gentium jure Regem animo deſignarent, regnum tamen illi tradere nolebant, niſi tributa a Salomone impoſita minueret. Duo hic animadvertenda. Primum, eam ſeditionem a Jeroboamo malitioſe procuratam, quippe qui intelligebat, nullam ſibi viam ad occupandum regnum patere commodiorem, quam ſi populum, de Regis electione deliberantem, ipſe præoccuparet, propoſitaque ad imaginem veritatis ſæva, ac ſuperba Salomonis dominatione Electorum animos a Davidica ſtirpe averteret. Quare credibile eſt illum in hunc ſcopum multa confinxiſſe ad conflandum Salomoni, & Roboamo populare odium. Profecto nec communi Hiſtoricorum ſenſui, nec Scripturæ ſatis conſonat, quod populus Salomoni objectabat, imperium durum & intolerabile. Primum, quia conſtat ex ſacra & profana hiſtoria, nulla Iſraëlitis obveniſſe tempora Salomonico regno fæliciora; quum Regis ſapientiſſimi induſtria tanta argenti afflueret copia, quanta lapidum; rerumque omnium, quæ ad victum hominum & ad Dei cultum pertinebant ſaturitas tanta, ut nulla major illi populo unquam obtigerit. Secundum, quia etſi Salomon ingentia opera aggreſſus eſt, quæ quidem ſine magnis ſumtibus perfici, nullatenus potuerunt; attentis tamen temporum & gentium priſcæ illius ætatis moribus, & ampliſſimis reditibus Salomoni a vectigalibus populis, & negotiatione provenientibus, non video cauſam; cur Rex prudentiſſimus populi odium non neceſſariis exactionibus quæreret. Sed nec populus ipſe, quod facile fuit objicere, crimen probavit, nec ſenes a Roboamo conſulti, tributorum diminutionem abſolute neceſſariam eſſe, judicaverunt, nedum juvenes, quibus viſa eſt etiam Principi ignominioſa, ſed reſponderunt, tempori ſervien-

[illegible]

A viendum, nec cum armata multitudine, æqua, an iniqua peteret, in præsenti litigandum. Nihilominus, quod secundo loco dicendum proposui, existimo populi querelas aliquam saltem veritatis speciem habuisse, nec ex conficta & omnino futili causa manasse. Nam, ut supra animadversum est, Salomon opera ingentia animo complexus eadem perficere non B potuit, quin subditos ad subministrandam aliquam expensarum partem adigeret, quod etsi per se leve, grave tamen insuetis onus fuit. Salomon quippe Regum Israel primus immensum equorum numerum aluit & feminarum, immania ædificia molitus est, plura oppida aperta muro cinxit, condidit magnificas urbes, Gozer, & Betheron inferiorem, Baa- C lath & Thedmor (Palmiram) in terra solitudinis. Præterea exterarum Gentium Regibus annonam quot annis subministravit. Censeo tamen hæc, esto etiam vere objicerentur, tantum incendium fundere minime potuisse, si Jeroboami ambitio hanc scintillam aggesta aliunde materia nunquam alluisset. Nec mirum, ei rem ex sententia cessisse, Deo religionis a Sa- D lomone violatæ injuriam hac ipsa via persequente: quod hic etiam Scriptura declarat, & Ahias Propheta domui David olim denunciaverat.

Sup. 9. 17.

Respunditque Rex populo dura. Roboam populi querimonias propriam injuriam interpretatus, intolerabili Salomonis avaritiæ modum imponi postulanti, & imperatas ab eo exactiones imminui, tristiorem servitutem E denunciat, & onera minatur graviora. Et quoniam existimabat Salomonis comparatione se despectum, eoque populum talia petere ausum, quod crederet, illum petenti negare minime ausurum, respondit: *Minimus digitus meus grossior est pollice patris mei*, seu minima pars mei corporis grossior est femore patris mei. Q. d. eo F major sum ego patre meo, ac fortior, quo femur mole, ac robore minimum digitum superat. Quare *si pater meus cæcidit vos flagellis, ego cædam vos bmorgane*. Verberis genus est. Corium nempe intestini speciem referens, arena fartum, & aculeis armatum. Insolenti hac responsione populus exasperatus, quoniam a

v. 13.

Ro-

Roboamo homine plane ſtupido & ſtolide arroganti nihil ſani ſperabat a Davidis ſtirpe diſceſſit, aliunde ſibi Regem quæſiturus: viſumque eſt ex Ephraimitica tribu imperio alias aſſueta, principem petere. Aderat inter alios, qui de Regis electione deliberaturi convenerant, ejus conſpirationis auctor Jeroboamus; hunc ergo decem tribus Regem ſalutarunt, Judæis & Benjamitis nequidquam reclamantibus, & Roboamo paternum ſolium vindicare conantibus. Sic verberum crepitus a paſtore gregem fugavit; ut intelligas, agreſtes & aſperos homines (hujuſce nimirum indolis moderatores lora aculeis inſtructa aptiſſime referunt) ad gubernandum myſtici Salomonis regnum eſſe oppido ineptos. Aſperum namque Moderatorum ingenium, nimiaque ſeveritas concordiam & ſocietatem diſſolvit.

ỳ. 16. *Videns autem populus, quod noluiſſet eos audire Rex, reſpondit ei dicens, quæ nobis pars eſt in David, vel quæ hæreditas in filio Iſai.* Senſus eſt. *Non eſt nobis pars cum David &c.* Jam nulla jura Davidi nos obligant, nec ulla cum eo neceſſitudo, ſive negotium relictum eſt. Siquid nobis cum illo commune fuit, id omne mors ſuſtulit, nam filios qui reliquit degeneres, totus periit. *Vide domum tuam David*, ideſt, provide domui tuæ familia Davidis, poſtquam pater tuus Roboam principes Iſraëlis, inde excedere coëgit: his nempe ſubſtantibus, illa hactenus ſtetit; cave, ne talibus deſtituta fulcris ruat.

ỳ. 18. *Miſit ergo Roboam Adoniram, qui erat ſuper tributa.* Roboamus miſſo ad ſeditioſos Adura regio quæſtore ſeditionem compeſcere conatus, ſequuta ejuſdem cæde, nam a ſeditioſis interfectus eſt, magis accendit. Ergo armis extorquere cogitat, quod æquis conditionibus obtinere nequibat. Talia meditantem Semeias Propheta occupat, & ſuadet, ut, ea potius cogitatione depoſita, Dei diſpoſitioni acquieſcat, aſſeverans divina voluntate ea omnia facta, & proviſa fuiſſe, nec poſſe humano conſilio ullatenus præverti. Roboamus divino decreto refragari minime auſus, dimiſſo exercitu, ſe in ſua recepit.

[illegible]

Et

[illegible]

A *Et excogitato consilio fecit duos vitulos aureos*. Interea Jeroboam, dum sibi a Deo per Semeiam, & Ahiam Prophetas traditum regnum stabilire studet, nihil ad propositum utilius credidit, quam si utriusque factionis odia magis inflammaret, & reconciliationi, pacique omnem aditum præcluderet. Ergo, ut jam dissidentes longius ab invicem abstraheret, novam circa Dei cultum discordiam induxit: B persuasitque suis, ut, Judæorum abdicatis ritibus, Ægyptiorum potius religionem susciperent tanto cæteris augustiorem, quanto Ægyptii Chananæis & Judæis nobilitate, sapientia & imperio anteibant. Assentientibus ex majori parte tribubus antiqua Hebræorum idola colenda proposuit, C duos scilicet ex auro vitulos, dedicavitque, pronunciata ex veteri more illa formula. *Ecce Dii tui Israel, qui te eduxerunt de terra Ægypti*. Hic porro animadverte, Jeroboamum in tantum nefas impulisse tria, primum, quod Scriptura hic satis expressit, regnandi cupido fuit, quum pro certo præsumeret, quod falsum erat, se nulla alia ratione regnum, D divino utique favore quæsitum, tueri posse, nisi ipsum suæ fortunæ auctorem desereret. Sic enim sibi persuaserat, fieri non posse, ut suæ ditionis populus in fide perseveraret, si Jerosolymam quotannis semel, & iterum, ac tertio adire, & veri Dei templum frequentare, ejusque sacris interesse pergeret. Nec dubitabat, quin Roboamus ea occasione E rebus suis opportunissima bene usurus esset, ad demulcendos advenarum animos, sibique reconciliandos. Quod si ad votum illi succederet, quæ sibi conservandæ dominationis superesset spes? Quid enim? Num populus Roboamum Davidis nepotem paternum solium communi jure gentium æquissimis conditionibus repetentem postha- F beret Jeroboamo, homini seditioso, avitæ religionis desertori, & alieni juris invasori? Ut autem facinus externa quoque specie horrendum auderet, duo alia illum animasse puto: primum longam apud Ægyptios moram: credibile est Jeroboamum in eo exilio diuturna & familiari consuetudine illius gentis, etiam mores & religionem imbibisse. Conjecturam ju-

juvat Deorum, quos colendos proposuit, species, tales enim ab Ægyptiis veneratos fuisse notissimum est, & eorundem cultum antiquos illos Hebræos, qui vitulum in deserto conflarunt, ab illis hausisse. Secundum: inolitam Israëlitis ad idololatriam propensionem, & inchoatam ante Roboami regnum illorum a vera religione defectionem, Salomonis exemplo & auctoritate firmatam, cujus de hoc negotio judicium testabantur adhuc extantia idolorum fana, quæ ipse intacta reliquerat, & Roboam rerum potitus manere & frequentari sinebat. Idololatriam porro a Salomone invectam & a Jeroboamo stabilitam, atque ab utriusque Successoribus auctam, vel certe toleratam totius gentis, sicut Prophetæ prædixerant, ruina consequuta est, hanc scilicet portendebat ea Israëlitarum discordia & reipublicæ divisio: stat enim Domini sententia: *Omne regnum in se ipsum divisum desolabitur*. Profecto quandiu ab uno Principe universa Hebræorum gens gubernata fuit, nec idolorum cultus religionem, nec externa vis ulla rempublicam labefactavit, utramque evertit discordia Regum Israel & Juda, Assyriis & Chaldæis ea occasione accepta utriusque populi sacra & profana non multo post deperdentibus. Iterum cogitur Jeroboami in hoc negotio stultitiam & stuporem, ut qui quater cœlestibus oraculis monitus & magnis calamitatibus castigatus minime resipuerit, perinde ac si omnem sensum amisisset. Privatus audierat monentes Semeiam & Ahiam, si regnum quidem ipse obtinere vellet, posterisque suis transmittere, idololatriam etiam atque etiam caveret: hanc nempe solam causam esse, ob quam Salomonis soboles paterni regni majore parte multanda foret: ipsumque Jeroboamum ad vendicandam religionis injuriam divinitus designari ejus multæ exactorem. Regnum paulo post adeptus iterum a Semeia Propheta objurgatur, quod idololatriam exterminare jussus, idola coleret, monentem occidere tentat; & quamquam scissum altare cerneret, sibique manum, quam contra Prophetam extenderat, sentiret arefactam, hunc quidem innoxium dimisit, a sua tamen impietate nunquam

A B C D E F [illegible]

[illegible]

A quam discessit. Rursus quarta jam vice ab Ahia Propheta per interpretem acerbissime increpatur, denunciato etiam ægrotantis filii obitu, & mox sequuturo totius familiæ excidio; pluribus præterea toto sui regni cursu vexatus malis, vitam tandem cum morte commutavit, nec tamen mores, aut animum mutavit unquam. Allegoria. Jeroboamus religionis, quam B ipse instituerat, factus Pontifex Pontificis Caiphæ typus fuit. Credidit ille magis utile, sibi religionem, quam regnum perire, ajebat iste: *Expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.* Uterque deceptus est. Quum Jeroboamo quidem unica ratio constituendi, tuendique regni esset veræ religionis observantia; Caiphæ vero ex C sola Christi nece timenda forent templi & urbis excidium, totiusque gentis ruina, unaque pateret via expediendæ communis salutis, si Christum Judæi susciperent. Sic ambo isti Pontifices in eum, quem fugiebant scopulum impegerunt eodem plane cursu, quo illum vitare contendebant. Jeroboamus scilicet, quo religionem evertit, re- D gnum amisit. Caiphas, quo Christi mortem procuravit, gentem suam & seipsum perdidit.

Jo: 11 50.

Posuitque unum in Bethel, & alterum in Dan. Duæ urbes, quarum altera Bethel Australem Jeroboami ditionem terminabat, altera Borealem. Utrumque fanum verisimile est Jeroboamum solenni ritu dedicasse, ut qui recentia Davidis & Salomonis ex- E empla ob oculos haberet, populumque proinde suæ ditionis ad eam celebritatem convocasse. In hoc porro conventu existimo Jeroboamum ad concionem illa loquutum, quæ supra Scriptura refert: *Nolite ascendere in Jerusalem.* Geminum, ajebat, pro uno templum hic jam habetis, Jerosolymam in posterum petere vobis molestum, nec vero necessarium: iter F longum est, vos nostis & asperum terque per singulos, annos repetendum nullo tamen, ut dixi, operæ pretio. Quam enim colitis, terra sacra est & patrum benedictione dedicata; quo ergo libuerit loco, si sacra vestra fiant, in loco profano non fient, quando omnia terræ pro-

v. 29.

missionis loca sacra sunt. *Et factum est*, subdit Scriptura, *verbum hoc in peccatum, ibat enim populus ad adorandum vitulum usque in Dan*. Cæterum ex libris Annalium discimus, omnes fere Levitas, multos etiam ex aliis tribubus paternarum traditionum tenaces, per eam occasionem in Roboami ditionem migrasse; quibus autem solum mutare non licuit, priscam religionem nihilominus retinuisse; adeo ut Jeroboam a Sacerdotibus Levitici ordinis derelictus, sacrificulos novæ religioni ex infima plebe accomodare coactus fuerit.

CAP. XIII. ℣. 1.

ET *ecce Propheta Dei venit de Juda in sermone Domini in Bethel, Jeroboam stante super altare, & thus jaciente*. Jeroboamus Deorum, quos fecerat, factus Sacerdos, suo functurus officio fanum Bethel intraverat, quum Propheta Dei legatus venit de Juda, *& exclamavit contra altare, & ait: altare, altare &c.* Propheta altare alloquitur primum, quia Jeroboamus divini nuncii alloquium nec volebat, nec merebatur, a quo proinde nec responsum Propheta expectabat, sed nec cibum accipere, sibi fas esse, sciebat, utrumque enim interdictum fuerat, ne Dei legatus cum homine damnato communicasse videretur. Secundo, quia Propheta commissum sibi officium exercere debebat circa altare, ipsam videlicet aram excindere, & pœnam idololatris denunciare in eodem, in quo sacrificabant loco, sumendam, indeque sequuturam altaris & delubri horribilem profanationem, Sacerdotum ad aram jugulatorum sanguine, & cadaverum in eo crematorum cineribus transigendam. Tertium, ut Regem & circumstantem turbam insolita vaticinandi ratione gravius percelleret. Continuo divini hujus judicii futurum executorem proprio nomine declarat Josiam, Davidis nempe nepotem, quo tacite Israëlitarum ingrati animi vitium perstringit; quod Davidis ingentia merita obliti, ejus posteris hominem patriæ religionis desertorem, & Deo inimicum antehabuissent. Postremum idololatriæ a Jeroboamo invectæ interitum vaticinatus, vaticinio ad-

[illegible]

A adſtruit fidem evidenti miraculo. Quandoquidem, inquit, omnem ſtabiliendi imperii veſtri ſpem in hoc altari poſuiſtis, audite, quod dicam: veniet tempus, quando hac ſuper ara Sacerdotes veſtros, veſtræ impietatis venturus ultor Joſias, mactabit, & mortuorum oſſa incendet; neve de futuro exitu prædictionis ambigere poſſitis, præſens exhibeo ſi-
B gnum; & hoc, quod videtis altare firmo & bene compacto lapide conſtructum, ſtatim ſcindendum dico, & cineres combuſtarum in eo victimarum diffundendos. Continuo altare occulta vi concuſſum, horribili impetu ac fragore diſciſſum eſt, cinereſque decuſſit, & ſacrificantem Regem inde diſturbavit.

Dixitque Jeroboam: deprecare pro v. 6.
C *me, ut revertatur manus mea ad me*. Talibus Prophetæ dictis commotus Rex, quod illis accidit, quos impotens & immanis ira accendit, non voce ſolummodo, ſed extenſa manu ſatellites inclamabat, ut virum Dei caperent, quum brachium in ipſo geſtu obriguiſſe ſenſit. Quamobrem Prophetæ demiſſe ſupplicat, ut ſuis precibus ſibi ma-
D lefactum dolenti & damnanti ſuccurrat. Præſtitit ille ſine mora, quod rogabatur. Sed quorſum in eodem loco, in quo ante terribili voce contra altare tonuerat? Primum, ut qui aderat frequentiſſimus populus, perſpecta viri Dei manſuetudine & caritate, intelligeret, non ex inſano furore, aut cœco mentis impetu profecta eſſe, quæ idem modo tri-
E ſtia, & horrenda denunciabat. Secundum, ut reſtituta manifeſto miraculo Regi manus divinam clementiam teſtaretur, & ad ſpem veniæ reſipiſcentes, erigeret. Tertium, ut alterum ab altero ſigno confirmaretur, & ambo prædictioni fidem adſtruerent. Quartum, ut dum Propheta coram circumfuſa multitudine,
F (plurimos enim, comperto ejus adventu, & mox ſequuta altaris ſciſſione, eo loci concurriſſe veriſimile eſt) damnat novæ religionis cultum, & interitum prædicit, dumque Deum invocat a Judæis adoratum, & ſanitatem Regi exorat, ipſi idololatræ præſentes teſtes fierent, tantorum miraculorum auctorem eſſe Deum, quem

quem repudiaverant, non vitulos, quos colebant.

℣. 11. *Propheta autem quidam Senex habitabat in Bethel*. Huc ex Samaria venerat, ut in secundo Annalium habetur, quum Propheta Semeias commissa legatione functus inde discederet, hunc ergo abeuntem assequutus oravit, ut domum suam tantisper diverteret, dum brevi quiete & cibo modico a præteriti itineris labore se recrearet. Senex iste verus Propheta fuit, ut infra demonstrabimus, qui Semeiam decepit & ipse falsa pietate deceptus. Quum enim ille sibi interdictum diceret, in iis locis cibum sumere, Senex hujus præcepti revocationem sibi divinitus significatam fuisse, mentitus est. Credidit ille dicenti, persuasusque Deum sententiam mutasse, hospitis domum ingressus comedit. Inde a prandio digressus, dum interruptum iter persequitur, ab incurrente leone suffocatur: qui nihilominus ibidem perstitit cadaveris perinde, atque jumenti custos factus, donec a superveniente Sene illud elatum fuit & honorifice conditum. Allegoria. Semeias, quem indubitabile est, verum & sanctissimum fuisse Prophetam, quo abstinentiæ præceptum a Deo sibi apertissime intimatum transgressus est, protoplastarum lapsum & Diaboli in illis decipiendis astum repræsentat. Adami siquidem fides & obedientia simili continentiæ lege tentata fuit, Deique præceptum objicienti Diabolus arcanum Deo soli cognitum, sibique ab illo communicatum mentitus opposuit, persuasitque, ut interdictæ arboris fructum decerperet. Nec tamen Adam ideo minus peccavit, contra Semeiæ peccatum multum elevat, quod Prophetæ mandati revocationem asseveranti fidem habuit & comedit, nec enim legem contemsit, quam abrogatam sibi persuasit. Quamobrem, quem fera vivum suffocavit, mortuum custodivit. Quo facto Christi pariter sacramentum mutum animal proloquebatur. Mors enim Christum occidit, sed carnem ejus sepulcrum nullatenus violavit. Item Prophetæ vectorem non læsit, quia nec mors Angelos filii Dei thronum portantes attigit; quando ille, qui dedit gloriam suam super cœlos, descendit & mor-

[illegible]

A mortalis factus mori voluit. Postremum honor mortuo corpori delatus, corporum resurrectionem præsignabat.

Quumque sederent ad mensam, factus est sermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum · Senem istum verum fuisse Prophetam, quod supra annotavimus, ex hoc loco perspicue colligitur, sed neque malum fuisse, B suadent primum, quod Semeiæ Prophetæ & Dei legati facta & dicta laudavit, atque vaticinium, certo credidit, esse complendum: iterum quia commune cum illo sepulcrum habere voluit; esto peccaverit mentiendo divinum de reducendo Propheta responsum. Quamquam nec istud mendacium ex dolo malo profectum, C Scriptura non obscure insinuat, quum hoc ipsum commentum fuisse, narrat, postquam filiis referentibus rescivit admiranda opera, quæ Propheta dudum Rege & populo testibus præsentibus ediderat, ejusdemque pro tuenda Dei causa adversus idololatras navatam egregie operam. Quare credendum est eum Abrahami & Lothi erga peregrinos caritatem imitari voluisse, D & quidem simili affectu, quo scilicet hominis Dei præsentia & alloquio frueretur, & divinam benedictionem inde sibi, suæque familiæ procuraret. Hinc perinde factum credo, ut Deus ejus bonæ mentis testis culpam minime animadverterit, quando Semeiæ in credendo levitatem adeo severe punivit: sed nec postea ejus ossa moveri, permisit hujus va- E ticinii executor Rex Josias, quando aliorum impiorum hominum cadavera, inibi sepulta, cremavit. Allegoria. Dum Senex iste filiis insistit, ut in Semeiæ Prophetæ sepulcrum patrem mortuum inferant & sperat inde suis ossibus pacem, veteris Adæ figuram describit, filios suos adhortantis, imo urgentis, ut patrem suum in F baptismum immittant, qui Emmanuelis sepulcrum est; per hunc quippe pacem & vitam sperant mortui quicumque consepulti fuerint cum illo per baptismum. Cæterum, quum idem mentitur & alterum Prophetam fallit, populum Hebræorum generatim repræsentat, de quo in Psalmo legimus: *Et dilexerunt eum in ore suo, & lingua sua mentiti sunt ei*. Perinde, at-

v. 20.

4.Reg.23.18

Rom.6.6.

Psal.77.36.

A

atque eorundem seductores Pseudo-prophetas, de quibus apud Ezechielem dicitur. *Vident vana & divinant mendacium dicentes: sic dicit Dominus, quum Dominus non miserit eos, & perseveraverunt confirmare sermonem mendacem.* (13.6.)

[illegible]

CAP. XIV. v. 1.

IN *tempore illo ægrotavit Abia filius Jeroboam*, qui de filii salute sollicitus matrem ad Prophetam Ahiam allegavit, sancti viri precibus pueri sanitatem a Deo, quem repudiaverat, exoraturum se, confidens. Neve Prophetæ Regina sine munere præter patrium morem appareret. *Tulit decem panes*, decem scilicet buccellata, *& vasculum mellis, & fructus aridos*, pro quo Græcus textus habet σαφυλὰς *uvas*. Regale munus non ferebat, quia nec Regina videri volebat.

B C

[illegible]

v. 6. *Audivit Ahias sonitum pedum ejus introeuntis post ostium, & ait: ingredere uxor Jeroboam, quare aliam te esse simulas?* Audivit, inquit, introeuntem, quoniam caligantibus senio oculis videre non poterat. Ex divina ergo revelatione, uxorem esse Jeroboam, intellexit, quod illa Prophetam latere volebat, quem sibi, suisque jure & merito infensum, sciebat. Inde sumto sermonis exordio Propheta in Jeroboamum acerrime invectus est, & pacti, religionisque violationem, atque beneficiorum eidem a Deo liberalissima manu collatorum oblivionem gravissimis verbis persequutus, ingentes calamitates, regni eversionem & totius familiæ interitum denunciavit.

D E

[illegible]

v. 12. *Tu igitur surge, & vade in domum tuam, & in ipso introitu pedum tuorum in urbem morietur puer, & planget eum omnis Israel, & sepeliet*, reliquos Jeroboami posteros tristis & inhonestus exitus efferet: huic nimirum dumtaxat puero conceditur funere humari regio, idcirco, quod parentes, præteritis vitulorum sacrificulis, & auguribus a Prophetis Domini consilium & opem flagitare maluerunt. Ahiæ porro contra Jeroboami stirpem judicium Rex Baasa rato tempore plenissime exequutus est.

F

[illegible]

Quin-

[illegible]

[illegible]

A *Quinto anno regni Roboam ascendit Sesac Rex Ægypti in Jerusalem, & tulit thesauros domus Domini, & thesauros regios.* v. 25. Roboamus idololatriam a Salomone invectam propagavit & auxit, Naama gentili matre instigante, quod Scriptura innuere videtur, quum facta mentione impiæ matris filii apostasiam subjungit. Quantum porro ad depravandos Israëlitarum B in hac parte mores valuerint inita cum feminis peregrinis conjugia, satis ostendunt exempla, quæ in præsenti historia occurrunt, Maachæ, Jezabelis, & Athaliæ. Deo itaque violatæ religionis injuriam persequente, Sesac Rex Ægypti Judæam cum ingenti exercitu ingressus, Jerosolymam cepit, templum & domum regiam expilavit, & universa diripuit. C Exinde Judæi Regibus Ægypti annuum tributum pendere coacti sunt, quo scirent *distantiam servitutis Dei, & servitutis regni terrarum*, quemadmodum in verbo Domini Semeias Propheta Judæis protestatus fuit. Quod autem pœna nocentum ultra ad interitum usque minime processisset, Dominus pariter per Prophetam significavit: *Quia*, inquit, *humiliati sunt*, D *non disperdam eos, & non opprimet furor meus Jerusalem per manus Sesac*. Ab eodem siquidem Propheta admoniti, ejus calamitatis causam aliam non esse, quam ipsorum a Deo defectionem, consternati Rex & Principes dixerunt, *justus est Dominus*. Errorem illos agnovisse certum est, incertum tamen utrum correxerint, præsertim, quum Scriptura E in secundo Annalium Roboami gesta summatim perstringens, historiam illis verbis concluserit. *Fecit autem malum, & non præparavit cor suum, ut quæreret Dominum*; eoque mortuo in eadem impietate perseveraverint filius & successor Abia, & universim populus Judæ & Benjamin. Sed cur ad annum quintum Roboami dilatum fuit idololatra- F rum supplicium? Quia nec ante quartum Judæi ad eam impudentiam venerant, qualem hoc loco Scriptura describit, & Asa, atque Josias postea sustulerunt, adeo ut præter profanas Gentilium cœremonias, horrendas quoque libidines exercerent: sed, ut in secundo Annalium habetur, ad trien-

triennium a Salomonis obitu in patrum religione, & disciplina se continuerant.

Cap. XV. v. 1.

In *octavo decimo regni Jeroboam filii Nabath regnavit Abia super Judam*, cujus ductu Judæis obtigit insignis de Israëlitis victoria prælio omnium maximo, quæ in civili bello gesta sunt, attenta bellatorum multitudine, quum Abias quadringenta hominum millia in acie habuisse dicatur, octingenta Jeroboamus. Judæis victoria stetit, cæsorum in acie Israëlitarum numerus, quod in historia perrarum est, ad quingenta millia excessit.

Et dormivit Abia cum patribus suis, regnavitque Asa filius ejus pro eo. Abia tertio post anno è vivis sublato rerum potitus est Asa pius & avitæ religionis tenax, eodem in Judæa regnante Jeroboamus, defunctus morte non sua interiit, qualis illa fuerit, violenta fuit, hoc nempe indicant ea Scripturæ verba: *Percussit eum Dominus, & mortuus est.* (2. Par. 13. 20) Patri Nadabus successit, quo interfecto Biasa regnum invasit, cujus opera Deus omnia, quæ contra domum Jeroboami per Prophetas denunciaverat, ad effectum perduxit. Baasam paulo post Zamri sustulit, & hunc Amri, qui Samariam in monte Somerin condidit, eoque Regum domicilium ex urbe Thersa transtulit. Interea Asa ad reparandas religionis ruinas conversus, idolorum fana subvertit, simulacra confregit, succiditque lucos, & effeminatorum probrum sustulit, Maacham patris sui Abiæ matrem hujus turpitudinis antistitem amovit & ab eo, quem tenebat, honoris loco dejecit: & concidit idolum ejus & combussit. Hunc in modum sublato idolorum cultu religionis sacra restituit, & sarta tecta perpetuo habuit ad unum & quadraginta annos, quibus rempublicam administravit.

(2. Parab. c. 14. 9.) *Et egressus est contra eos Zara Indus cum exercitu magno decies centena millia, & cum triginta millibus curruum, & venerunt usque Maresa.* Hæc supplenda fuerunt ex secundo Annalium, factum quippe omnium Asæ gestorum maxime memorabile complectun-

[illegible]

A ctuntur. *Zara* Indorum Rex hoc ipso tempore Judæam populatum venit, ingentis prædæ spe fortaſſe invitatus, luculentam ſiquidem ex Judæorum terris avexiſſe Regem Ægypti confinem ſuum audierat. Decies centena hominum millia ſub ſignis habuiſſe, hic Scriptura refert, & currus triginta millia. Huic Aſa Judæorum & Benjamitarum collecto exercitu obviam factus, Angelo duce ingentem illam armatorum multitudinem cecidit & ad internecionem delevit, ſubverſis cunctis per circuitum Geraræ Philiſtæorum urbibus. Unde liquet prælium in confinio Judææ commiſſum fuiſſe. Porro ſi hoſtium numero ſpoliorum copia reſpondit, maximam omnium, quas hucuſque extulerant Judæi, prædam ex ea pugna abegerunt. Hunc belli exitum Aſa ſuis prædixerat, eoſdem adhortatus, ut Dei adjutorio confiderent, magnum exercitum, Deo tamen inimicum, ab exiguo etiam militum manipulo, ſed magna in Deum fide inſtructo, ſuperandum.

[illegible]

CAP. XVVI. v. 1.

Azarias autem filius Obed facto in ſe ſpiritu Dei egreſſus eſt in occurſum Aſa, & dixit ei &c. Quum profligata Indorum acie Rex & exercitus cum ea, quam diximus, præda Jeroſolymam redirent, occurrit Azarias Propheta, propoſitoque ejus belli ſucceſſu, populum ad obſervantiam divinæ legis cohortatus eſt aſſeverans, Deum illos nunquam deſerturum, modo illum ipſi minime desererent. *Dominus*, ait, *vobiſcum erit, quandiu vos eritis cum illo*. Quæ quum audiſſet Aſa confortatus eſt, & congregati ſunt ad eum plures ex cunctis tribubus, videntes, quod Dominus eſſet cum eo. Quumque veniſſent in Jeruſalem immolaverunt Domino hoſtias plurimas & juraverunt, quod adorarent Dominum in toto corde ſuo, & ad idola non accederent, & quicumque Dominum non adoraret, moreretur.

v. 17.

Aſcendit quoque Baaſa Rex Iſrael in Judam, & Rama. Hic novum conflatur adverſus Aſam bellum, a Baaſa Rege Iſrael excitatum, in quo Aſa auxilia Syrorum requiſivit, ſolutoque ingenti ſtipendio impetravit. Syris itaque Iſraëlitarum fines inva-

 den-

dentibus, Baasa retrocedere coactus est, & cœptum cum Judæis bellum intermittere. Factum tamen Deo minime placuisse, Propheta Hanani Asæ declaravit; illudque palam reprehendit, quod Rex præterito cum Indis bello Dei adjutorium expertus, in præsenti hominum opem sibi adeo necessariam existimasset, ut templi spoliis, & exhausto ærario externorum principum auxilia sibi comparare studuisset.

v. 24. *Et dormivit cum patribus suis.* Asæ funus in secundo Annalium describitur in hæc verba: (2. Par. 16. 14.) *Exposuerunt eum super lectum suum plenum aromatibus; & fecerunt combustionem magnam nimis* specierum scilicet odoratarum. Hujusmodi exequiarum pompam suasit Josaphato in parentem optimum pietas, tum consuetudo ab Ægyptiis ad Hebræos propagata. Hujus moris duplex exemplum occurrit in Genesi (Gen. 50.), primum in funere Patriarchæ Jacob, cujus cadaver Joseph aromatibus condiri jussit a medicis Ægyptiis, eamque curam ad quadraginta dies productam fuisse, Scriptura testatur & subdit: *Iste quippe erat mos cadaverum conditorum.* Alterum in funere Joseph, qui ibidem dicitur aromatibus conditus, & in loculo repositus. Hunc porro funeris honorem Joramo negatum fuisse traditur in secundo Annalium (21. 19.): *Et non fecit ei populus combustionem, secundum combustionem patrum ejus.*

v. 25. *Regnavitque Josaphat filius ejus pro eo*, cujus gesta ex secundo Annalium (2. Par. 17.) hic subtexenda fuerunt. Josaphat regnum adeptus ad stabilienda pia patris instituta totus incubuit. Quocirca Sacerdotes & Levitas jussit loca suæ ditionis circumobire, & rudem populum divinæ legis præceptis informare, atque eorundem observantiæ sedulo insistere. Quæ res potissima causa fuit, ut immisso divinitus pavore consternati vicini populi Judæos infestare minime auderent, imo Philistæi & Arabes vectigales ultro se offerrent. Quum vero postremis sui principatus annis ab Ammonitis & Moabitis, innumerabili armatorum multitudine obsideretur, & videretur prope opprimendus, divina virtute factum est, ut hostes mutata mente mutua cæde se conficerent. Quamobrem castra militibus vacuata ingressus Rex inde

A de tantum prædæ extulit, ut asportari triduo non posset. Hinc ad constituendum regni statum conversus, hunc optimis legibus munire studuit, & plurima oppida restauravit. Quare jure optimo laudatissimis principibus ab utraque Regum historia annumeratur. Quatuor nihilominus in eo Scriptura reprehendit, & inprimis initam semel & iterum societatem cum B Principibus notæ impietatis. Nam præterquamquod postremis sui regni temporibus Ochoziam Moabitico bello implicitum sequutus est, Achabo Ramoth Galaad oppugnare cogitanti suppetias tulit. In ea porro expeditione Rege socio interfecto ipse manifesta Dei ope servatus, periculum vix evasit. Graviter tamen reprehensus est a Jehu Propheta, qui ex eo prælio re- C vertenti obviam factus: scilicet, dixit, ad opitulandum impio profectus es; at tu quidem nihil illi profuisti, offecisti plurimum tibi, Deo alienato & offenso. *Verumtamen ego credo, quod sermones boni auditi fuerunt a te*. Sermones hujusmodi eos esse conjicio, quos Josaphat de præsentis expeditionis exitu sollicitus cum Achabo habuit, tales profecto fuerunt illi: *Quære* D *oro te, sermonem Domini*, & iterum: *Non est hic Propheta Domini, a quo sciscitemur sermonem Domini?* Rursus: *Ne loquaris ita Rex*. Et cætera, quæ pius Josaphat impio Achabo per eam occasionem suggessisse credibile est. Subdidit Propheta: *Sed nec sanguinem innoxium fudisti*. Sanguinem videlicet Prophetarum, quod utique Achab & E uxor ejus Jezabel fecerunt. Præterea arguitur Josaphat, quod cum eodem Achabo ambiverit affinitatem & Athaliæ ejus filiæ nuptias filio suo Joramo quæsiverit, quæ quidem religioni, & Josaphati familiæ funestissimæ fuerunt. Tertium, quod cæptam a Salomone in Ophir navigationem resumturus, Ochoziam Achabi filium socium sibi asciverit, qua re Deus of- F fensus utriusque classem submersit. Quartum, quod excelsa non abstulerit: sed nec istud curaverat, religionis cæteroqui studiosissimus Asa pater ejus, veritus fortasse, ne populus propterea in Dei cultu segnior factus, vicinarum gentium sacris in posterum assuesceret, utpote sibi minus incommodis. Postmodum tamen hunc errorem

Infr. 22. 4.

rem utriusque nepos pius Ezechias correxit.

CAP. XVI. ℣. 1.

Factus est autem sermo Domini ad Jehu filium Hanani contra Baasa dicens &c. Hic a Deo creatus Rex, missusque ad restituendam religionem a Jeroboamo, ejusque successore Nadabo pessumdatam, vendicandamque utriusque in hoc facto perfidiam & impietatem; alterum quidem cumulatissime præstitit, extirpata funditus Jeroboami, Nadabique progenie, alterum perverse, impudenterque promovit, utriusque idola colendo, vitulos, quippe a Jeroboamo factos minime fregit, imo subjectos ad eorum cultum provocavit. Quod ingrati animi crimen Jehu Propheta hoc loco Baasæ acerbissime exprobrat, & brevi sequuturam vindictam denunciat. Baasa itaque hanc ob causam regno, vitaque spoliatus est & Ela ejus filio, ac successore interfecto paulo post, altero videlicet ab ejus obitu anno, Zamri regnum invasit, ut supra dictum est, tenuitque ad septem dies. Hic porro ab Amri Thersæ obsessus, expugnata jam urbe, palatium ingressus, se cum regia succendit. Successit Amri Samariæ conditor, qui duodecim post annos vita functus, regnum filio reliquit.

℣. 29. *Et regnavit Achab filius Amri super Israel in Samaria viginti, & duobus annis.* Hic est ille Achab, qui in nova religione parum se profecisse, arbitratus, si numina a Jeroboamo inventa solummodo coleret, Baali Sidoniorum Deo sacra instituit, fanum in urbe regia excitavit, erexit aras & lucos plantavit. Et hoc amplius Prophetas, aliosque Dei cultores acerbissime exagitavit.

℣. 34. *In diebus ejus ædificavit Hiel Jericho.* Rem per se operosæ molitionis & ingentis periculi ausus est Hiel, Jerichuntini agri amænitate, ac feracitate illectus & quod crederet Josue verba in execrationem urbis dumtaxat dicta, nec præterea aliud malum portendere. Sciebat, Moysen simili affectu legis divinæ transgressoribus prædixisse, cœlum ad eorum perniciem in ferrum transiturum, terramque in metallum convertendam, quæ tamen facta non esse, oculis suis cernebat; hinc perverse colligebat, Josuæ perinde maledictiones & minas nullum effectum habituras. Verba Josuæ fuerant. *Ma-*

[illegible]

[illegible]

A *Maledictus vir coram Domino, qui suscitaverit Jericho: in primogenito suo fundamenta ejus jaciat, & in novissimo liberorum ponat portas ejus*, idest, sub ipsum fundamentum jactum sobolem efferre incipiat, donec consummato ædificio, sepeliat universam. Hunc porro esse verum & proprium illius anathematis sensum, Hiel ipso eventu doctus sero tandem intellexit.

B

CAP. XVII. v. 1.

E*T dixit Elias Thesbites de habitatoribus Galaad ad Achab: Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit in annis his ros, aut pluvia nisi ad oris mei verbum.* Quo tempore prodiit Elias Propheta & Prophetarum pater, eo provecta fuerat Achabi & Jezabelis audacia, ut non modo Dei cultum proculcarent & idololatriam pro C virili promoverent, sed etiam Prophetas & sanctæ religionis cultores insectarentur & occiderent: id enim testantur Eliæ cum Deo querelæ, & quæ infra narrantur, Abdiæ pro illorum salute gesta. Ad cohibendum itaque Achabi & Jezabelis furorem missus est Elias, qui magnis dictis & factis ostenderet, maledictiones, a patribus olim protestatas adversus legis di- D vinæ transgressores, inanes non esse nec vanas minas. Scripserat nempe Moyses ingens execrationum & dirarum volumen, mandaveratque Josue, ut in generali omnium tribuum conventu maxima cum solennitate illas promulgaret. Præter cæteras porro calamitates legislator denunciabat atrocem & extremam famem, & reliqua famem necessario con- E sequutura mala, prohibitis cœlo imbribus & arentibus campis. Ridebat ista Achab, qui præteritam parentis sui Amri in hac parte fælicitatem & copiam spectaverat: castiganda ergo fuit impii Regis impudentia. Præcipua tamen missionis Eliæ causa fuit Jezabel Achabi uxor, cujus mendacia refelli, & insolentiam frænari Deus volebat. Hæc scilicet Baalis sacrorum F facta antistes prædicabat hunc summum esse Baal, idest dominum superum & inferum, cœlo proinde pluvias mittere & impertire arvis feracitatem; citabatque testes præsentes gentiles suos Sidonios, Tyrios, cæterosque Phœnicum populos, omnium circa gentium ea tempestate ditissimos, eosdemque Baalis religiosissimos cultores. Ergo opportunissi-

Infr. 18. 3.

nissime hic occurrit Elias & Achabum, ejusque proceres aggreditur, increpat, objurgat, constanterque ipsis minatur coelum ferreum & aeneam terram, & ait: *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto, si erit annis his ros, & pluvia, nisi juxta oris mei verbum*. Idest, quousque ipse annuero, nec equidem faciam, dum vos in vestra impietate obstinati obdurabitis. Significat plagarum modum peccantium poenitentia fore definiendum. Eliam porro ista loquutum, credo, autumno ineunte, aut hyeme, nec enim magnum, nec mirandum fuisset, alia tempestate, qua coelum ad plures menses perpetuo serenum est, imbres cohibuisse: quin etiam existimo, ad evidentiam miraculi dicta, & facta haec fuisse obducto nubibus coelo, quum nemo dubitaret, pluviam brevi casuram. Porro Eliam, ut modo dicebam, omnem fere suae legationis cursum praecipue contra Jezabelem dum vixit, direxisse, ipse suis dictis & factis ostendit: ad hunc scilicet scopum collineabat propositum, susceptumque cum Baalis Sacerdotibus certamen, & eorumdem, parta victoria, caedem, atque illud ad Achab de Jezabele horrendum oraculum: *Canes comedent Jezabel in agro Jezrael*. (Infr. 21. 23.)

(v. 2.) *Et factum est verbum Domini ad eum dicens. Recede hinc, & abscondere in torrente Carith*. Quod Jeroboam simili cum libertate a Semeia Propheta reprehensus tentavit, Achab in Eliam ausus non est, nec enim aderat Jezabel, quae Regem, suopte ingenio minime iracundum, concitaret. Propheta nihilominus a Regis conspectu statim sese proripuit, longiorem eo in loco moram cavere antea a Deo fortasse monitus, qui nunc eidem mandat, ut in torrente Carith juxta Jordanem sese abscondat. Quorsum istuc? Forte dices, etiam Eliam fugere jubes, & intra vallis ignotae specum se abdere? Quid enim? Num Jeremias Chaldaeis cuncta circa Jerosolymam loca obsidentibus & Sedecia Rege intra urbem persequente, tutus non fuit, te protegente? Praeterea cur in torrida regione tenues ex torrente latices captare, compellis, & arces a praeterlabentibus Jordanis aquis; aut fame laborantem, in summa commeatus inopia a corvis victum sperare, jubes? Tres scilicet ob

A ob causas : inprimis , ut Elias calicem, quem ipse miscuerat , tantisper gustaret, famem videlicet , ac sitim ipse interim ad dies sustineret , quibus populum universum ad annos premi , & gravissime vexari volebat . Et inde ad commiserationem multitudinis laborantis flecteretur : hujusmodi quippe affectu præparandus fuit Eliæ animus ad laudandam divinam clementiam , miseris subvenire B jam paratam , Deoque parendum præcipienti : *Vade* , *& ostende te Achab* , *ut dem pluviam super faciem terræ* . Rursus, ut disceret actionis & contemplationis spatia dividere, &, post obitæ legationis strepitum , silentium contemplationis sibi esse necessarium . Postremum , ut intelligeret divinæ gloriæ , & humanæ salutis negotium non sola operationis contentione , sed precibus & obsecrationibus C potissime transigendum cum illo , *qui convertit petram in stagna aquarum* , *& rupem in fontes aquarum* , atque orantibus promisit , *se daturum cor* , *ut sciant eum*.

Infr. 18. 1.

Psal. 113. 8.
Jer. 24. 7.

Corvisque præcepi , *ut pascant te ibi*. Panes Corvi & carnes Eliæ afferebant: incertum an alicunde raperent, an quum sub hora prandii , & cænæ ad eum venirent , in ore alterius panes , in alteD rius ore carnes interim crearentur : non enim humana opera cibi ejusmodi parabantur , quoniam non dixerat Deus: *Præcepi Sacerdotibus* , *aut aliis quibusvis hominibus* , *ut pascant te* . Voracissimæ aves mutaverant naturam , ferebat corvus alter carnes , nec admordebat , alter panes , nec violabat : sic tamen Prophetæ victum subministrabant , ut pro mutua gratia pastum ab eodem referE rent . Ea porro cum avibus consuetudo Prophetam non parum recreabat , quum occasione continui commeatus socios fere perpetuos , & contubernales corvos haberet , mansuete garrientes , crebroque advolatu comedenti blandientes catellorum more , quos , nec equidem sine voluptate spectare solemus , quum herum accumbentem , ut cibum porrigat , blandis assultibus & questubus solF licitant . Hæc vero ad arcanum sensum traducta , inprimis designant peccatores, ab Emmanuele ducendos ad torrentem, è sanctuario defluentem , & omnes ægros aquarum aspersione sanantem , qui est Christi baptismus , congruenter itaque subditur Eliam obscænas aves ad suum contubernium admisisse : *Venit enim filius*

Ezech. 47. 9.

Matth. 9. 13. *Dei vocare peccatores*, & cum peccatoribus, & Publicanis manducavit. Iterum, quum audis, Prophetæ panes allatos de mane, & de sero carnes, panem quidem interpretare perfectam, consummatamque justitiam, hunc videlicet panem, Esaias datum dicit animæ habitanti in excelsis, cujus sublimitas munimenta saxorum, cujus oculi videbunt Regem in decore suo, & cernent terram de longe. Panis quippe, quum præcipuum sit hominis alimentum, præcipuum ejus bonum congruenter designat. Carnes vero, quoniam de vespere afferebantur, duo significabant, primum pœnitentiæ fletum, quia, ut ait Psaltes: *Ad vesperum demorabitur fletus*, necnon carnis macerationes, & labores assumtos ad comparandam justitiam. Hunc porro luctum sequetur lætitia ad matutinum, Sole justitiæ tenebras peccatorum dissipante. Altero, eoque longe sublimiore sensu præsignabat, Verbum divinum cum carne descensurum, adveniente fine temporum, quasi ad vesperam sæculorum, & hominem esurientem suis impleturum bonis per Spiritum Sanctum, quem *effudit Deus in nos abunde per Jesum Christum Salvatorem nostrum*.

Es. 33. 16. Tit. 3. 6.

Surge, & vade in Sarephtham Sidoniorum. Deus Eliam ad Gentilium urbem traduxit, ut, quod supra animadversum est, ad commiserationem pereuntium flecteret. Quem enim pluviæ arbitrum constituerat, collata potestate privare nolebat, nec volebat, nisi eo volente, mundo laboranti succurrere. Propterea a secreto torrentis Carith ad frequentissimam urbem Sarephtham venire jubet, ubi suis subjectam oculis haberet hominum calamitatem, cui nullam ipsi dedissent causam, nec enim Sareptanis ulla cum Achabo erat in eo crimine societas; nam etsi legem Moysis non observabant, reverebantur tamen plerique sapientiores; & vulgus, quod illam ignoraret, vituperare non poterat. Contra Achabus eo dementiæ progressus fuerat, ut legem, quam a Deo institutam sciebat, quasi fabulam traduceret; ejusque promulgatores Prophetas persequeretur & occideret. Elias itaque Sarephtham profectus feminam in ipso urbis ingressu offendit, divinoque instinctu protinus intellexit, quam sibi Deus hospitem desti-

A ſtinaverat, eo in loco oblatam fuiſſe: ſiquidem, ut ego conjicio, hoc ipſum a Deo poſtulaverat: ne ſi de viduis Sarephthanis quæritare cogeretur, videretur contra gravitatem & dignitatis decorum peccare: atque ipſam ſimul feminam vel per inſomnium, vel alia quavis via de hoc negotio præmonitam fuiſſe, juſſamque venturo hoſpiti diurnum victum ſubminiſtrare: B id enim innuunt illa Dei ad Eliam verba: *Præcepi viduæ &c.* Cæterum Propheta mulierem conſpicatus pannoſam, nudis pedibus ligna colligentem, & ex longa inedia ſqualore obſitam, diraque macie deformatam, aduſtum ſtipitem videre, ſibi videbatur, puduitque primum, panem petere, petiit aquam, quamquam poſtmodum panem quoque poſtulavit, quod ſci- C ret hydriam farinæ, quam femina habere ſe, dixerat, minime defecturam: nam præterquamquod divinum promiſſum audierat, ex eo, quod Deus in torrente ſibi, ſuiſque nutritoribus Corvis annonam ſuppeditaverat, colligere poterat, nec in eo loco victum ſibi & viduæ hoſpiti in poſterum defuturum. Quamobrem fidenter D imperat, ut ſibi primum quaſi Sacerdoti ex præſenti farina tortulam conficiat, Sacerdotibus nempe ciborum etiam primitiva lex addixerat. *Primitiva ciborum veſtrorum Sacerdoti dabitis.*

Ezech. 44. 30.

Quæ abiit, & fecit juxta verbum Eliæ. Obſerva hujus mulieris fidem, obedientiam, & caritatem. Deinde conſidera redditam operi ejus E mercedem, ſequitur enim: *Ex illa die hydria farinæ non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus.* Sed nec imminuta familia eſt. Mortuum enim poſtea filium hæc in Prophetam benignitas matri vivum reſtituit.

Factum eſt autem poſt verba hæc, ægrotavit filius matris familias. Hic iterum Deus Eliam acerbo hoſpitis fa- F to exagitat, cæptam nempe pugnam perſequitur. Torſerat dudum in torrente Carith fame & ſiti, ademta aquatione, & intercepto commeatu. Nunc vexat orbæ matris ejulatu & lamentis, idem utrobique ſcopus, ut ad commiſerationem afflictorum afflictum excitet. Interim obſerva matris in obitu filii modeſtum dolorem, non enim

enim de Dei ſententia queritur, aut Prophetæ ſuccenſet, ſed pænam ſuis peccatis juſte redditam agnoſcit, & ait: *Ingreſſus es ad me, ut rememorentur peccata mea.*

℣. 19. *Et ait ad eam Elias, da mihi filium tuum, tulitque eum de ſinu ejus, & portavit in cœnaculum ſuum.* Vide quomodo nec, occaſione ſuſcitationis filii, matri conceſſit, ut cubiculi, in quo ipſe manebat, limen tereret, eam ſiquidem in inferiore parte domus, dum rei exitum præſtolatur, interim ſubſtitiſſe, Scriptura declarat, quum ſubdit: *Tulitque Elias puerum, & depoſuit in inferiorem domum, & tradidit matri ſuæ.*

℣. 20. *Et clamavit ad Dominum, & dixit: Domine Deus meus, etiamne viduam, apud quam habito, afflixiſti?* Utitur hic ea libertate Elias, quam etiam Jeremias aliquando uſurpavit, ut cum Deo videatur judicio velle contendere. *Etiamne*, ait, *viduam, apud quam habito, afflixiſti?* Q. d. Scilicet nec ſatis habes, me pro tua gloria dimicantem, & quævis mala ſuſtinere paratum, ad torrentem Carith dudum relegaſſe, ibique a Corvis cibum accipere coëgiſſe, & lutulentam de profluente aquam bibere, quin & hunc quoque ſuſtuliſſe commeatum, & ad pauperis viduæ convictum venire compuliſſe; etiamnum adverſus me inſurgis, & incitas hoſpitem meam acerbo filii ſui funere afflictam, ut indeſinenter me torqueat lacrymis, & queſtubus ſuis? Hæc ſane mihi omnium præteritarum ærumnarum graviſſima accidit. Quid porro ſi iſtuc effluat in vulgus, quanta, putas, dabitur adverſariorum meorum furori materia? Quamobrem *revertatur*, *obſecro*, *anima pueri hujus in viſcera ejus*, ſic matri dolorem eripies, mihi etiam moleſtiam.

℣. 21. *Et expandit ſe, atque menſus eſt ſupra puerum tribus vicibus, & reverſa eſt anima pueri intra eum.* Myſticus hujus loci ſenſus multa complectitur. Primum indicat, trina divinorum nominum invocatione revicturum hominem, ſi tamen in baptiſmo mortuus veteri Adæ inveniretur cum Christo: *Si enim mortui ſumus cum Chriſto*, ait divinus Paulus, *cre-*

Rom. 6. 8.

[illegible]

[illegible]

A *dimus*, *quia simul etiam vivemus cum Christo*. Et huic sensui cætera optime congruunt, quoniam in ea vita, quam Christus nobis veteri Adæ mortuis redditurus est, simul *reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ*. Rursus hic adumbratur triplex filii Dei ad mortuum hominem descensus: carnem quippe sumturus divinæ naturæ immensitatem Sanctæ Virginis utero conclusit. Deinde ligno Crucis corporis sui membra composuit. Postremum mortuus jacuit in sepulcro & ad inferos descendit. Sic Deus, ut mortuum hominem revocaret ad vitam, magnitudinem suam ad illius parvitatem conformavit. O miraculum ineffabile, quod Propheta *stuporem* appellat. Ad hominem descendit hominis Dominus, & formam servi accipiens servili naturæ suam admensus est divinitatem. Præterea viduæ filius, quo jubetur cum matre, farina & oleo, divina jam virtute auctis, vivere, sanctæ Ecclesiæ filios adumbrabat, Emmanuelis mensa saginandos, si in farina quidem intelligatur cibus vivus, quem de Domini corpore participamus, & in oleo agnoscamus sanctæ unctionis donum. Postremum quum semel & iterum Eliam hac ipsa occasione clamasse Scriptura narrat, & cum eo clamore animam pueri ad corpus proprium rediisse, manifeste designat illud sancti Evangelii: *Clamor factus est ecce sponsus venit*. & illud beati Pauli: *In voce Archangeli*, *&* *in tuba Dei descendet de Cœlo*, *& mortui*, *qui in Christo sunt*, *resurgent*. Generalem itaque corporum resurrectionem prænunciat, & modum declarat, in tuba nempe Dei descensurum Christum, & in voce Archangeli animas undique ad propria corpora evocaturum.

Philip. 3. 2. — *Es.* 9. 6. — 1.*Thess.*4.15 — *Matth.*25.6

Et ait illi: *En vivit filius tuus*. Q. d. Vides mortuum revixisse, fecit hoc Deus, quod nemo faciat, nec illi, quos gentes fecerunt sibi Deos. (v. 23.)

Dixitque mulier ad Eliam: *Nunc in isto negotio cognovi*, *quod Propheta Dei es tu*. Q. d. Quamquam hydria & lecythus jam me docuerunt: Cœlum non aliquo naturalium causarum concursu, sed concessa tibi uni potestate clausum; sed enimvero postquam mortuos a te suscitari video, jam non du- (v. 24.)

dubito, quin in verbo Domini possis efficere, quæcumque voles.

A [Syriac text]

CAP. XVIII. v. 1.

P*Ost multos dies factum est verbum Domini ad Eliam in anno tertio dicens, vade, & ostende te Achab, ut dem pluviam*. Interea dum mortuo puero Dominus spiritum refundit, Prophetæ infundit gratiam, ut mœstitiam ex obitu hospitis sui conceptam expendat, indeque intelligat miserantis Dei affectum erga homines fame, sitique laborantes, etsi nollet servi sui sententiam ipso minime conscio rescindere, aut injectum ab illo vinculum alia manu laxari. Eliam itaque ea cogitatione præmunitum Dominus accersit: *Et vade*, inquit, *& ostende te Achab, ut dem pluviam super terram*. Id nempe illis maxime diebus optabat Achab, quando, ut hic Scriptura narrat, divisis cum Abdia regionibus, ibat ipse per viam unam, & Abdias per viam alteram, si forte posset invenire herbam & salvare equos & mulos, opportune igitur ad Regis votum Deus Eliam ad petendam pluviam sollicitat: non quod ejus opera indigeret, sed ut ei auctoritatem & existimationem apud Regem & populum conciliaret. Jam in hoc negotio simul observa, Eliam Achabo apparere jussum fuisse eodem die, quo regii stabuli equis & mulis pabulum quærebat, divino scilicet consilio istuc gerebatur, quo videlicet Rex impius perspiceret Dei erga res minimas, puta mulos & equos, mirabilem providentiam, indeque facile colligeret, quam oppido impensiore cura rebus ejus consulturus fuisset, si Dei benefactis bene ipse uti studuisset. Hanc porro Deus suam erga mutas quoque animantes pietatem etiam Jonæ Prophetæ post hæc tempora declarabat illis verbis: *Et ego non parcam Ninive civitati magnæ, in qua sunt viginti millia hominum, qui nesciunt, quid sit inter dexteram & sinistram suam, & jumenta multa*?

Joan. 4. 11.

v. 7.

Quumque Abdias esset in via, Elias occurrit ei. Vides quomodo Elias divinæ voluntati se statim accommodet, quod nec Abdias, neque Jonas fecerunt: mirare simul constantis animi robur omnia pericula aspernantis, nec enim Deo legationem oppido ancipitem præcipienti morosum & difficilem

B [Syriac text]

C [Syriac text]

D [Syriac text]

E [Syriac text]

F [Syriac text]

[illegible]

cilem se præbuit, nec Achabi & Jezabelis animos præsenti calamitate exulceratos extimuit, quin statim Abdiam conveniret hominem talia audire meritum, & pluviæ mox sequuturæ nuncium ad Regem & populum allegaret.

v. 8. *Vade, & dic Domino tuo, adest Elias.* Detrectabat Abdias propositam sibi legationem obire, quod timeret, ne Elias a Spiritu interea alio raptus promissum vadimonium desereret. Nec enim ignorabat, nuper ad torrentem Charith ab eodem spiritu asportatum & inde insperato translatum Sarephtham. Porro raptus ejusmodi frequenter Eliæ accidere solitos fuisse ejus discipuli filii Prophetarum infra testantur. Quod si quidpiam tale hoc interim contigisset, Abdias impostoris notam, & Achabi indignationem effugere se posse desperabat. Nam vel mentiebatur, se Eliam reperisse, imo & cum eodem fuisse collocutum, Regem utique in eo negotio fallere voluisse crimen erat gravi pœna plectendum. Vel si vera nunciabat, tenebatur publicis edictis parere & Eliam comprehensum ad Regem confestim adducere: præsertim quum idem regiæ domus œconomus esset, & ad negotium ejusmodi transigendum, regios satellites ad nutum haberet; atque aliunde bene nosset, Eliam a Rege summa animi contentione & accuratissimo studio fuisse hactenus requisitum. Id enim ipsemet Abdias Eliæ affirmabat: *Non est gens, aut regnum, quo non miserit Dominus meus te requirens.*

Et quum vidisset eum, ait, tu ne es ille, qui conturbas Israel? & ille ait: Non ego turbavi Israel, sed tu, & domus patris tui. Tu, ait, & pater tuus Amri rempublicam evertistis, qui vestris moribus & legibus Dei populum corrupistis, quin & institutam a Deo religionem, quasi fabulam habere docuistis, vestra proinde culpa factum est, ut prohibiti fuerint cœlo imbres & ubique grassetur fames. Non ergo mea bona verba Israëlem perturbarunt, sed vestra mala facta. Nec dubium est, quin isthæc Prophetæ in dicendo libertas Regi admodum molesta acciderit: in neutra tamen Regum historia legitur Achabum Eliæ talia coram ex-

pro-

probranti vel factis, vel dictis, ullam fecisse molestiam; tantam scilicet servo suo Deus auctoritatem indiderat, Regique metum. Nec aliter puto Moysi & Aaroni provisum fuisse, ut a Pharaonis congressu incolumes discederent, quando acerba dicta, facta oppido quanto acerbiora sequebantur.

Verumtamen nunc mitte, & congrega ad me universum populum. Quod perinde, atque superius factum mirabile fuit: Eliæ præcipienti generalem populi conventum Rex paruit, & populus ipse congregatus redarguentem miro silentio audiit, & publicum cum Baalitis certamen petentis propositum & consilium laudavit. Nec istud Baalis Sacerdotes recusare, aut eludere potuerunt, fortasse etiam optarunt, si quidem verum est, quod nonnulli prodiderunt, a Baalitis nempe factum, quod fieri hodie quoque a quibusdam impostoribus comperimus. Tradunt Pseudo-Prophetas illos concamerasse Baalis aram, atque intra cameram hominem inclusisse, qui ad nutum supposito igne aggestam altari lignorum struem, & superpositam victimam inflammaret. Eo proinde artificio confisos, ajunt, ad pugnam tanta deinceps cum alacritate processisse, ut quasi jam de successu non dubitarent, Eliam ultro lacesserent. Sed hanc Baalitarum spem, Elia deprecante, simul fuisse abscissam, quum idem præpotens Deus, qui paucis ante mensibus mortuum in cœnaculo jacentem vita donarat, hanc modo eripuisset homini intra aram delitescenti, justo utique judicio: qui enim tantam multitudinem suis flammis perditum ibat, ipse suo scelere perire meruit. Hanc porro fuisse, conjectant, veram causam, cur Elias ignem è cœlo evocaturus, aquis omnia circum altare loca, & ipsum altare allui jusserit, occurrere nempe volebat Baalitarum obtrectationibus, quos sciebat vulgo persuadere conaturos, ignem non cœlo emissum, sed altari suppositum ea, quam ipse instruxerat, fraude, improviso emicuisse. Illud sane indubitabile est, eam Eliæ in hoc negotio providentiam nullam circumstanti populo reliquisse causam suspicandi fidem publicam ab ipso violatam, magnam contra præbuisse, existimandi, Baali-

[illegible]

A Baalitas ignem, quod facile fieri potuit, intra cavum altaris supponere cogitasse, eoque astu fretos tantam initio pugnæ ostendisse alacritatem & lætitiam: alioquin si de exitu fuisset dubitatum, admodum pauci convenissent, at quadringenti & quinquaginta convenerunt.

Et concertabant transilientes altare, quod fecerant, dissecta victima, in medium B divisarum partium prosiliebant, ultro citroque euntes. Hujus cœremoniæ, vestigium cognosces in eo Abrahami sacrificio, in quo habes, eundem victimas dissecuisse, & lampadem per medium dissectarum partium observasse commeantem: expressumque occurrit exexemplum apud Jeremiam, ubi ipsum hunc ritum a Judæis usurpatum fuisse conqueritur; quamobrem minatur traden- C dos in manus inimicorum suorum principes Juda & principes Jerusalem, & Eunuchos & Sacerdotes, & omnem populum terræ, qui, inquit, transierunt inter divisiones vituli. Allegoria. Elias, quo in Carmelo sacrificat, suoque sacrificio vanas Baalitarum cœremonias refigit, manifeste designat Emmanuelis in Calvariæ monte holocaustum, quo Gentilicarum & Mosai- D carum hostiarum oblationes seipsum semel offerendo Jesus Christus abrogavit.

v. 26.

Gen. 15. 17.

Cecidit autem ignis Domini, & voravit holocaustum, & ligna, & lapides, pulverem quoque, & aquæductum lambens. Pulchre agis, Elia, & sapienter, etiam lapides tuus inflammet ignis, ut confundantur, qui saxa colunt, cremet ligna, ut qui scul- E ptile lignum Deum fecerunt, desinant insanire, taurum incendat, ne vitulum adorent.

v. 38.

Et duxit eos ad torrentem Cison, & interfecit eos. Populum in Prophetas ipsos insurrexisse, eosdemque aprehensos Eliæ præsentasse, minime dubium est, an vero etiam occiderit, non est æque certum, Scriptura pro- F fecto eorum cædem ad unum Eliam verbo singulari referre videtur, & valde credibile est illum præsentis multitudinis incolumitati, quo licuit, cavere voluisse, ut ipse solus Pseudoprophetarum necis auctor crederetur: quippe qui optime prospiceret Jezabelem suorum Sacerdotum sanguinem inultum minime dimissuram.

v. 40.

Et ait Elias ad Achab, ascende, comede, & bibe, quia sonus multæ pluviæ est. Hic opportune Elias, postquam populum evidenti miraculo convictum, ut ut resipuisse vidit, ejusque subversores Baalis Prophetas dedisse commeritas pœnas, pluviam prædicit & a Deo, novum miraculum postulat, quo & factum confirmet, & datam liberet fidem, pluviam namque resipiscentibus spoponderat, quare modo prænunciat mox casuram, quod certo crederet Deum populi pœnitentia, & Pseudo-prophetarum supplicio placatum.

v. 42. *Elias autem ascendit verticem Carmeli.* Jerosolymam profectus non est, nec quum sacrificium offerre cogitavit, esto sciret lege cautum ne id fieret extra locum a Deo constitutum, nec modo quum imbrem postulatum iret, quamvis non ignoraret expressam pluviæ mentionem a Salomone factam, & hanc a Deo promissam Israëlitis in templo oraturis: ea nempe erat temporum conditio diffidentibus inter se Israëlitis, ut subjectis Achabo Jerosolymam accedere non permitteret, quos tamen Elias miraculum spectare præsentes volebat: nec enim hactenus omnino sibi persuaserant, eam, qua premebantur famem, Deo disponente & Elia orante, immissam fuisse. Ut ergo certo constaret Eliæ opera cœlum antea clausum, & modo fuisse reclusum illos inibi interesse oportuit, & Propheta orante cadentem pluviam spectare.

v. 44. *Et ecce nubecula parva, quasi vola manus hominis ascendebat de mari.* Sed antequam ascenderet, oravit septies Elias, quo circumstantem populum pluviæ expectatione suspensum ad perpendendam beneficii magnitudinem ea mora excitaret, simulque suo admoneret exemplo non oportere eos ab oratione desistere, sed repulsam ad præfinitum tempus patienter sustinere, vice autem septima nubes imbrifera apparuit, quia servitus famis septennio cæteroqui duratura singulari Dei indulgentia, quarto vertente anno, solvebatur. Vocabulum hebraicum ים, quod mare vertit interpres, *Occasus* verti potuit.

v. 46. *Et manus Domini facta est super Eliam, accinctisque lumbis currebat ante Achab, donec veniret Jezrael.* Quantum-

[illegible]

tumvis licet magnam in hoc facto Eliæ constantiam mireris, mirare magis, quomodo post diem Jezabelis indignationem in tantum extimuerit, ut præcipiti fuga Arabiam peteret. Eam scilicet mentis altitudinem oppido mirabilem non a natura insitam habebat, sed, ut hic Scriptura notavit, ab infuso divinitus spiritu hauriebat, adeo ut perpetratæ cædis conscius, fusi sanguinis ultores non formidaret, nec ipsam etiam Jezabelem in urbe Jezrael, quo tendebat, commorantem, atque suorum Prophetarum injuriam, siqua illata fuisset, persequi paratam. Cæterum tantum honoris Achabo quantumvis immerenti, deferendum putavit Elias, ut ego interpretor, primum, quo Regem repentina, atque horribili aëris mutatione perterritum, metu utcumque sua præsentia relevaret. Valde siquidem verisimile est Achabum inhorruisse, obtenebrante Sole, ereptum subito diem, & in ea caligine micantes ignes, & obstrepentia circumquaque tonitrua & rixantes ventos, & ruentem imbrem densissimum. Talem enim oportebat faciem cœlum induere, quæ miraculi magnitudinem declararet. Secundum & præcipue, ut quoniam Achab videbat se tantopere a Prophetis, & Dei legatis honorari, ipse Deum revereri disceret, atque ejus legibus parere, & auscultare Prophetis ab eo missis. Age modo & juxta Eliæ humilitatem, & sapientiam positas considera Achabi arrogantiam & stultitiam imo stuporem. Stupidum enimvero, & omnis sensus expertem fuisse, oportuit, qui ventos, ignem & aquam, cœlumque ipsum Eliæ obsequentia viderat, audieratque populum universum ejusdem potestatem divinæ proximam prædicantem, ipse neutiquam agnosceret, nedum miraretur, aut aliqua honoris specie prosequeretur. Præterea summæ arrogantiæ fuit connivisse, ut tantæ dignitatis vir, pedes ipsum præcederet sublimi curru vectum; istud profecto nec honestum, neque decorum fuit. Quod si ex officii lege agere voluisset, Prophetam, è terra relevare debuit, & in proprium currum accipere, sed qui Benadadum hominem Deo inimicum pedibus incedere non sustinuit, Prophetam Dei sibi fecit præcursorem. Alius enimvero Re-

gi Jehu sensus fuit, qui Jonadabum filium Rechab virum quantumvis reverendum, Eliæ tamen neutiquam comparabilem, quum iter pedibus agentem offendisset, in currum suum continuo levavit.

4.Reg.10.15

A [illegible]

CAP. XIX.

v. 2.

Misitque Jezabel nuncium ad Eliam dicens: Hæc mihi faciant Dii, & hæc addant, nisi hac hora cras posuero animam tuam, sicut animam unius ex illis. Hæc nempe secum agitabat vesana & furiosa mulier, postquam edocta fuit a Rege, quid contra Baalis Prophetas Elias ausus esset: etsi, quam animo coquebat vindictam interim differret, dum omnis populus, qui ad Eliæ sacrificium frequens convenerat, ab ejusdem latere dilaberetur. Incesserat quippe metus feminam etiam furentem, ne a concitata plebe lapidibus obrueretur, si forte eo tempore deprehensa fuisset machinari necem Prophetæ multis, magnisque rebus spectatæ probitatis & sanctimoniæ, quemque præsentes modo viderant, nubes in ignem, mox etiam in pluviam solvisse, & utrinque de communi salute optime meritum sciebant & quod Baalitarum repressisset petulantiam, & quod famem penitus depulisset.

B [illegible]

C [illegible]

v. 3.

Timuit ergo Elias, & surgens abiit. Periculum Elias sapienter declinat, nec enim ex ratione fuisset vitam sine causa prodigere, quæ quidem in præsenti nulla erat, aderat autem cur servaret: ne videlicet si Propheta a Jezabele comprehensus fuisset Baalis antistites vulgo jactarent, eum Reginæ traditum ab illo Deo, cujus sacra irriserat, & jugulaverat Sacerdotes, quamquam non uno plectendus erat supplicio, qui quadringentos & quinquaginta Prophetas occiderat.

D [illegible]

E [illegible]

Quum-

[illegible]

[illegible]

A *Quumque venisset, & sederet subter unam Terebintum, petivit animæ suæ, ut moreretur.* Mortem optavit, non qualem Jezabel cogitabat, suis Prophetis argumentum daturam, quo Deum Israel a Baale victum fuisse contenderent, nec enim nisi invitus famulum sibi carissimum, in tanto discrimine deseruisset. v. 2.

B *Reversusque est Angelus Domini secundo, & tetigit eum, dixitque illi surge, & comede, grandis enim tibi restat via.* Elias, quum a via ad umbram Terebinthi se recepisset, obdormierat. Hunc labore, mœrore, somnoque oppressum semel, & iterum excitat Angelus & apposita mensa recreat, cibus subcinericius panis, potus aqua fuit. Et subdit, *grandis tibi* v. 5.

[illegible]

S. Jac. Doctoris in carmin. de fuga Eliæ.

Quod Dominus præcepit Eliæ, ut a conspectu Jezabelis fugeret, id porro statuit non unum intendens scopum. Inprimis cavebat, ne, quæ est hominis imbecillitas, illius menti officeret altitudo gloriæ, ad quam ipsum nuper extulerant evocatus cœlo ignis, & pluvia arvis restituta. Idcirco concessam hesterno die magnanimitatem, & constantiam ademit, qua Elias destitutus mirum non fuit, si ad Reginæ minas trepidaret, fugamque circumspiceret. Et quamvis Deo perinde pronum esset famulum suum ubique servare incolumem, fugam nihilominus vulgare remedium elegit: sic alias, quod a prohibita cœlo pluvia Regem infensum haberet, periculum simili ratione prævertere jusserat, & quærere in torrente perfugium. Sed & populo perinde cautum volebat, ne non correxisse errorem is videretur, sed commutasse, si quidem abdicato Baalis cultu, Eliam sibi faceret Deum. Vix enim hominem esse putaret, cui cœlum ad nutum parere conspexerat. Cogitur ergo Propheta fugere, quo ipse se hominem esse cogitaret, & populus intelligeret, Eliam Deum non esse. Quamquam hujus secessionis potissimam causam exitus ipse satis perspicue ostendit, quæ enim subsequuta sunt clare demonstrant, illud Deum in hoc facto apprime spectasse, ut Elias ab hominum turba, aspectuque remotus in monte Oreb aliam disceret agendi cum hominibus rationem, eam scilicet, quam Deus ipse in eo secessu docere volebat, tali quippe disciplina ille formandus fuit, quem Deus destinaverat suum ad homines legatum & interpretem, atque in præsenti Damascum ad Gentilium urbem allegare statuerat. Sic enim Paulum vas electionis ad conversionem gentium olim missurus, antea in cœlum rapuit, ubi rebus ab humanis abstractus divina disceret, quæ non licet homini loqui.

tibi restat via, q. d. Quod times malum non morte, ut ipse cogitas, sed fuga prævertendum est. Longa proinde tibi adhuc emetienda via est, nec talis, qualem in vicinum torrentem Carith iturus cepisti, sed in alienas terras transmigrandum est, ut tutus sis. Et quando modo licet, vires ab hoc prandio cape itineri tanto suffecturas. Nec enim sterilem, incultamque regionem ingredienti alius est sperandus commeatus. Allegoria. Subcinericius panis ab Angelo hic Eliæ appositus duo significat, primum Pœnitentiæ labores, quos apte designant cineres symbolum luctus, & contriti cordis, cineresque sordidus panis, & aqua tenujum & miserabilium hominum victus. At forte congruentius ad omnes generatim Justos ista referantur. Hunc scilicet vitæ cursum divina illis providentia communiter describit, primum tenui & aspero victu, & magnis laboribus eos exercet, donec ab omni terrenæ labis concretione purgatos ad montem perducat, qui est perfectæ, consummatæque virtutis apex.

v. 9 *Et ecce sermo Domini ad illum, dixitque ei: quid hic agis Elia?* Venerat Elias ad montem Oreb, ubi vacuam speluncam nactus ibidem noctem exegit. Postera die, quum vocem Domini adventantis audisset ad speluncæ ostium progressus Deo percontanti, quid istic ageret? respondit: zelo zelatus sum pro Domino Deo exercituum: idcirco cœlum continui ne plueret, mox terram, ne victum subministraret; quamquam & istuc leve puto longe graviora commeritis. Quid enim? num ferendum erat, quod populus ille tuus pacta tecum in hoc monte fœdera impune violaret? quod abjecta Majorum religione Baal Sidoniorum simulacrum, aliaque gentium figmenta tibi vero Deo anteferret? quod Jezabel Prophetas tuos passim occideret? si porro mihi adhuc vivere licet, id enim vero tua gratia factum est, qui in valle primum torrentis Carith, deinde in urbe Sarephtha me servasti, & modo in hoc monte tutum & incolumem præstas. Quamquam nec cessat adhuc Regina, sed paratis ubique insidiis meo imminet jugulo.

v. 11 *Et ecce Dominus transit, & Spiritus fortis, & grandis subvertens montes*

[illegible]

A *tes , & conterens petras ante Dominum , non in spiritu Dominus &c.* Turbini succedentibus deinceps terræ motibus , & fulgetris audit Elias , nec in istis esse Deum . Hujusmodi apparitionis scopus fuit , Eliæ zelum cæteroquin laudabilem intra officii fines cohibere , & proposito hieroglificis signis divini regiminis exemplo Prophetam docere severitatem misericordia esse mitigandam . Juxta arcanum sen- B sum , præeuntes Dei adventum ventorum turbines , terræ succussiones , & conglomerata ventis incendia signa judicium universale præcedentia adumbrabant . Præterea repræsentabant Eliæ dolenti , legem ab Israëlitis passim contemni , illum terribilem apparatum , quo cum in eodem monte illorum majoribus data fuerat.

C *Et post ignem sibilus locutionis tenuis* . Hoc symbolo Deus Eliæ immoderatum zelum perstringit . Q. d. Vides mihi non placere ventorum procellas , nec horribiles terræ succussiones , nec fulgetris & fulminibus me delectari : quin tu Domini tui mansuetudinem imitaris ? Et hunc , quo æstuas zelo tantisper remittis , ut popularium tuorum esse malis patronus , D quam accusator ? Allegoria . Sibilus lenis significat jucundæ & beatæ vitæ gaudium Justis post extremam , & horrendam generalis judicii actionem obventurum . Proprio & historico sensu symbolum illud Eliæ indicabat , post præsentem persecutionis procellam pacem & tranquillitatem mox sequuturam Achabo , & Jezabele de medio sublatis . (v. 12.)

E *Quod quum audisset Elias , operuit vultum suum pallio , & egressus stetit in ostio speluncæ , & ecce vox ad eum dicens : quid hic agis Elia ? & ille respondit : Zelo velatus sum pro Domino Deo exercituum , quia dereliquerunt pactum tuum filii Israel* . Stetit , inquit , in ostio , Deo adventanti appropinquare non ausus , operuitque vultum suum , Dei conspectu indi- F gnum se esse reputans . In eodem tamen proposito persistit , & quamvis expressam in signo divinam clementiam præ oculis haberet , & quod magis illum movere debuit , ipse præsens experiretur Dei loquentis miram affabilitatem : quem enim non raperet benignitas tantæ majestatis suavissi- (v. 13.)

me

me percontantis ? quid hic agis Elia ? Elias nihilominus se continere nequit, quin iterum in peccatores insurgat, rogatusque fugæ suæ causam, suos populares accuset.

Vade, *ait Dominus*, *& revertere per viam tuam per desertum in Damascum*, *& unge Hazael*, *ut regnet super Syriam*. Hanc scilicet rerum in melius conversionem, ut dixi, significabat lenis sibilus procellas, & ignem subsequutus. Mirifice congruunt, quæ sequuntur; Elias siquidem, qui modo Reginam fugiebat ad Reges creandos & instituendos Prophetas allegatur. Hazaelem quidem simplici sermone nulla adhibita cæremonia Syriæ Regem designat; inde digressus Jehu filium Namsi sacro oleo unctum Samariæ regno præficit, & Achabi, atque Jezabelis judicem creat, fusique Prophetarum sanguinis ultorem. Eliseum denique per impositionem pallii sui Prophetam instituit. Et quoniam ratum erat, quos Elias detulerat, sanctæ religionis desertores punire; Deus rem hunc in modum disposuit; ut Hazael quidem populum castigaret, Jehu vero Regem & Reginam, & Prophetas utriusque deceptores penitus perderet, & Eliseus siquid ab alterutro omissum in ea causa fuisset, ipse pro data sibi potestate suppleret. Et sane populus merito & jure plectendus fuit, quod ingentibus, manifestisque miraculis veritatem edoctus, errorem tamen adhuc retineret. Nec enim a Baalis cultu hactenus discesserat; istuc nempe indicant illa Dei ad Eliam verba: *Derelinquam mihi in Israel septem millia virorum*, *quorum genua non sunt curvata ante Baal*. Porro Achabi & Jezabelis scelera truculentissima & publica erant, ideoque severe vendicanda. Et quoniam Sacerdotibus Baal ab Elia interfectis novos Jezabel sacrificos subrogaverat, & istos simili supplicio plecti justum erat. Aderat tamen adhuc & alia causa, cur Eliseus ad eum, quem dixi, honoris gradum hoc tempore proveheretur, quo Eliæ decessus imminebat: tum, ut ejus absentiam in ea temporum acerbitate suppleret: tum, ut ejusdem in cœlum raptum, rem oppido inauditam, suo testimonio faceret credibilem, suaque auctoritate Baalitarum petulantiam compesceret, qui Eliæ acta laudare non poterant, & ejus-

[illegible]

[illegible]

A & ejusdem raptum confictam a suis discipulis fabulam credi volebant.

v. 18. *Et derelinquam mihi in Israel septem millia virorum, quorum genua non sunt curvata ante Baal.* Scilicet huc reciderat Israëlitarum status, olim Davide & Salomone regnantibus, ut imperio & opibus, ita rerum divinarum scientia & religione florentissimus: adeo certum est, ex octingentis B hominum millibus (totidem enim Jeroboam Rex paucis ante annis in acie habuit bellatores) septem solummodo millia in avita religione perseverasse. Quod tamen mireris, parvus iste piorum manipulus tanti fuit apud Deum, ut duas suis popularibus & Achabo licet immerentibus victorias admodum insignes promeruerint. Nam quum sub idem tempus Benadad Rex Syriæ C & alii triginta duo Reges Samariam obsiderent, erupere præsidiarii ex urbe septem mille, additi cujusdam Prophetæ consilio ducenti triginta duo pueri, qui agmen præirent, commissoque prælio ingentem illam armatorum multitudinem profligarunt. Quumque anno sequenti idem Benadad cum triginta duobus ducibus Israëlitarum fines iterum invasisset, iterum victus, D fugatusque fuit. Cæterum an hæc septem millia hominum, quorum virtute gemina isthæc victoria parta fuit, ipsa sint, quæ Dominus Eliæ laudat hoc loco, etsi quidam affirment, incertum est, esto idem sit numerus, & consonent tempus & locus.

v. 19. *Quumque venisset Elias ad eum posuit pallium suum super illum &c.* Elias E ejusmodi cæremonia Eliseum ex aratore in Prophetam transformat. Allegoria. Eliseus Eliæ pallio indutus Apostolos præsignabat, quibus Dominus in Evangelio. *Vos*, ait, *sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto.* (Luc. 24.49.) Eliæ ergo pallium discipulo traditum Spiritus Sancti charismata, Apostolis a Christo communicata significabat.

F

CAP. XX. v. 1.

Porro Benadad Rex Syriæ congregavit omnem exercitum suum, & triginta duos Reges secum & equos, & currus, & ascendens pugnabat contra Samariam, & obsidebat eam. Duo hic prælia Regis Israel cum Syris commissa Scriptura narrat, quæ nos supra tetigimus, & geminam Syrorum cladem,

[illegible]

dem, quarum poſtrema centum viginti ſeptem millia hominum abſumſit, Deo impiam Syrorum vocem ulciſcente, qui dixerant: quem Iſraëlitæ colebant, Deum montibus non ita vallibus imperare. Sic ſuperbus ille Benadad caſtigandus fuit, qui Samariam ſe funditus deleturum nuper minabatur, dirutæque urbis pulverem ſuis militibus diſpertiturum, quamquam, ajebat, non tantus hic erat, qui pugillis ſufficeret omnis populi, qui ipſum ſequebatur. Victus in poteſtatem hoſtium tandem venit, & vitam ac pacem petere coactus eſt: conceſſit Achabus, ſeu regalem fortunam etiam in hoſte reveritus, ſeu animo reputans rerum humanarum vices, & inconſtantiam. Hanc tamen Regis clementiam in hominem morte digniſſimum Deo diſplicuiſſe, mox Propheta Achabo renunciavit, aſſumta parabola propoſito ſic accomodata, ut Rex, quo ille verborum circuitus tenderet, ignarus ſuo ſe judicio condemnaret: factum huic admodum ſimile habemus in actis Nathanis Prophetæ cum Davide, & Domini cum Judæis, ubi audita vineæ parabola illi reſpondent: *Malos male perdet*, & cætera. Culpanda fuit in hoc facto Achabi indulgentia erga hominem notorie impium, & publicum divinæ majeſtatis contemtorem ex eo ferme capite, unde Saulis in Amalecitarum Regem clementia a Samuele merito reprehenſa fuit; præſertim, ſi ut quidam affirmant, idem Propheta, qui Dei nomine victoriam promiſerat, ſupplicium de Benadado ſumendum præſcripſit; alioquin nec Achabo, nec ejus ſubjectis pœna adeo gravis infligenda fuit, ſi Dei voluntatem penitus ignorabant; ſed utique omnino ignorare non poterant, quibus Propheta prædixerat, Syros ob violatam impio convicio Dei majeſtatem in ipſorum manus fore tradendos: ideo enim delictum diſtinxit, ut pœnam diſtingueret; blaſphemis porro ultimum ſupplicium lex decernit.

Matth. 21. 41

v. 39. *Servus tuus egreſſus eſt ad præliandum cominus &c.* Hic habes, quam ſupra indicavi parabolam. Hanc porro, ut ad ſcopum ſuæ legationis Propheta componeret, ſocio in ſermone Domini præcepit, ut vulnus infligeret, quo accepto conſperſus ſanguine,

[illegible]

A ne, ac pulvere Achabo se stitit, & quam commentus fuerat, historiam in hæc verba retexuit. Servus ego tuus, quum conserto prælio in acie starem, a quodam ex nostro exercitu Syrum quoddam mancipium custodire rogatus, consensi pacta conditione, ut si culpa mea servus aufugisset, ipse succederem, aut appenderem talentum, quod utinam habuissem, aut in præ-B senti haberem. Interea dum in pugnam incumbo, ac mente, oculis, manibus huc illuc volito, nec equidem ut spolia colligerem, sed ut boni militis officium implerem, utrumque vere dictum, testantur manus a manubiis vacuæ, & luculento vulnere saucium caput; Syrus ille, sibi commodam inde occasionem nactus elabi-C tur, quæsitusque diu, nusquam comparuit. Et nunc erue me, quæso Rex, de manu filii populi mei, qui amissum mancipium mea culpa conqueritur & instat, pactum esse servandum. *Et ait Rex Israel ad eum: hoc est judicium, quod ipse decrevisti.* Tum vero suam ille personam, quam hucusque dissimulaverat, protinus extulit, & ait, sententiam, quam in D me dixisti, sed iniquam, ipse a me audies, sed æquissimam. Nam ut adversario meo perierit servus, pro quo mihi pereundum judicasti, non periit tibi Benadad, quem non homo, sed Deus in manum tuam tradiderat, sed magnifice exceptus, incolumis dimissus est. Tibi ergo moriendum est, quia ille mortuus non est, paremque pœnam tui dabunt Is-E raelitæ, quicumque talia decernenti non restiterunt. Populus peribit pro populo, & pro Rege Rex, quia negligentia vestra illi non periere.

[illegible]

INgressa est autem ad eum Jezabel uxor sua, & dixit ei: quid est hoc, unde anima tua contristata est? & quare non comedis panem? Adeo F ægre ferebat Achab se ab homine privato fuisse rejectum: etsi, ut ipse rebatur, æquum peteret, tantum in hoc facto iniquus erga justum Naboth, quantum æquus videri voluerat erga Benadad hominem execrandum. Causa doloris erat, quod Naboth fundum hæreditarium alienare nolebat, ad legitimos hæredes nunquam rediturum, quod istud sibi lege

CAP. XXI. v. 5.

ge vetitum sciret, minus etiam Achabo vendere, quod existimaret, ab eodem in lucum idolorum fore convertendum, etsi hoc dissimularet, & domus suæ commodum, ornatumque prætenderet. Credibile namque est, Achabo & Jezabele regnantibus, illum morem jam invaluisse, quem Esaias sua ætate viguisse, docet, ut in hortis Israëlitæ idolis immolarent, & carnes suillas comederent.

Es. 65. 3.

v. 8.

Et misit Jezabel literas ad majores natu, & optimates, qui habitabant in civitate Naboth &c. Quum Achab præsentis tristitiæ causam a Jezabele rogatus, se in petitione vineæ repulsum quereretur, viri ignaviam risit femina audax, suggessitque consilium, quod homo cupidus statim arripuit. Conclusere ambo, scribendum ad optimates urbis Jezrael, ut Nabothem, affictis criminibus circumventum, ultimo afficerent supplicio, ejusque hæredes de medio tollerent, horum quippe gratia Naboth prædium distrahere, aut permutare recusabat. At enimvero quacumque ex causa ille vineam Regi negasset, non erat utique censendus æque reus, ac Syrus Benadad, qui ad eundem Achab scribens eo insolentiæ, & audaciæ provectus fuerat, ut diceret: *Uxores tuæ meæ sunt, & filii tui mei sunt.* Jam si Achab petulantiam sane non ferendam homini peregrino ignoverat, & insuper, eundem ad se venientem clementer & magnifice acceperat, utique intolerabile scelus fuit, justissimam civis sui repulsam, esto petenti molestam, extremo supplicio vindicasse, quapropter nec a Deo toleratum fuisse, docent quæ sequuntur.

v. 17.

Et dixit Dominus ad Eliam: Surge in occursum Achab &c. Quum Achab a Jezabele invitatus vineam adiret, cujus dominum lapidum procella sustulerat, improvisus occurrit Elias, facinus propalaturus, quod auctores occultum perpetuo mansurum speraverant, Regemque in faciem objurgat, quod Nabothi fundum, & vitam eripuisset. At dices, nonne Jezabel Nabothis procuraverat necem? Nonne Achab a Nabothe rejectus repulsam patienter tulerat, invitum cogere non ausus? Quod si modo illius prædium sibi vendicabat, id porro justum credidit,

quan-

[illegible]

A quandoquidem sublato cum hæredibus Nabothe, cuncta ejus bona jure communi devoluta censebantur ad fiscum. Atenim si Achab in hoc facto non peccavit, divini judicii æquitas insontem condemnare non potuit, quæ injuria oppressos relevare consuevit: Atqui acerbissime per Prophetam increpuit, nec uno supplicio afficiendum esse pronunciavit.

B *Dixitque Elias ad eum, in loco hoc, in quo linxerunt canes sanguinem Naboth, lambent quoque sanguinem tuum, & dabo domum tuam sicut domum Jeroboam........ Sed & de Jezabel loquutus est Dominus dicens, canes comedent Jezabel in agro Jezrael.* Hanc Elias tulit in præsenti causa sententiam, denuncians Regem, & Reginam rato tempore prædam canibus datum iri, C & Achabi progeniem funditus extirpandam. Achab, & quod jam didicerat Eliæ minas non esse futiles & vanas nænias, & quod abesset illa, quæ viro claudicationem afferre solebat, malefactum statim doluit, & damnavit. Al-

v. 19.

v. 23.

[illegible]

Allegoria. Quæ egit Naboth quæque passus est, plures continent sensus ex allegorica hujus historiæ significatione petendos. Inprimis, quo Naboth acceptam a majoribus hæreditatem Regi petenti negavit, Sanctorum prudentiam designat, quibus certum fixumque est, constanter retinere spiritualia bona a cœlesti Patre sibi tradita, nec ullo pacto cum hujus sæculi voluptatibus, aut lucris commutare, quum mori malint, quam proprium patrimonium, proposita quavis conditione, vel oblato quocumque pretio alienare. Quæ autem passus est, Tyrannorum in Martyres sævientium iniqua judicia adumbrabant, clarissime vero describunt exercitam a Ju-

A [illegible]

B [illegible]

[illegible]

S. Iac. Edess. in Schol. 59. in lib. 2. Regnorum.

Universam domum Naboth Achab diripuit, postquam illum, ac filios occidit [c] quæcumque ergo bona in agro Jezrael, & Samariæ possederat, occupavit. Quod ad hujus culpæ vindictam attinet, Achabi quidem cruorem in fundo, quem juxta portam Samariæ Naboth habuerat, canes lambuerunt, ibi enim locus est currus Achabi sanguine cruentus. Joram porro Achabi filius cecidit in altero fundo, quem idem Naboth in suburbanis Jezrael tenuerat, eo quippe in loco a Jehu interfectus fuit. Jezabelem pariter juxta muros ejus urbis canes lacerarunt. Quare Nabothis mors sanguine Achabi, & Jezabelis vindicata fuit, cædis autem filiorum pœnas Joramus Achabi filius dependit, utrumque ab Elia prædictum fuisse Scriptura tradit. Duas igitur prædictiones, seu duas unius prædictionis partes observa: prædixit Elias Achabi sanguinem lambendum a canibus in eo loco, in quo lambuerunt Nabothis cruorem, & hanc prædictionis partem Scriptura hic repræsentat, & infra docet impletam fuisse in eo loco, in quo lotus est Achabi currus, id porro factum est juxta piscinam Samariæ. Prædixit etiam Elias Deum redditurum Achabo commeritas ob factam Nabothi injuriam pœnas in agro Jezrael, & hanc prædictionis partem in sequenti libro refert Rex Jehu, eandemque impletam ait in persona Jorami filii Achabi, cujus cadaver idem Jehu jussit projici in agrum Naboth in suburbano urbis Jezrael. Hinc porro suboritur dubium circa priorem prædictionis partem. Si enim Achabi sanguinem linxere canes juxta piscinam Samariæ, sequitur id factum non in eo loco, in quo Naboth occubuit, hic enim juxta urbem Jezrael lapidibus obtritus jacuit. Hic itaque animadvertendum est: in posteriori prædictionis parte, quæ ad Jezabelem pertinet, & a Jehu etiam ad Joramum extenditur, designari locum peculiarem & certum, fundum scilicet Nabothis in agro Jezrael, non ita in priori: *In hoc loco*, ait Elias, quod quidem indefinitum est, nec sine causa variat a sequenti, ubi de Jezabele, vel Joramo sermo est, & hic necessario cum ea ampliatione exponendum, ut locus ille commode referri possit ad utramque urbem, Samariam videlicet, cujus in suburbio Achabi sanguinem linxere canes, & Jezrael cujus ante muros Naboth occubuit, quum utrumque indubitabile sit, & Nabothem apud Jezrael cecidisse, & Achabi sanguinem linxisse canes juxta Samariam, & nihilominus æque certum sit Achabi sanguinem in eo loco, in quo Naboth interfectus fuerat canes linxisse. Locus ergo ab Elia designatus in priore periocha vel est tractus ille terrarum medius inter Samariam & Jezrael, vel quilibet locus, similis tamen loco, qui Nabothis sanguine maduerat, non sublimis, non secretus, sed humilis & canibus obvius.

[illegible]

A Judæis in Christum crudelitatem, quam ipse etiam Dominus in parabola vineæ exposuit, ubi iniquos agricolas inducit, de interficiendo domini sui filio inter se hunc in modum deliberantes: *Hic est hæres, venite, & occidamus eum, & habebimus hæreditatem ejus*, Ubi rursus observa, Judæos eadem plane via Christi mortem procurasse, qua Jezraelitæ civis B sui Naboth supplicium. Christum namque accusarunt majestatis: *Audistis blasphemiam*, ajebat Caiphas in Concilio, & Sacerdotes, ac Scribæ Pilato, *prohibet dari tributa Cæsari*. Et Naboth quidem è civitate eductus fuit & occisus, Christus similiter *extra portam passus est*. Postremum si canes Achabi sanguinem linxerunt & Jezabelis carnes vorarunt, Christi interfe- C ctorum cadavera feris, & alitibus laceranda dederunt Judaicæ reipublicæ eversores Romani.

Mat.21.38.

Et factus est sermo Domini ad Eliam Thesbitem dicens, nonne vidisti confusum Achab coram me? Vera ergo fuit Regis pœnitentia, alioquin nec Dominus illam Eliæ laudasset, nec Achabo pœnam imminuisset, hanc porro mitigatam fuisse manifestum est; D neque enim Achabi cadaver a canibus, aut avibus voratum fuit. Quæ ergo Elias in sermone Domini loquutus fuerat, quædam exponenda sunt eo sensu, quem capiunt illa Dei ad Moysen verba: *Delebo eos*, etsi postmodum populus ad pœnitentiam conversus, ob Moysis intercessionem reipsa deletus non fuit. Tria hic sunt interim consideranda, primum Acha- E bi pœnitentis preces statim a Domino exauditas fuisse, adeo ut non modo culpam ignosceret, sed & hoc ipsum, quod ignovisset, per Prophetam significari curaverit. Mira hæc fuit erga delinquentem Dei misericordia pluribus aliunde exemplis perspecta, similem namque adhibuit erga Davidem, cui Propheta statim post delicti confessionem ajebat, *Do-* F *minus quoque transtulit peccatum tuum, non morieris*: & erga Manassen, quem etiam confestim è Babylonico carcere eduxit, & regno restituit. Secundum: brevis sane & parva Achabi pœnitentia fuerat, veniam nihilominus, quam petebat obtinuit, non ita Abrahamus hæredem, centum etiam an-

v.28.

2.Reg.12.13

annorum servitio, & iteratis per idem tempus precibus. Rursum: Achabo graviter peccanti parcitur, & Maria ob levem defectum lepra punitur. Peccatores scilicet suis sceleribus tabescere, non patitur Dei summa bonitas: Justorum autem negociatur profectum, quum orantes exaudire cunctatur, & peccantes festinat corrigere. Item orabat Abraham, nec impetrabat. Servos suos bonus Dominus opulentos non facit, ne ipsi superbi fiant. Tertium: Dominus Regem ab Elia condemnatum eatenus absolvit, ut pœnam filiis ejus luendam se reservasse significet: Volebat Achabum hominem suopte ingenio levissimum & maxime volubilem in suscepto proposito continere, simulque sollicitare cunctando, ad petendam hoc intervallo latæ in filios sententiæ relaxationem.

A B C [illegible]

CAP. XXII. v. 8.

Et ait Rex Achab ad Josaphath: remansit vir unus, quem possimus interrogare Dominum; sed ego odi eum, Micheas filius Jemala. Cui Josaphath ait, ne ita loquaris Rex. Josaphath de exitu belli anxius, quod inconsulto Domino susceperat, Micheam Prophetam consulendum ajebat; hunc quum Rex Israel sibi iniquum diceret, a Josaphatho his verbis redarguitur. *Ne loquaris ita Rex* Q. d. Immerito sanctum Prophetam accusas hominem de te, atque tuis optime meritum. Quid enim, nonne Micheæ consilio, & opera geminam de Syris victoriam dudum reportasti? atque exigua tuorum militum manu innumerabilem hostium multitudinem semel & iterum profligasti? Profecto si Micheæ consilium attendisses, &, quam ille in sermone Domini mandaverat, necem Benadado intulisses, præsenti nos utique cura, hoste jam debellato, liberasses.

v. 16. *Adjuro te, ut non loquaris mihi, nisi quod verum est in nomine Domini.* Hæc dicebat Achab, vel quod suspicaretur Prophetam ex suggestione Eunuchi, per quem illum accersiverat, sibi prospera annunciare: vel quod ex modo pronunciationis intellexisset Micheam non tam suam dicere sententiam voluisse, quam circumstantium Prophetarum dicta reponere; insistit, ut suum ipse sensum libere promat. Hæc tamen agebat Achab ad speciem dum-

D E F [illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A dumtaxat. Nec enim quid Micheas sentiret, aut a Domino doctus fuisset, magnopere curabat, neque ejus consilium sequi ipsi animus tunc erat, nec postea fuit. Sed Josaphatho gratificari volebat: id porro statim ostendit, quum Prophetam votis suis contraria denunciantem confestim in vincula compegit.

Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum ejus. Talia loquebatur, talis erat, spiritus nempe malus. Contra dicebant boni Angeli: itane hominem decipiemus? & hunc hominem, quem certum est, si quo cogitat, hinc gradum promoveat, in peccatis suis esse moriturum. Veritatem amamus & magnum gaudium nobis est super peccatore pœnitentiam agente, nec Angelorum est mentiri, aut homines perdere. (v. 22.)

Et dixit Dominus: decipies, & prævalebis. Q. d. Achabum superabis, & capies, modo pergas, qua versus ipse propendet, illum impellere. Ad bellum siquidem Regis animus inclinabat, ad bellum proinde malus spiritus accendit, proposita per Pseudo-prophetas certa victoriæ spe.

Egredere, & fac ita. Q. d. Egredere ad alliciendum & non ad subjiciendum, ad suadendum, & non ad expugnandum vi. Apparet ergo spiritum ejusmodi bonum Angelum non fuisse, sed illius comparem, qui in historia Job dicitur stetisse coram Domino inter filios Dei, & potestatem tentandi justum Job poposcisse. Dixerat Micheas; continuo rapitur in custodiam ab Amone Præfecto urbis, & Joa filio Melech: dilatum supplicium ad Regis reditum, interim ille famem solari jussus modico cibo, qui vix mortem arceret. Hanc scilicet rependit gratiam Rex ingratus homini, qui manifesto capitis sui periculo avertere conabatur a Rege quidem certum interitum, ab exercitu cladem, a Jezabele viduitatis mœrorem, & ab ejusdem Prophetis infamiam: nihil horum non accidit Achabo, ejusque familiaribus & subditis propter illorum impietatem & contumaciam.

Porro Rex Israel mutavit habitum suum, & ingressus est prælium. Achab minaci Micheæ vaticinio exterritus aciem ingressurus regia insignia exuit, ratus hoc artificio Prophetæ se minas elusurum. (v. 30.)

Vir autem quidam tetendit arcum in incertum sagittam dirigens, & casu percussit Regem inter juncturas loricæ. Accidit istud sagittario improvisum, tum quod nul- (v. 34.)

nullum certum scopum sibi destinaverat, sed telum projecerat in confertam hostium aciem, tum quod esto vidisset latum illud in Achabum, credidit innoxium, aerea quippe lorica protectum cernebat. At Deus sententiam exequuturus, quam ipse duobus Prophetis Eliæ & Micheæ dictaverat, telum in Achabum direxit, adegitque potenti manu, ut vulnus per se mortiferum brevi intervallo mors ipsa sequeretur.

v. 37. *Mortuus est autem Rex, & perlatus est in Samariam, sepelieruntque Regem in Samaria.* Viden', ut non omnia, quæ Elias Achabo comminatus fuerat, effectum habuerint, ob subsequentem nimirum ejus pœnitentiam; nec enim Achabi cadaver ab avibus, ferisve laceratum fuit; sed Samariam ad Regum domicilium fuit deportatum, ibique regia pompa elatum, funeratum fuit. Mortuus est Achab in eo prælio, quod ipsi funestum & exitiale futurum Micheas prædixerat, quamquam in acie non cecidit, sed inde subductus, ad aliquot horas supervixit, nec ante vesperam extinctus. Quare non male conjectant, ejusdem sanguinem ex recenti vulnere defluentem eo die, & sequenti nocte, nullo prohibente, canes linxisse. Etsi id factum apud piscinam Samariæ Scriptura prodat, utrumque enim accidere, non parum intererat ad pervulgandum propheticæ prædictionis exitum, ejusque fidem confirmandam. Mortuo Achab, Josaphat, quem eo bello implicuerat nova cum Achabo affinitas, in Judæam copiarum suarum reliquias reducere festinabat; quum obviam factus Jehu filius Hanani Propheta illum graviter reprehendit, quod impio Regi belli socium & asseclam se præbuisset; quin & a Michea de infelici exitu præmonitus, vanas Pseudo-prophetarum prædictiones divino oraculo prætulisset, illisque confisus descendisset in aciem; unde profecto neutiquam evasisset incolumis, nisi Deus ob præteritæ vitæ benefacta ipsum servasset. Vidimus supra, ubi hoc factum ex secundo Annalium retulimus, Josaphathum in hac parte frequenter deliquisse: nec tamen hæc Prophetæ reprehensio illum in officio continere potuit, quin rursus Joramo Achabi filio se belli socium adjungeret.

2. Par. 19. 2.

[illegible]

S. Jac. Doctoris in carmin. de morte Naboth.

Vidi Israel dispersum super verticem montis: gregi similis erat non habenti pastorem, qui congregaret eum: in grege populum, & Regem in pastore expressit: quo populo significaret, Rege illum mox orbandum: vidi Dominum gloria & magnificentia spectabilem sedentem in excelso solio suo: & stantia circum cælitum agmina: & quum sermo inductus fuisset inter Angelos de casu: & prospicerent omnes virtutes venturum malum; prosiluit spiritus, stetitque coram Domino & hæc loquutus est: ego Achabum meis pertraham blanditiis & inducam, ut ascendat, & occumbat: jam quod vidit Dominum sedentem, idcirco ostensum est: quod in eodem loco adessent Reges ambo verenda cum majestate assidentes: & pro consueto Regum satellitio inducuntur exercitus Domini latus utrumque stipantes: ne porro commoverent Prophetæ animum vestis varia & diademata magnificentiæ, & amplitudinis insignia: alligatur ad illam majestatem cunctis metuendam & supereminentem: & quod audiit multiplices interim seri de re præsenti sermones: quodque vidit spiritum coram Deo stetisse: hoc agebatur, ut illi certo constaret, Satanam se in Prophetas induisse: & quod dictum fuit, quisnam illiciet eum? Id vero dicendum fuit, quo Micheas sciret, Achabum a Deo propelli in urbe Ramoth casurum. Quod porro auditum fuit, blandiendo pertrahes, & prævalebis: hoc pariter dicendum fuit, quo Propheta intelligeret definitum esse Achabi casum: providentia gubernatrix rerum totius negocii imaginem elaboravit: depinxit personam, locum & causas: & ista, quo acta sunt, in modum spectanda dedit: quo Propheta intueretur, sensuque perciperet, quale esset Achabi regnum: utque cernens, & audiens, atque præsentiens, quid tandem illi esset eventurum: eundem objurgare jussus, neutiquam trepidaret: & quamquam bene multi victoriam augurabantur: ipse tute crederet spiritum mendacii illorum speciem induisse: quumque Prophetam ab ea expeditione retrahentem Achabus minime attenderet, eoque contemto se itineri committeret: Micheas intelligeret, a Deo illum incitari, nec posse ab incæpto desistere: *Considera*, ait, spiritus *opera Domini*, & obstupescito: *quisnam in officio*, & *ordine tenere queat*, *quem ille conturbat*, & *exagitat*?

Eccles. 7.14.

[illegible]

[illegible]

S. Iac. Edess. in Schol.

Hunc in modum Spiritus Sanctus factum Prophetæ disposuit, & rei gestæ historiam conscripsit : non quod factum secundum rerum naturam ita se habuerit : sed quod hac solummodo ratione, sermo divini judicii ordinem explicans ab imperitis & rudibus intelligi, & credi potuerit. Sensu itaque nostro loquitur divinus Spiritus, & nostris se accommodat moribus: & quoniam sæculi hujus principes contra validos hostes quidpiam deliberaturi, eum in modum de re proposita consultare solent, ut multorum sententiam rogent, & objecta, atque responsa singulorum audiant, Deus consilia sua symbolis ejusmodi adumbrata Prophetis servis suis explicare consuevit, literisque mandari jussit. Simili ergo sub specie exhibita sunt Micheæ, quæ Achabo eventura erant, atque eisdem symbolis conscripta sunt; quo tandem plane & perspicue intelligeretur, a Deo fuisse permissum, ut Achab spe victoriæ inescatus teneretur, & proficisceretur in Ramoth Galaad, ubi commisso prælio a Syris confossus occumberet. Quoniam vero Achabus mendacissimorum spirituum ductum, dum vixit, perpetuo fuerat sequutus, ideo illum Deus etiam in fine vitæ eisdem seducendum tradidit. Hoc nempe significat auctor Scripturæ divinus Spiritus his verbis. *Et egressus est spiritus mendax, & stetit coram Domino dicens : ego decipiam Achab, factus spiritus falsiloquus in ore omnium Prophetarum ejus*; efficiamque, ut eorundem divinationibus persuasus, ipse sibi mendax fiat.

A

[illegible]

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAEM SYRI

IN SECUNDUM LIBRUM REGNORUM, QUI ET QUARTUS REGUM.

B

EXPLANATIO.

CAP. I. v. 1.

Ceciditque Ochozias per cancellos cænaculi sui, quod habebat in Samaria &c. Ochozias Achabi filius, & in regno successor per cancellos loci superioris domus suæ lapsus, casuque graviter afflictus ad consulendum Deum Accaronitarum misit. Jezabel ejus C mater, ut ego conjicio, istuc suggesserat, quam credibile est, usque ad extremum vitæ in filios Ochoziam & Joramum eodem fastu, quo antea in maritum Achabum fuisse dominatam. Præsens sane Ochoziæ factum & reliqua ejusdem, fratrisque gesta, ac tristis utriusque exitus, & ad exitum usque in idololatria obduratio Jezabelis moribus, D & ingenio malo pravoque adamussim respondent. Ea de re ab Angelo monitus Elias nunciis occurrit, Regique brevem interitum renunciari jubet in sermone Domini, quod eodem contemto ad Deum Accaron confugisset, confidens ejusdem ope ea se ægritudine relevatum iri. At Rex nec mortis exterritus denunciatione, quod vanam crederet, nec atten- E dens Eliæ consilium, a quo monebatur, tollendam esse sincera pœnitentia causam, quam ipse huic infortunio præbuerat, misso cum milite pentacontarcho Prophetam comprehendi, ducique ad se jussit. Quumque cœlestis ignis satellites in ipso conatu absumsisset, Rex alios submisit, quos tamen simili exitu F ignis cœlo iterum emissus sustulit. Scilicet hoc divini judicii æquitas postulabat, ut qui flammas ad Eliæ preces spectaverant cœlo ruentes, nec tanto miraculo ad pœnitentiam conversi fuerant, pœnam darent absumti flammis cœlo iterum evocatis. Idem porro tertio quinquagenario evenisset, nam & tertius a Re-

Rege cum iisdem mandatis missus fuit, nisi ille sociorum infortunio cautior factus ad Eliæ pedes supplex accidisset, expositoque Regio mandato, summa cum animi demissione, ejusdem executionem Prophetæ arbitrio integram reliquisset.

v. 15. *Et loquutus est Angelus Domini ad Eliam dicens, descende cum eo, ne timeas.* Qui divini spiritus instinctu priores duos quinquagenarios excitis cœlo flammis combusserat, hujus religiosi ducis submissione flexus non modo illum, ejusque milites benigne excepit, sed ad Regem mox redituris comitem se viæ obtulit. Monuerat quippe Angelus nihil mali hoc tempore vel hic, vel in Regis aula timendum. Flexerant nempe Regis animum suorum nunciorum casus, ut mirum non fuerit, Eliam ab illo benevole susceptum fuisse etiam quum ipsi vitæ finem renunciaret, & ob violatam religionem, Deique majestatem contemtam palam & libere argueret. Ochoziæ paulo post sine liberis extincto successit in regnum frater Joramus non ex aliqua lege, sed ex inducta ab aliquot annis consuetudine, & communi vicinarum gentium jure: nam Judaici regni alia ratio fuit, in quo ex divina dispositione imperium Davidicæ stirpi addictum fuerat, adeo ut continuata successionis serie a parentibus in filios regalis dignitas traducta fuerit, vel ad illorum consanguineos, quod tamen semel dumtaxat accidit sub ipsum Babylonicæ servitutis tempus; quum, Jechonia Babylonem deportato, Sedecias ejus patruus coactus est ruentis reipublicæ administrationem suscipere.

CAP. II. v. 2. **D***ixit Elias ad Eliseum: sede hic; Dominus enim misit me usque Bethel.* Eadem tertio repetit Elias tria diversa loca designando Bethel, videlicet, Jerico, & Jordane, Elisei animum explorare volebat. Nec tamen mentiebatur affirmans se a Deo in ea lo-

[illegible]

A loca allegari, quandoquidem rebus humanis valedicturus sciebat illic sibi quædam ante abitum transigenda, quæ Elisæi præsentiam cæteroqui minime requirerent, sive quod futuri raptus præscius per ea tunc loca se transiturum prospiceret.

v. 5. *Accesserunt filii Prophetarum, qui erant in Jericho, & dixerunt ei: numquid nosti, quia Dominus hodie tollet* B *dominum tuum a capite tuo*. Ex divina revelatione hanc illos hausisse notitiam credendum est, nec istud ignorasse Eliseum docent, quæ filiis Prophetarum hoc loco respondit.

v. 8. *Tulitque Elias pallium suum, & involvit illud, & percussit aquas, quæ divisæ sunt in utramque partem, & transierunt ambo per siccum*. Idem fecit paulo post Eliseus, indita pallio C Eliæ virtute adhuc post ejus raptum permanente. Hic porro attente considera, & admirare Dei erga Prophetas suos magnificentiam, adeo ut universam rerum naturam ipsis, quin & ipsorum indumentis subjecerit, qua multo adhuc majorem ostendit erga sanctos Apostolos; quum ipsorum acta testentur, ægros passim sola Petri transeuntis umbra fuisse curatos.

D v. 9. *Quumque transissent Elias dixit ad Eliseum: postula, quod vis, ut faciam tibi antequam tollar a te*. Quum Elias præter habitum nihil possideret, spirituale aliquod donum designabat, nec vero Eliseum aliud petiturum cogitavit, minime autem quod reipsa postea petivit, magna siquidem ab illo postulari respondit Elias, & quæ ipsius conditionem longe superaE rent.

Et ait Eliseus: quæso, ut quod in spiritu tuo fuit, duplicetur super me. Idest, ut opera spiritus, quæ per te ipse fecisti, etiam duplo majora facias per me. Qui ait, rem magnam postulasti, tribulationem populo, verumtamen si videris me, quando tollar a te, dignus est populus ejusmodi tribulationem sustinere, tibique F quod postulasti dabitur. Quod si non videris, Dei gratia illam ab oculis ejus abscondit: tibique illud negabitur, & non dabitur.

v. 11. *Quumque pergerent, & incedentes simul sermocinarentur, ecce currus igneus, & equi ignei diviserunt utrumque*. Elias & Eliseus Jordanem transmiserant, eo quem

quem dixi mirabili trajectu, quumque per viam pater filio suprema mandata daret, talia autem fuisse credendum est, qualia Patriarchæ dare natis solebant, extemplo irruens cœlo flammarum turbo & in medio ignis species equorum & currus ambos invicem divisit, & alterum humi reliquit, alterum, Eliam, in sublime extulit: quonam verò transtulerit, aut ubi demiserit, Scriptura reticuit. Quod indubitale est, post aliquot ab hoc raptu annos Eliæ literæ ad Joramum Regem Juda allatæ fuerunt minarum, ac terroris plenæ; optimi namque parentis Josaphati exuerat pietatem & mores, & in idololatriam prolapsus fuerat, impellente Athalia uxore Jezabelis filia.

v. 12. *Eliseus autem videbat, & clamabat: Pater mi currus Israel; & equitatus ejus.* Significat, Elia decedente Israëlitis simul decedere concessum a Deo singulare præsidium, perinde ac si, eorum exercitus curribus & equitatu nudaretur, quum unius Eliæ intercessione & præsentia omnis populi Israel spes constaret, ut eo sublato, eadem simul extincta videretur.

v. 15. *Et venientes filii Prophetarum, qui erant in Jericho adoraverunt eum proni in terram.* Deduxerant Eliam, & Eliseum usque ad Jordanis ripas quinquaginta viri ex filiis Prophetarum: ipsos Eliseum post Eliæ raptum revertentem pronos adorasse Scriptura refert. Viderant nimirum fluvium ab illo discissum, indeque concluserant, magistri spiritum super discipulum requievisse. Et quoniam Eliam a spiritu raptum fuisse intellexerant, Eliseo insistebant, ut ad illum quærendum aliquos ex sociis destinaret: ne forte, ajebant, spiritus Domini projecerit eum in unum montium, aut in unam vallium. Hæc illi, quod meminissent alias Eliam in vallem torrentis Cison a divino Spiritu depositum, & postmodum in montem Oreb abductum. Contradixit primum Eliseus, quod nollet inutili labore suos fatigare, deinde assensus est, concessitque, ut de suo conventu quinquaginta viros ad eam curam designarent. Consulto id fecit, quo testes haberet idoneos, qui de raptu Eliæ, velut de re a multis perspecta & explorata probabile testimonium perhiberent: fa-

A B C D E F

[Syriac text illegible]

[Syriac text illegible]

A factum quippe in vulgus jam permanare cœperat, & quasi de re incredibili & fabula mera a discipulis conficta, occulti, ac publici sermones ferebantur.

v. 19. *Et dixerunt viri civitatis ad Eliseum: ecce habitatio civitatis hujus optima est, sicut dominus noster perspicit, sed aquæ pessimæ sunt, & terra sterilis.* Nostra urbs, ajebant Jerichuntini, situ quidem est commodo, B & ex omni aditu ad aspectum præclaro; sed fontes magis amari sunt, quam ut potari queant, & his subjectus suburbanus ager incultus & sterilis. Allegoria. Jericho est mundus, situs ubique optimus est, quia mundus & omnes ejus partes a divino Opifice initio pulcherrime constituta sunt. Aquam pessimam naturam humanam puta, talis porro effecta est, C postquam antiqui serpentis veneno infecta fuit, & diaboli afflatu omnis decor ejus defluxit, & sapor corruptus est: ea propter mundus quasi ager incultus, & sterilis mansisset, si aqua illa Domini Salvatoris nostri sale condita & sanata non fuisset. Rursus, quo Eliseus Jerichuntem sanatis fontibus ab antiquo anathemate absolvit, Christum perfe- D cte adumbravit, qui ut nos a veteri maledicto liberaret, in lavacrum divinæ regenerationis fontes mutavit. Ubi illud etiam attende: urbem a Josue, idest, Salvatore anathemati subjectam ab Eliseo, idest Deo salvante exemtam fuisse; idem enim est, qui mortificat, & vivificat, ducit ad inferos & reducit, pauperem facit, & ditat. Postremum: quemadmo- E dum Elisei benedictione revixit agri Jerichuntini fertilitas; sic Christi gratia humanæ naturæ reddita est fœcunditas, ut fieret mater viventium; verbum enim caro factum dedit nobis credentibus potestatem filios Dei fieri: idcirco Josue sine liberis moritur, quia ad Elisei benedictionem non pervenit.

v. 20. *Ait ille: afferte mihi lagenulam novam.* Superiori allegoriæ hæc op- F time congruunt. Lagenula videlicet nova Mariam Virginem designat, cujus intra intemerata viscera, nova & singulari conceptione formatus est Christus futurus corruptæ naturæ nostræ condimentum, & communis sterilitatis remedium.

Ascendit autem inde in Bethel, quumque

que ascenderet per viam , pueri egressi sunt de civitate , & illudebant ei dicentes : ascende calve . Eliseus compositis rebus discipulorum in urbe Jericho , ad alterum eorumdem conventum in urbe Bethel tendebat , quum ea , quæ hic de Bethelitarum pueris narrantur contigere . Ea porro in Prophetam Domini petulantia credo filios imbutos fuisse a parentibus idololatris , Eliæ , ejusque discipulis maxime infensis . Quin & oppido verisimile videtur , illos a suis majoribus submissos , regessisse quæ isti suggesserant : vehementer quippe Bethelitas pupugerant , quæ Eliæ discipuli cives sui de ejusdem in cœlum assumtione ex Elisei relatione vulgaverant . Quocirca existimo parvulos istos Eliseo præter calvitium alia quædam objecisse ad elevandam ejus auctoritatem , si , quod parentes suspicabantur , Eliseus ea , quæ narraverat Jerichuntinis , & plerisque persuaserat , eadem Bethelitis civibus suis vellet retexere . Eliseus porro , quem non tam parvulorum procacitas , quam parentum nequitia offenderat , horribili strage utrosque castigavit , illos ne adulti fierent pejores , istos ut correcti , mali esse desinerent . Hac scilicet cum severitate adversus Bethelitas agendum sibi putavit ille , qui paulo ante Jerichuntinis ob ipsorum fidem benedixerat & fontibus salubritatem , & agro fertilitatem refuderat , quippe qui , viso admirando Jordanis ad Elisei imperium recessu , dixerant : requievit spiritus Eliæ super Eliseum . Bethelithæ contra filiis Prophetarum civibus suis Eliæ raptum prædicantibus nullam habuere fidem .

Egressique sunt duo Ursi de saltu , & laceraverunt ex eis quadraginta duos pueros . Quum olim Dominus Eliam ad ungendum Eliseum mitteret dixerat , ejusdem opera se usurum ad vindicandam Israëlitarum perfidiam , sic , ut quicumque Regum Hazaelis & Jehu gladium effugissent , Elisei manu occumberent ; jam vides in præsenti facto primam divinæ sententiæ executionem . Allegoria . Ascendit Eliseus in Bethel , idest in domum Dei , & a puerili , ac petulanti turba illuditur : hic porro attende Domini verba : *Ecce , ait , ascendimus Jerosolymam , & filius hominis illudetur .* Qui-

[illegible]

A Quinam illusores ? illi , qui habitabant in Bethel , ideſt ſtabant in domo Domini in atriis domus Dei , Pontifices & Sacerdotes , Scribæ & Phariſæi . Pueri Prophetæ deformitatem rident , riſere etiam Judæi & Gentiles Dominum , tempore præſertim paſſionis & mortis ſuæ , deſpectum , & deformatum . Sic enim Propheta prædixerat : *Et aſcendet quaſi lactens coram eo , & ſicut radix de terra ſitienti : non eſt ei ſpecies , neque decor* . Jam irrogatam Judæis pro merito pœnam in reliquis recognoſce . Duo nimirum Urſi è ſaltu divinitus emiſſi Imperatores Romanorum Veſpeſianum , ac Titum deſignant , qui ex Boreali ſilva , ideſt ex urbe Roma a vindicatrice Dei juſtitia exciti , Judæorum gentem invaſere , & inaudita omnibus retro ſæculis cum immanitate lacerarunt , reliquias , quæ horrendo Jeroſolymorum excidio ſupéravere , extra Judæorum natale ſolum raptarunt , atque per univerſum orbem diſperſerunt .

Eſ. 53. 2.

B

C

[illegible]

D *PErrexerunt Rex Iſrael , & Rex Juda , & Rex Edom , & circuijerunt per viam ſeptem dierum , & non erat aqua exercitui* . Mortuo Achab , & decedente ſine liberis Ochozia , frater ejus Joram in regnum ſucceſſit , quem hic Scriptura refert adverſus Regem Moabitarum bellum moviſſe . Cauſa fuit , quod Meſa Moabitarum Rex Regum Iſrael tributarius annuum vectigal primum Ochoziæ , deinde Joramo negaverat , id erat agnorum pinguium centum mille , ac totidem arietum intonſorum . Vocabulum Nokdo , quod hic occurrit , Hebraicæ originis eſt , idem ac Dominus pecorum , ſenſus eſt Regem Moabitarum copioſiſſimos aluiſſe pecorum greges . Joram itaque , cui deliberatum erat neglecta a fratre jura tueri conjunctis armis cum Regibus Judæorum & Idumæorum ditiones Moabitarum invaſit . Sed quum exercitus per incultam , arentemque regionem ingreſſus ſiti laborare cœpiſſet , Duces Joſaphathi pii principis conſilio Eliſeum adierunt , utque laborantibus & afflictis ſuccurreret , rogarunt . Propheta Joramum quidem acerbe increpuit , & repulit , Joſaphathum vero laudavit & præ-

CAP. III. v. 9.

E

F

præsentis incommodi remedium sperare jussit, & insuper victoriam. Utrumque a Domino postera die se Josaphatho impetraturum spopondit, idemque beneficium sociis in ejus gratiam commune futurum significavit.

v. 15. *Nunc autem afferte mihi instrumentum musicum*; non quodcumque, sed habens harmoniam in chordis designat, seu ut ex Hebræo verti posset, cinnaram: Hoc providit Propheta, ut ad citharæ cantum fieret militum concursus, & plurimi undique convenirent testes futuri rerum, quas idem dicere parabat, aquarum videlicet affluxum & hostium cladem, & fugam. Suspicabatur nimirum ne postquam ea, quæ in præsenti pollicebatur, ad effectum perducta fuissent, idololatræ, quibus maxima pars exercitus constabat, Dei beneficium suis Diis adscriberent.

v. 16. *Et ait: hæc dicit Dominus: Fiet hic torrens fossæ, & fossæ... Factum est igitur mane, & repleta est terra aquis*. Fiet, inquit torrens, torrentis videlicet alveus foveæ & foveæ. Continuo fatiscens humus multiplices passim patefecit sinus ad concipiendas aquas postero mane affluxuras. Allegoria. Canit psaltes, & alveus torrentis oppletur aquis, hoc nimirum symbolo præsignanda fuit vox Christi in Cruce quasi in cithara psallentis. Clamavit enim Dominus semel & iterum in Cruce, & clamans voce magna emisit spiritum & continuo Centurio gentilis glorificavit Deum. Scilicet postquam Christus in Cruce nostræ salutis canticum novum absolvit, confestim ad gentilem populum ad instar vallis depressum & humilem fluxerunt fontes, & torrentes inundaverunt aquarum viventium, id enim ipse ante suam passionem prædixerat. *Qui credit in me*, sicut dicit Scriptura, *flumina de ventre ejus fluent aquarum viventium*, ut juxta Prophetæ vaticinium, idem, qui psallebat in cithara, psalleret in nationibus nomini Domini.

Jo: 7. 38. — Psal. 107. 4.

v. 25. *Et viderunt Moabitæ aquas, quod essent rubræ, & dixerunt: pugnaverunt Reges contra se, & cæsi sunt mutuo*. Interim dum Josaphathi, Regumque sociorum copiæ suppeditatis divinitus aquis a præteritæ sitis æstu pleno torrente se recreant: Moabitæ aquarum rubedinem contemplati, hæc inter se nugabantur. Moabitarum error inde oriebatur, quod aquæ ab adverso Sole colorem rubeum traxerant, & quamquam torrentem fluere videbant, aquam esse non credebant, quod certo scirent nec

[illegible]

A nec ea tempeſtate imbres cadere, nec ullos in ſiticuloſa, ac torrida regione fontes extare: inde concludebant, patrios Deos ſuſcepto communis patriæ patrocinio immiſſis furiis Reges cæteroqui religione diſcordes facile concitaſſe in mutuam cædem, cæſorumque cruorem eſſe, quo ſiccum antea torrentis alveum modo ſcatere cernebant.

v. 23. *Nunc perge ad prædam Moab, & perrexerunt ad caſtra Iſrael, &c.* Moabitæ ea, B quam ſibi finxerant, ſpe pleni ad hoſtium caſtra diripienda feſtinabant, quod milite vacua putarent. Cæterum ut compertum eſt adventare hoſtem, Joſaphath & fœderati Reges trepidi ad arma procurrunt: Moabitæ contra non expectata impreſſione terga protinus verterunt, ut qui non ad prælium, ſed ad prædam ſe venturos crediderant. Sic uno impetu diſſipato hoſtili exercitu, velut disjecto aggere, tor- C rentis in modum Iſraelitæ & Idumæi in Moabitarum ditionem ſeſe infuderunt. Succidunt arbores, id enim Eliſeus mandaverat, obturant fontes, oppida & ædificia demoliuntur, *donec relinquerentur lapides in muro ſubverſi, & circuierunt murum fundibularii, & ſubverterunt illum*, ideſt deſtruxerunt muros & ſubverſos lapides diſperſerunt.

v. 26. *Quod quum vidiſſet Rex Moab,* D *invaluiſſe ſcilicet contra ſe bellum . . . arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum.* Moabitarum Rex ſuis jam armis ac viribus diffiſus ab aliquo Deorum afflictæ, & pene deſperatæ rei publicæ remedium quærebat. Reſponſum a ſapientibus, hoc a Deo Iſraelitarum eſſe petendum extraordina- E rio aliquo ſacrificio, nec ſane alio quam illo, quod ex pervulgata apud Chananæos fama erat notiſſimum, quo videlicet Abraham Hebræorum pater illi tantopere placuerat. Quantum porro valeret Iſraelitarum Deus ex recenti facto eſſe arguendum, nec enim qui in Idumæa ſolitudine Hebræis aquam ſubminiſtraverat, alium aut diverſum eſſe ab illo, qui ipſorum F majoribus in Arabiæ deſerto fontem de petra elicuerat. Nec profecto alterum ſe noſſe Deum affirmabant, qui ſuis cultoribus talia ac tanta beneficia contulerit. Rex, qui aquarum recentiſſimum miraculum teſtis ipſe præſens inficiari non poterat, nec volebat in adverſis fortunis ſine ullo remedio permanere, ſtatuit inutilem ſimu-

A simulacrorum cultum abjicere, & ad eum unum confugere, qui se præsente nuper in squalentem incultamque ab ævo solitudinem novum superfuderat mare. Quo igitur hunc sibi propitium efficeret, suum primogenitum columen familiæ, & regni spem super obsessæ urbis muro immolavit, idcirco, quod vellet Hebræos spectare sacrificium ex Abrahami disciplina Abrahami Deo oblatum.

B v. 27. *Et invaluit ira magna contra Israël.* Significat versa postmodum vice Israëlitas variis calamitatibus afflictos fuisse, quas infra Scriptura distincte explicat, idcirco quod perspecta in Moabitico bello singulari Dei erga se providentia, visaque mirabili aquarum alluvione, & hostium fuga, nihilominus adhuc in eodem luto inhærescerent, & invectum a Jeroboamo vitulorum cultum retinerent. C

CAP. IV. v. 1. E*T mulier quædam ex uxoribus Prophetarum clamabat ad Eliseum, &c.* Conjugem hujus mulieris, tradunt fuisse Abdiam Achabi œconomum & occultum Eliæ discipulum, qui Prophetas centum Jezabelis furori subduxerat, suisque expensis aluerat, credibile namque est, eam ob causam multum æs alienum contraxisse, & morte præventum, illud uxori dissolvendum reliquisse, quod quum mulier præstare non posset, & nihilominus regii Quæstores, a quibus illa pecunia accepta fuerat pro debiti solutione insisterent, sibique filios in servos vendicarent, mater ad Eliseum confugit, tum quod hunc orphanorum patrem, & viduarum judicem crederet, tum quod confideret, ob parentis in ejus socios Prophetas merita, operam suam sublevandis ejusdem filiis minime negaturum. Cæterum regii Quæstores, qui Abdiæ pecuniam fœnori dederant, ex jure communi Hebræorum contra viduam egisse docet ille Christi parabolæ locus (Matth. 18.), in quo Rex suis Quæstoribus mandat, filios & uxorem venum dare pro debito parentis, & quidem adhuc superstitis, qui proinde processu temporis illud dissolvere potuisset.

D E F

v. 3. *Pete mutuo ab omnibus vicinis vasa vacua non pauca.* Hic alterum attexitur Elisei miraculum, quo prædictæ viduæ subventum est, exundante divini-

[illegible]

A vinitus oleo in eam copiam, ut dissoluto ære alieno multum adhuc superfuerit ad victum totius familiæ: Allegoria. Tria in hoc facto ponderanda occurrunt, primum, vidua vicinorum vasa oleo domi suæ divinitus scaturiente, implesse dicitur, quia Sancta Ecclesia sponso in cœlum abeunte quasi vidua, etsi non derelicta, B Gentilium corda exundante domi suæ per Spiritus Sancti illapsum oleo scientiæ salutis implevit, ea porro pinguedine repleti, labiis exultationis Deum, quem hactenus ignoraverant, laudare cœperunt. Secundum, quod vacua vasa petebat mater, & quæcumque filii offerebant sive parva, sive magna oleo implebat, significat mentes sanctorum curis secularibus vacuas unguento sanctæ unctionis & oleo lætitiæ C impleri, matre quæ est Dei gratia illud singulis subministrante sive magnis, sive parvis, *singulis enim dividit prout vult*, ait Apostolus, *ut in Christo omnes crescamus secundum donum ejus*. Ab hac porro gratia excluduntur ii, quorum corda gravantur crapula, ebrietate, & curis hujus vitæ: *Quique*, ut idem Paulus statim subjicit, *ambulant in vanitate sensus sui*, *tenebris obscuratum* D *habentes intellectum*, *qui semetipsos tradiderunt impudicitiæ in operationem immundite omnis*, *in avaritiam*, nec enim tale oleum desiderant, nec si desiderant, student vasa sibi vacua comparare. Tertium. Relictum in domo viduæ a demortuo conjuge oleum designat misercordiam, quam ille, quum viveret, Prophetis exhiberat. *Sociatur Domino*, ait Sa-E lomon, *qui miseretur pauperis*, *& vicissitudinem reddet ei*. Porro quemadmodum pecunia fœnori data plus augetur, quo serius redhibetur, ita huic viduæ factum videtur, ut dilatum fœnus, si quod forte maritus morte præventus non exegerat, ipsa ex Dei benignitate magnopere auctum, reciperet.

Ephes. 4. 16.

Prov. 19. 17

F *Facta est autem quædam dies*, *& transibat Eliseus per Sunam*, *&c.* Successerat Eliæ Eliseus in præfecturam Prophetarum, quare frequenter ad præcipua illorum Collegia posita in Bethel & Jericho, atque circa Jordanem ventitare tenebatur ex officio: Rector enim erat & visitator Prophetarum,

v. 8.

rum , quumque recto itinere deberet per Silum transire , commodum in eadem urbe invenerat diversorium in domo hujus Silumitidis , quæ , ut ex ejus actis colligitur , erat mulier admirabilis : eadem nempe postquam ex publica fama , atque proprio experimento comperit sui hospitis dignitatem , rogaverat conjugem , ut cænaculum necessaria supellectile instructum , sed a communi familiæ habitatione separatum Eliseo parari juberet ; nec enim decere , ajebat , virum sanctum communi diversorio excipere . Sanctum autem appellat propter cælibatum.

v. 16. *Et dixit Eliseus ad Silumiditem : vertente anno in tempore hoc amplexaberis filium* . Cupiebat Propheta pium hospitæ officium grato aliquo munere compensare , & quoniam affluentibus ex benedictione legis divitiis mulier hæredem desiderabat , eo quod prole careret , esto lex inter cæteras benedictiones fœcunditatem suis cultoribus promitteret, Eliseus Silumitidi hanc quoque benedictionem ipsi præ cæteris optatissimam non rogatus pollicetur .

v. 17. *Et concepit mulier , & peperit filium in tempore , & in hora , qua dixerat Eliseus* . At enim quum post annorum curriculum puerum mors immatura sustulisset , mater corpus exanime in domesticum Prophetæ cubiculum intulit , & in ejusdem lectulo deposuit. Simul ad illum propere profecta accidit ad pedes, & filio vitam restitui petiit . Expostulanti tamen propior , quam roganti . Numquid , ait petivi filium a Domino meo ? Numquid non dixi tibi ne illudas ancillam tuam ? verbis nimirum accusabat, quia manibus orabat , complexata namque Prophetæ pedes , tergiversantem urgebat , obtestata Deum , se illum eo usque pressuram mordicus , dum raptum sibi natum restitueret . Quamobrem Eliseus mulieris eventum & dolorem miseratus , confestim baculum quem gestare solebat, tradit discipulo & mandat , ut ad Silumitidis domum profectus , hunc puero superponat , & si quod inde sequeretur , effectum statim renunciet . Volebat ut pueri suscitatio baculo magistri , & discipuli manu perficeretur , si quidem huic operi operantis merita suffecissent , sin contra res minime succederet , discipulus ipse se nosset & condemnaret, quod propria ignavia Moysis arma dedecorasset.

Et

[illegible]

[illegible]

A *Et ait Silumitis , vivit Dominus , quia non dimittam te &c.* Interea dum Eliseum , qui misso famulo , domi substiterat , mater premit & urget , ut ipse sibi eam curam susciperet , quumque ille arbitratus aliquid concedendum mulieris dolori , eandem ad sua revertentem sequeretur , & Silum tenderet ; Gezi Prophetæ discipulus Silumitidis ædes ingressus magistri baculum , ut jussus fuerat , applicuit , nec ideo vitam reddidit . Scilicet baculi applicationem pueri resurrectio sequuta non est , quia nec Gezi , homo pecuniæ cupidus , talis erat , ut tantum miraculum ejus opera perfectum , diceretur : sed nec ipse Eliseus puerum suscitavit sola baculi applicatione , suscitavit tandem , quando alias cæremonias adjunxit , quibus divinam Christi in homine suscitando dispensationem perfecte adumbravit . Et virgam quidem manifestum est , Crucis Christi fuisse umbram , at nec per legem , quæ fuit umbra futurorum , Mundus salvus factus est , neque per solam baculi applicationem puer revixit . Quare vitam mortuo redditurus Propheta suam quodammodo dignitatem imminuere compulsus est , staturam contrahere & membra membris componere ; inde per exangue corpus calor cœpit infundi & fluere . Sic Incarnatio Unigeniti , nostræque salutis primordia delineabantur : quoniam oportuit , Dei filium paulominus ab Angelis minui , ut corporeo utero caperetur , utque carnem vivificaret spiritu , carnem suscipere . Quo autem Propheta ultro citroque per ædes demortui pueri deambulavit , Christi in hoc mundo introitus & exitus , & cum hominibus conversatio præfigurabatur . Postremum Propheta iterum super puerum incubuit , & corpus corpori commisit , quo facto mortuus revixit . Hanc enimvero figuram Dominus perfecte , absoluteque complevit , quum Cruci sua membra vivus composuit , & mortuus mortuo Adæ corpus suum admensus est in sepulcro . Sic tandem *Deus , quum essemus mortui peccatis , convivificavit nos in Christo , & conresuscitavit , & consedere fecit in cœlestibus in Christo Jesu* : ut ait divinus Paulus .

v. 30.

Ephes. 2. 5.

Et oscitavit puer septies , & aperuit oculos . Hoc numero , credidere nonnulli ,

v. 35.

totidem annorum millia indicari, quibus exactis decretus Mortuis resurrectionis dies succedet, septenis proinde annorum millibus mundi ætatem esse definitam. Hebdomas quippe, dicunt, temporis mensura est.

v. 38. *Dixitque Eliseus discipulo suo, pone ollam grandem, & coque pulmentum filiis Prophetarum:* Proponuntur hoc loco duo miracula Elisei, primum, quo rogatus a filiis Prophetarum mortem, quam in olla condi dicebant, sustulit. Alterum, quum centum Prophetas paucis panibus exaturavit, utrobique illum adumbrabat, qui geminato miraculo modo quatuor hominum millia, modo quinque multiplicato hordeaceo pane satiavit.

v. 39. *Et egressus est unus in agrum, ut colligeret herbas agrestes, & invenit vitem in agro, & collegit ex ea fructus rotundos plena veste.* Prophetarum iste promus, qui ingruente gravi fame per campos vagari compulsus est, & herbas agrestes colligere, quum nota olera non occurrerent, ignota & esui incepta decerpsit. Grossos, seu fructus rotundos Scriptura appellat, quos alii putant esse Colocyntides. alii Aloes fructus esse existimant, quos ova amaritudinis dicimus, ex quorum succo pharmaca cathartica, purgandæ alvo aptissima conficiuntur. Alii ajunt esse, quos rusticorum vulgus cucumeres asininos vocat, quorum sane gustus amarus est, & plantæ propius ad similitudinem vitis accedunt: vitem quippe Scriptura apppellat, quam ille promus invasit, & populatus est.

v. 41. *Afferte, inquit, farinam.* Quæ ollæ infusa omnem pulmenti mordacitatem & acrimoniam sustulit, hunc effectum divina operante virtute, quem certe a farina sperare nemo potuit, quemadmodum nec vidua Sarephthana, nec Silumitis illa femina ab incubatione vivi corporis mortui suscitationem, aut Naaman Syrus ab aqua sanitatem. Allegoria. Eliseus pulmenti naturam farina correxit, & indito sapore novo imbuit. Sic nimirum proposita nobis ad imitandum Christi exempla, traditæque ad bene, sanctèque vivendum cohortationes & pacta insuper pie viventibus ingentia præmia, dolores hujus temporis, ac tristitiam mira nobis jucunditate condiunt. Hos porro fructus collegit

[illegible]

A git ex delicto suo nostri generis Auctor Adam, nobisque coxit, & gustandos porrexit, quum ab Opifice suo illa audiit: *Maledicta terra in opere tuo, spinas, & tribulos germinabit tibi. Pulvis es, & in pulverem reverteris.*

[illegible]

CAP. V. v. 1.

B *Naaman princeps militiæ Regis Syriæ erat vir magnus coram domino suo, & gloriosus in conspectu ejus, per eum enim dedit Dominus salutem Syriæ.* Hinc quidam conjectant, hunc fuisse militem, qui Regem Achab in ultimo prælio misso in incertum telo confodit. Hac proinde gratia a Deo fuisse pro merito muneratum dicunt, quod Prophetarum persecutorem sustulisset, eodemque interfecto, Jezabelis accidisset vires, & furorem repressisset: inde factum, ut Eliæ discipuli, quos Achabi & Jezabelis metus in sylvas & spelæa abegerat, respirarent & ad sua collegia, quæ infra indicantur, redirent. Sed valde incerta sunt ista præter unum hoc postremum, quod indubitabile faciunt illa Abdiæ ad Eliam verba. *Numquid non indicatum est tibi Domino meo, quum Jezabel interficeret Prophetas Domini, quod absconderim de Prophetis Domini centum viros quinquagenos, & quinquagenos in speluncis.*

v. 10. *Misitque ad eum Eliseus nuncium dicens, vade, & lavare septies in Jordane, & recipiet sanitatem caro tua, & mundaberis.* Naaman lepra laborabat, quumque comperisset esse in Jorami ditione Prophetam, a quo illo morbo liberari posset, eo profectus est: & ad Elisei domum accessit, a quo didicerat sibi petendam esse sanitatem. Sed nec ad conspectum nedum ad colloquium ab illo admissus fuit: tantummodo per nuncium audiit, ut si vellet ex ea infirmitate convalescere, septies in Jordane flumine corpus ablueret. Statim hic occurrit quæstio, cur Naaman congressu, domoque Prophetæ interdictus fuerit? Primum, quia Benadado operam suam in castris navaverat: nec Prophetæ ignotum erat, quantum sanguinis Israelitici fudisset ille Syriæ Rex, quantum proinde Naaman ejus ar-

archistrategus Israëlitas incursionibus, & cædibus vexasset. Secundum Naaman lepra laborabat: noverat Eliseus sibi, suisque interdictum leprosorum contubernio & consuetudine.

v. 11. *Iratus Naaman recedebat &c.* Quia nimirum alia ipse meditabatur, & expectabat, putabat nempe totum hoc negocium simplici manus impositione fore transigendum. At, ajebat, cur non prodiit obviam venienti? Cur colloquium petenti negavit? Cur illo, quo solet medicamento facili, atque obvio morbum non depulit? Nunc vero ad fluvium ire jubet, quasi vero Jordanis aquæ me sanum facere possint, aut idem minus præstare potuerint patria flumina Pharphar, & Amana. Talia cogitasse & dixisse mirum non fuit hominem, qui ab extima rerum specie Prophetæ dicta pensabat, & interpretabatur: nec enim militi rerum divinarum penitus ignaro occurrere poterat mysterium, quod inusitata illa medicina occultabatur. Naaman scilicet ad fluenta Jordanis mittebatur, velut ad commune generis humani remedium: peccatum quippe lepra animæ est, menti proinde non ita sensibus aspectabilis; ab hac lue natura humana per Christi baptismum liberanda erat: debuit itaque Naaman, quo utraque lepra corporis & animæ mundaretur futuram emundationem omnium gentium per lavacrum regenerationis in ipso utique Jordane instituendum adumbrare. Jordanis quippe aqua mater & principium baptismi designabatur.

v. 15. *Obsecro, ut accipias benedictionem a servo tuo. At ille respondens ait: Vivit Dominus; in cujus conspectu sto, quia non accipiam.* Postquam Naaman Prophetæ dictis obsequutus septies in Jordane lavit, & emundatus fuit, tum vero suum errorem agnovit, miratusque se repente curatum, beneficii auctorem Deum laudavit palam, testatusque est eam aquis virtutem singulari erga se beneficentia inditam fuisse, nec morbi depulsionem profluenti, sed Eliseo jubenti esse adscribendam, quamobrem ipsi attulit munera regiæ magnificentiæ digna, quæ tamen ut admitteret, nulla offerentis argumenta persuadere potuerunt. Id porro pulchre & perspicue Es. 52. 3. præsignabat curationem gentium per san-

A B C D E F [illegible]

[illegible]

A sanctos Apostolos sine pretio fore transfigendam, hoc nempe illis prædixerat Esaias: *Gratis venundati estis, & sine argento redimemini*. Cæterum, quum quilibet morbus quoddam sit servitutis genus, congruenter Naamano sanitas in septimum diem promittitur, quia etiam lex, servum Hebræum in annum septimum manumissionem sperare, jubet.

Es. 52. 3.

B *Dixitque Naaman, concede mihi servo tuo, ut tollam onus duorum Burdonum de terra*. Naaman peregrinus duo pondera terræ Hebræorum Majoribus promissæ depostulavit, ad eorundem, arbitror, confusionem, quo videlicet ipsos aliquando puderet negare Deum in Prophetis inhabitare, quando homo barbarus, vel ipsam C Israëlitarum humum Deo plenam esse non dubitabat.

v. 17.

Et sequutus est Gezi post tergum Naaman; & petiit talentum argenti, & duas mutatorias vestes. Homo profundæ avaritiæ, occultam despexerat, aspexit tandem, ore prodente, quod occultabat animus.

v. 21.

Et egressus est a conspectu ejus leprosus, quasi nix. Gezi a Naamanis D congressu reversus Eliseo se præsentat, rogaturque, ut sit, edicere absentiæ causam. Unde venis Gezi? interrogat Propheta. Hoc agebat Eliseus, ut si famulus malefactum damnaret, & culpam fateretur, pœnam etiam evaderet, sin contra negaret, ex jure & justo factum constaret, ut qui Naamanis pecuniam acceperat E clam, ejusdem sibi lepram haberet palam.

v. 27.

CAP. VI. v. 1.

DIxerunt autem filii Prophetarum ad Eliseum. Locus, in quo habitamus coram te angustus est nobis. Allegoria. Figuram hic attende Apo-

[illegible]

[illegible]

Severi Antioch.

Planum est Naamanem ab Eliseo istuc poposcisse, quo monumentum quoddam haberet, & benedictionem sanctæ illius terræ, in qua sanus factus fuerat. Idemque hodie quoque cum fide factitant credentes, adeo ut pulverem è sanctis locis, & venerabilibus Ecclesiis, atque Martyrum ædibus, quasi ad præsidium & benedictionem, domum asportent.

stolorum, quibus templum legalium hostiarum angustum visum fuit, & Judæorum synagogam amplitudinem Evangelii capere non posse, quocirca sanctam Ecclesiam construere cogitarunt, *& filios Dei, qui erant dispersi congregare in unum* : id enim in sermone Domini edixerat Esaias : *Parum est, ut sis mihi servus ad suscitandas tribus Jacob, & germen Israel convertendum : Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus mea usque ad extremum terræ.*

Jo. 11. 52.

Es. 49. 6.

v. 5.

Accidit autem, ut quum unus materiam succidisset, caderet ferrum securis in aquam. Allegoria Adami casum designat. Peccati quippe typus aqua est, eadem pœna fuit in Noëtico diluvio, postmodum in Christi baptismo remedium : lignum itaque in aquam demissum Christus fuit, quando cum peccatoribus baptizatus fuit a Joanne, & cum illis conversatus est, & manducavit, & in passione cum sceleratis reputatus est. Demerso ligno, emersit ferrum, quia Emmanuel mortuus & sepultus descendit in inferiores partes terræ, & inde ascendens hominem secum eduxit, & elevavit.

v. 18.

Porro Eliseus oravit ad Dominum dicens : percute, obsecro, gentem hanc cæcitate, percussitque eos Dominus, ne viderent juxta verbum Elisei. Miserat Rex Syriæ Benadad milites, qui Eliseum in urbe Dothain per id tempus diversantem obsiderent, captumque ad se adducerent. Quumque Elisei famulus eam hostium multitudinem contemplatus exhorruisset, Eliseus ostenso Angelorum exercitu, quem Deus Syrorum copiis objecerat, discipulum metu liberavit. Mox cæcitate divinitus percussi Syri, ignari quo pergerent, Eliseum ducem optarunt, a quo Samariam ducti & intra muros conclusi, postquam decussa cæcitate, periculum, in quod ipsi se conjecerant agnoverunt ; ab Eliseo, & Joramo Rege benevole excepti, ciboque refecti, liberi in patriam remittuntur. Allegoria. *Incrassatum est cor populi hujus*, dixerat Deus ad Esaiam : *Et aggravavit aures suas, oblinivit oculos suos.* Cæcatus Judæorum populus justo Dei judicio, propria tamen voluntate, quæsivit, Salvatorem mundi occidere, ejusque memo-

Es. 6. 9.

A B C D E F

[illegible]

[illegible]

A moriam penitus extinguere. Rependit Christus gratiam pro injuria, & persequutores suos cæcitate liberavit, cibo etiam cœlesti refecit. Inde per universum orbem divisos fecit mirabilium suorum præcones. Tales utique fuere, qui è Calvariæ monte revertebantur percutientes pectora sua, & qui compuncti corde dicebant ad Petrum & reliquos Apostolos: *Quid fa-*

B *ciemus fratres?* (Act. 2. 37.) Et Apostolus Paulus, cui Dominus visum ademit, adeo ut apertis oculis nihil videret, atque postmodum restituit, jussitque portare nomen suum coram gentibus & Regibus, & filiis Israel.

Factum est post hæc, & congregavit Benadad Rex Syriæ universum exercitum suum, & ascendit, & obsidebat Samariam, & oppugnabat eam. (v. 24.)

C Idem, quem Dei sententia condemnatum Achabus occidere tenebatur, liberum tamen dimiserat. Quumque obsidio protraheretur, & cuncta circum loca insiderent hostes, tanta paulatim inopia premi cœpti cives, ut absumpto omni commeatu, rabidi super cadavera incumberent. Narrat hic Scriptura, inventas fuisse

D matres, quæ in famis remedium mutuam filiorum cædem inter se paciscerentur, quod quum altera exequuta fuisset, altera pactum rescindendum, diceret, lis ad forum deducta fuit Rege judice. Joramus hic erat Achabi filius, qui ut in eas se redactum augustias sensit, vehementer excanduit in authorem, quem rebatur esse Eliseum: quod, quum inedia peri-

E clitantibus nuper Syris latronibus lauto prandio succurrisset, & discipulis suis annonam nunquam deesse pateretur, modo cives suos fame torreri, absumique, deses & otiosus negligeret. Quare Deum obtestatus minatur, eam se negligentiam Elisei sanguine eodem die vindicaturum. Sed enimvero Joramus non Prophetas incusare debuit, imo Prophetarum con-

F temtorem parentem suum Achabum, qui si illorum paruisset dicto, & Benadadum sustulisset, is profecto Samariam nunquam obsedisset, nec Regem in eas conjecisset angustias. Allegoria. Atrox & dira fames, quæ diu Samaritanos torsit, & insolitos cibos admittere coëgit, ostendit panis cœlestis inopiam, qua omnes per idem

idem tempus gentes laborabant. Samaria ergo totius generis humani personam, statumque repræsentabat. Porro Elisei opera calamitas illa demum depulsa est, quia *infirmi accincti sunt robore, & repleti prius, pro panibus se locaverunt*, id est gentibus Apostolorum prædicatione salutis scientia communicata est, & exundavit, ut Esaias prædixerat, quasi aquæ mare operientes. Sic enim ratum erat ante Deum, ut *famelicus messem stulti comederet, & absumerent sitientes divitias ejus*. Nam sicut Samaritani convectam in Syrorum castra annonam sibi diripuerunt, & in subsidium urbis suæ secum asportarunr, sic Ecclesia gentium divinos codices in Hebræorum synagoga repertos sustulit, & ad suæ sobolis utilitatem & eruditionem usurpavit.

1. Reg. 2. 5. — Job. 5. 5.

v. 25. *Donec venundaretur caput asini octoginta argenteis*. Caput asini, quod tam caro pretio distractum hic dicitur, disciplinam designat ex nugis Philosophorum, & Mundi Sapientum opinionibus haustam: hæc porro in magno pretio habita fuit, donec fames duravit, & parvulis petentibus panem, non fuit, qui frangeret eis, idest usque ad Christi nostri Salvatoris adventum.

Et quarta pars stercoris columbarum quinque argenteis. Tametsi hoc symbolum a mysterio aliquatenus dissonet, quia tamen columbis Justi in Scriptura comparantur, columbarum stercora interpretamur datæ a Moyse legis doctrinam, quæ si cum præceptis Christi componatur, lutum dicetur, pretiosum tamen, illo enim liniendi erant oculi cæcorum Judæorum Christi postmodum baptismo & prædicatione aperiendi.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

CAP. VII. v. 1.

E*cce videbis oculis tuis, & inde non comedes*. Quum Eliseus prædixisset, Samariam postera die fame & obsidione liberandam, prædictionem risit quidam vir nobilis ex Jorami familia, cui Eliseus comminatur, quæ hoc loco Scriptura retulit. Hunc porro Regis familiarem tradunt eundem esse, quem supra Scriptura narravit, ab eodem nuncium allegatum fuisse, imo satellitum ducem, ut Prophetam caperet, aut interficeret: quamquam è ve-

F [illegible]

[illegible]

A è vestigio Rex ipse suos apparitores subsequutus executionem impedivit. Infelix ergo iste nobilis prænunciatam quidem ab Eliseo urbis liberationem vidit, & rerum ad victum necessariarum magnam abundantiam, nullum tamen fructum inde consequutus est, eadem die a multitudine ad prædam discurrente oppressus & extinctus. Sic miser proprio infortunio Judæorum casum B expressit, quibus licuit panem vitæ, qui de cœlo ad eos descenderat, spectare, ea tamen esca vivificante frui illorum plerique non meruerunt: quum interim eadem per Salvatoris nostri gratiam omnibus eam accipere volentibus copiosissime afflueret.

Quatuor ergo viri leprosi erant extra murum urbis &c. (v. 3.) Postquam Dominus C immisso pavore Syros a mænibus Samariæ fugavit, quatuor viri leprosi, qui extra urbem vagabantur, hostium fugam per portarios urbis ad Regem detulerunt. Quumque missi exploratores leprosorum nuncium confirmassent egressus est populus ad prædam, ea, ut fit, multitudine, atque impetu, ut quum se invicem comprimerent, etiam oppresserint Jo- D rami familiarem, qui, ut dictum est, Eliseum hanc ipsam mutationem rerum prædicentem irriserat, exitum sortitus, quem Propheta ipsi eodem tempore denunciaverat. Sic enim fieri consentaneum fuit, ut patefacto, pervulgatoque hujus posterioris vaticinii eventu, jam populus dubitare non posset, præsentis beneficii auctorem esse Deum, qui per E eundem Prophetam utrumque significaverat & ducis mortem, & urbis liberationem. Allegoria. Quatuor isti leprosi tametsi fœdam per se præferant speciem, si tamen ea parte spectentur, qua fausta nunciarunt, sanctos quatuor Evangelistas nobis pulchre repræsentant, cogitantibus per istos innotuisse universo orbi Christi Salvatoris nostri gratiam, & per Christum F Mundo assertam libertatem. Quid? quod leprosi, qui corpus turpi lue affectum habebant, animum pulchris moribus præditum habere potuerunt, & quidem, qua deformatam a lepra cutem ostendunt, priorem Apostolorum statum significant, qua vero animum virtutibus ornatum, posteriorem describunt conversionem, quando per Spiritus

ritus Sancti illapsum renovati secundum interiorem hominem stolam cœlesti luce nitentem induerunt, & ad annuncianda opera Dei missi sunt.

CAP. VIII. v. 1.

Eliseus autem loquutus est ad mulierem, cujus vivere fecerat filium: surge vade tu, & domus tua. Sulamitis Elisei hospita hæc mulier fuit, ejusque rerum satagebat Propheta accepti beneficii memor; filiique ipsius, cui vitam reddiderat, curam gerebat. Septennalem hic prædicit famem, & hanc ob causam, ut in alias terras migret hortatur. Palæstinorum illa regionem delegit, quod foret sibi magis propinqua, quodve frumenti ferax, & ex maritima negociatione dives. Mari siquidem Palæstinorum regio tota alluitur, habebatque eo tempore portus celeberrimos & navium plenissimos, ut passim ex Scriptura colligitur: ea propter olim ob similem causam simile perfugium quæsivere Abraham & Isaac Patriarchæ. Allegoria. Palæstina Justorum a Domino peregrinantium hospitium Mundus est, eadem populi Dei hostis sæpe Dei cultores Israëlitas vexavit acerbissime: a Davide postmodum subacta arma quidem deposuit, sed, ut data occasione, resumeret. Simili Mundus odio Sanctos persequitur, ac perpetuo exagitat, & quamquam a Christo victus est, & princeps ejus Diabolus foras ejectus, nec ideo Christi servos ambo oppugnare desinunt, & incautos, ac ignavos opprimere.

v. 7. *Venit quoque Eliseus in Damascum, & Benadad Rex Syriæ ægrotabat*, ex ægritudine videlicet animi, quam ex nupera clade contraxerat. Cogitabat, quanto cum dedecore a certa spe capiendæ regiæ urbis subito dejectus fuisset, & insuper exutus castris, & coactus fugam inire ignominiosissimam; quodque magis dolebat, ex incerto rumore adventantis potentissimi hostis, quum revera, ut postea compertum est, nullus esset. Is porro, audito Elisei in urbem adventu, familiarem suum Hazaelem obviam misit, qui sibi Prophetæ opera sanitatem procuraret: & quoniam putabat ejusmodi negotium, ut cætera humana omnia, donis & muneribus transigendum esse, Camelos Eliseo misit quadraginta, ex omnibus Damasci bonis onustos: quæ illum

[illegible]

A illum haudquaquam admisisse certo credendum est, quum nec Naamanis munera acceptare voluerit.

v. 10. *Vade, dic ei vita vives: porro ostendit mihi Deus, quia morte morietur.* Rogatus ab ægro, utrum sanitatem esset recuperaturus, Eliseus ista respondit, quæ tamen nec rerum gestarum veritati, nec sibi constare videntur. Sed eadem nec sibi, nec B historiæ adversari planum fiet ex iis, quæ supra ad Micheæ simile responsum dixi: nam eodem fere verborum ordine uterque Propheta loquitur, quum uterque eodem contextu prospera & adversa roganti prænunciet. Unum hic addendum hujus loci peculiare est: quod Achabo, attento exitu pugnæ, quam ille pertinacissime volebat, C exitium inevitabile fuit; mors contra Benadado, spectata levitate morbi, non modo evitabilis fuit, sed certo evitata fuisset (idque unice intendit significare Eliseus, & Benadad scire se velle expressit illis verbis: *si sanari potero de infirmitate mea hac*) nisi vi externa fuisset naturæ ordo disturbatus: & hanc Hazael ipse in præsenti facto nuncius D ægro intulit, & vitam domino suo eripuit, eoque extincto regnum juxta Elisei prædictionem invasit. Notandum ex Hebræo hæc aliter verti potuisse, contrario sensu: *Dicito, non sanaberis.*

[illegible]

CAP. I v. 1. E *Eliseus autem Prophetes vocavit unum de filiis Prophetarum, & ait illi &c.* Proponitur hoc loco exercitum in domum Achab judicium, & Judicis, atque executoris designatio: Jehu hic fuit, qui ex Dei mandato a quodam Prophetarum in Regem ungitur; discipulus Elisei is erat, qui quum ad urbem Ramoth Galaad venisset, & Israëlitarum eandem obsiden- F tium castra intrasset, tentorium, ubi duces exercitus conventum habere compererat, recta petiit: admissus in hæc verba profatus est, incertus quem alloqueretur: *Verbum ad te o princeps*, quumque respondisset Jehu, *ad quem ex omnibus nobis?* Intellexit Prophetes hunc esse, quem sibi ungendum magister præceperat: nec enim Jehu de facie noverat, & esto no-

noviſſet, & Eliſeus hunc proprio nomine diſtinxiſſet; in re tanti momenti errorem timere potuit: quæ porro ſtatim repoſuit: *Ad te o princeps*: indicant, eundem in ipſo facto doctum fuiſſe divinitus, hunc eſſe, quem Deus Regem deſignaverat. Quamobrem, ſicut ab Eliſeo monitus fuerat, illum in proximum conclave ſeduxit a turba: tantiſper namque diſſimulandum, ipſe etiam Jehu intellexit, cavendumque ne ea rerum novatio ſubito in vulgus efflueret: hic remotis arbitris unctus eſt Jehu in Regem, ſimulque juſſus eſt univerſam domum Achab exſcindere. Mox Propheta ſine mora è caſtris ſeſe proripuit, & Jehu, qui ſtatim poſt unctionem ab univerſo exercitu mirabili conſenſu Rex ſalutatus fuerat, in urbem Jezrael cum delecta militum manu procurrit, & Joramum Regem Iſrael, deinde Ochoziam Regem Juda primo impetu capit & interficit.

v. 24. *Dixitque Jehu ad Bar Dakar ducem: tolle projice eum in agrum Naboth Jezraëlitæ, quia veſpere vidi ſanguinem Naboth, & ſanguinem filiorum ejus.* Hæc dicebat Jehu, ſive quia recurrebant hoc tempore, quæ heſterno veſpere audierat, ſive quod per viſum iſtuc ſibi oſtenſum fuerat, quo ſequenti mane Jorami nece Nabothis ſanguinem vindicaret. Aliam inſuper cauſam hujus facti indicat Jehu, & cur vellet projici Jorami cadaver in agrum Nabothis Jezraëlitæ his verbis: *Memini*, ait, *quando ego, & tu ſedentes in curru ſequebamur patrem hujus, quod Dominus dixit verbum hoc ſuper eum dicens, ſi non pro ſanguine Naboth, & pro ſanguine filiorum ejus reddam tibi in agro iſto*, ideſt in ſuburbiis civitatis Jezrael, ubi poſitum erat Nabothis prædium. His in ſuburbano agro geſtis Jehu urbem intravit bene cœpta perfecturus.

v. 30. *Venitque Jehu in Jezrael. Porro Jezabel introitu ejus audito depinxit oculos ſuos ſtibio, & redimivit caput ſuum.* Jezabel, quæ filii caſum lugere credebatur, audito Regis adventu oculos ſtibio delira anus depingit, ornat mitra caput, & ore feneſtra prolato a novo principe videri ambit. Sperabat hunc formæ lenocinio captum eo perducere, ut etiam ipſius nuptias expeteret. Forte non ignorabat Adoniam olim Abiſag Silumitidem uxorem optaſſe,

[illegible]

A taſſe, quo Reginæ nuptiis viam ad regnum ſibi muniret: credere ergo potuit Jezabel Jehu ad novam & fluctuantem dominationem ſtabiliendam, ſimilem viam initurum. Hæc fortaſſe, dum ſui potens fuit, Jezabel cogitabat; at enimvero ubi ad januam adſtare Regem vidit, occurſante ſtatim filii nece, interfectoris conſpectum non B tulit, quin in apertum jurgium prorumperet, *Numquid*, ait, *pax fuit Zamri, qui occidit dominum ſuum?* Adeo nec præſumta ſpes nuptiarum, nec imminentis lethi metus, nec præſens carnifex, in jugulum incumbens, feminæ ferociam fregerunt, ut vel tantiſper iram compeſceret. Sic quæ aliis nocens, ſibi innocens eſſe non debuit, quin hoſtem aliunde incitatum, convicio magis etiam inflammaret, quo C atrocius ſæviret.

Et ait Jehu, quis mecum? Et reſpexerunt ad eum duo, vel tres Eunuchi, & ait: præcipitate eam deorſum, & præcipitaverunt eam. Jehu, ut feminam vidit, comperitque eſſe Jezabelem, juſſit Eunuchis præſentibus, ut illam dejicerent è feneſtra: quod illi fecerunt ſtatim eo impetu, ut Jezabelis ſanguine parietes reſperſe- D rint, cadaver a ſuperveniente equitatu conculcatum paulo poſt a canibus laceratum fuit, *ut nemo diceret: hæc fuit Jezabel*. Tropologice. Achab accepto in acie vulnere occumbit, & regio funere elatus in Regum ſepulcris conditur. Jezabel contra ſervili manu ex ſublimiori loco præcipitata ad terram miſere alliditur, cadaver a prætereuntibus proculcatur, & a ca- E nibus diſcerpitur. Quia etſi Achab multa peccaverit, aliquam tamen pœnitentiam oſtendit. Jezabel contra, quum non modo plurima commiſiſſet nefaria & execranda, ſed etiam conjugem ad omnia fere, quæ perpetravit flagitia, ipſa ſuis conſiliis induxiſſet, adeo malefacta non damnavit rebus proſpere procedentibus, ut etiam in adverſis, & in ipſo propemodum F interitu viſa ſit inſanire. Jure itaque & merito ſeverius, quam Achab punienda fuit. Rurſus attende, quomodo Jezabel terror quondam Prophetarum, & Regum domina, ludibrium facta eſt ſpadonum & canum præda, ad obſtruenda videlicet ora loquentium iniqua, ne dicant *quare via*

v. 32.

Infr. v. 37.

Jer. 12. 1.

via impiorum prosperatur , bene est omnibus , qui prævaricantur ? Jam quemadmodum Deus ad vindicandam Reginæ in suos Prophetas hucusque exercitam crudelitatem , servis , & canibus nunc utitur administris ; ita postmodum Reges & populos Martyrum , & Ecclesiæ Christi persecutores , gentium barbararum , & ignobilium opera , frequenter castigavit & afflixit.

CAP. X. v. 1.

Erant autem Achab septuaginta filii in Samaria &c. Satagebat Jehu non modo commissum a Propheta negocium exacte præstare , verum etiam sibi , posterisque regnum , æmula sublata stirpe , constabilire : quocirca scripsit ad cives Samariæ , ut vel quempiam ex liberis Achab , quos apud se habebant , sibi Regem deligerent , quod si fecissent bellum etiam pararent , & expedirent arma , vel si contra pacem optarent , filios Regis omnes ad unum decollarent , abscissaque capita ad se protinus mitterent. Samaritani Jehu mandatis repugnare non ausi , quæ petebantur capita statim transmiserunt ; quæ quum Jehu in duos congesta acervos in loco frequenti , & publico constituisset , mane facto convocata populi concione . *Judicate* , inquit , *quod justum est , estis enim justi* . Si ego reus dicor , quod occiderim Regem , & regnum occupaverim , consequens erit , eos , qui domini mei filios septuaginta sustulerunt , innoxios non esse . Atqui omnes Samariæ optimates , & majores natu manifestæ perfidiæ nemo vestrum , ut arbitror , incusabit . Restat ergo , neutros in hoc facto culpandos esse , qui fuimus divinæ sententiæ meri executores . Videtis enim , eventa propheticis prædictionibus exacte respondere : ut quæcumque Deus contra Achabi stirpem decrevit , & per Eliam futura prædixit , eadem plenissime perfecta & absoluta fuerint . Cæterum , quod hic & alibi occurrit a Prophetis in sermone Domini dictum : *Interficiam mingentem ad parietem* . Significat extremum alicujus familiæ & generale excidium ex gravissima aliqua causa constitutum , adeo ut canes quoque domus custodes perditum iri intelligas , nedum habitatores ejusmodi noxæ reos.

v. 18. *Congregavit ergo Jehu omnem populum , & dixit ad eos : Achab coluit*

[illegible]

[illegible]

A *luit Baal parum &c.* Jehu, dum bene cœpta persequitur Ochoziæ Regis Juda fratres quadraginta duos in medio cursu comprehensos occidit. Continuo Samariam ingressus omnem Achabi progeniem delevit: deinde, ut inductam a Jezabele & Achabo peregrinam religionem aboleret, indicto publico & solenni Baalis Sacrificio, ejusdem sacrificos ad eam celebritatem B invitavit, quos intra clausa templi congregatos omnes ad unum trucidavit, & Baalis statuam combussit, & delubrum in latrinas convertit. Et hæc quidem pie, sapienterque a Jehu gesta sunt, eademque Deo grata, & accepta fuisse Propheta Regi declaravit, prædicens, ipsius stirpi decretum eam ob causam imperium ad quartam generationem duraturum: C nec enim Jehu cursum, quem sub sui principatus initium pie petiit, constanter retinuit, neque ejus nepotes prima parentis exempla sibi imitanda proposuerunt, sed extrema.

[illegible]

CAP. XI. v. 1.

Athalia vero mater Ochoziæ videns mortuum filium suum, surrexit, & interfecit omne semen regium. Alius D erat naturæ motus, quem tamen Athalia sequuta non est, tres, opinor ob causas. Prima penitus occulta, usque Athaliæ ignota, Diaboli fuit astus: quum enim compertum haberet, quod vel rudis, & imperitus quilibet Israëlita non ignorabat, humani generis Redemptorem ex Davidica progenie nasciturum, satagebat hanc funditus extirpare, quo E divinæ erga nos misericordiæ consilium disturbaret, idem hoc olim non admodum dissimili via procuraverat, quando Noëmi tempore hominum mores corrupit, ratus Deum naturam adeo labefactatam nunquam reparaturum, & Moysis ætate Pharaonem induxit, ut masculos Hebræorum infantes perimeret, quod sciret in Abrahami semine benedicendas omnes tribus terræ; F & post Christi adventum Herodi suggessit Betlehemiticorum infantium stragem. Sed ejusmodi arcanum, ut dixi, Athalia cogitare non poterat. Duo ergo ex hoc atroci facinore commoda spectavit, primum, ne in regia domo tres haberet æmulos Regem, Regisque matrem & Reginam, & pri-

& primum in ea tenere locum forte non multum curabat, modo secundum, aut tertium occuparet; neutrum tamen sibi obventurum sciebat, quum alterum matri jure competeret alterum uxori. Aliud insuper occurrebat bonum securitas, si enim Athalia illud assequuta fuisset, ut omnes regni Judaici vires ad ipsius defensionem conspirarent, salutem suam in tuto positam esse existimabat: nec proinde timendum, quidquid Jehu Rex Israel Jezabelis, & Achabi familiæ capitalis hostis contra moliretur. Cæterum hoc Athaliæ facinus perspicue ostendit, quam perniciosa fuerint Israelitis cum peregrini cultus feminis connubia, & quam vere Moyses, qui lege lata suis Hebræis illa interdixerat, damna inde sequutura præsagisset.

v. 2. *Tollens autem Josaba filia Regis Joram soror Ochoziæ Joas filium Ochoziæ, furata est de medio filiorum Regis, qui interficiebantur, & nutricem ejus, & abscondit eum in triclinio cubiculi sui.* Josaba Jojada Pontifici singulari regiæ stirpis privilegio nupserat, cautum quippe erat ne Tribus inter se commiscerentur, neve proinde feminæ extra propriam Tribum cuilibet promiscue nuberent. Hæc itaque nepotem communi fratrum fato fœliciter subtractum cum sua nutrice abscondit intra secretiora templi penetralia, quæ nemini de populo adire fas erat, solisque Sacerdotibus patebant, qui, quum Pontifici omnes parerent, ab eodem facile inde arceri potuerunt. Interim Athalia regnum invasit, tenuitque ad sexennium. Quod mirum fuit fieri potuisse a femina talibus imbuta moribus, & peregrinæ, Judeisque exosæ originis, ac religionis, donec Jojada Davidicæ stirpi illud restituit.

v. 4. *Anno autem septimo misit Jojada, & assumens Centuriones, & satellites, & Cursores, introduxit ad se in templum Domini.* His porro permixtum fuisse magnum Levitarum numerum indicat secundus Annalium liber, quos Jojada utpote sibi subjectos ad hoc negotium paratos habuit; quumque sabbatis ad custodias templi venire solerent, eorum convocationem Athaliæ minus suspectam fore putavit. His intra septa templi congregatis Pontifex imperat arma ex armamentario tem-

[illegible]

A templi depromta sumere, simul armatis regium puerum ostendit. Confestim distributæ in opportuna loca cohortes militum, jussique singuli templi aditus omnes occupare, & contrariæ factionis quoscumque inde arcere. Rebus ita dispositis Pontifex puerum de more sacro oleo ungit, & diademate coronatum Regem declarat: novi Regis inaugurationem sequuta est festiva militum acclamatio, B mox ingens populi ad templum concursus.

Audivit autem Athalia vocem populi currentis &c. Dum hæc in templo aguntur Athalia populi concursantis strepitu, ac tubarum clangore excitata, ad templum procurrit, dumque præsentia, atque voce seditionem compescere conatur, a regiis satelli- C tibus comprehensa, extra clausum templi rapitur; Pontificis jussu, ne suo sanguine Dei ædem pollueret, & occiditur. Sic Propheticæ de Achabi stirpis excidio prædictiones paulatim per varios exitus ad effectum perducebantur. Rebus itaque imperii constitutis, Jojadas ad restituendam religionem a Joramo, ejusque successoribus pessumdatam, se contulit. D Quocirca Regem inprimis & universum populum induxit, ut fœdus a majoribus cum Domino pactum, conceptis ex veteri instituto verbis, innotarent, mutuamque sibi invicem fidem sibi Rex & populus jurarent. Hinc ad extirpandas novas religiones conversus, habuit populum in hoc negotio mirum in modum sibi consentientem: statim namque facta manu E Baalis fanum ingressus ejusdem aras destruxit, simulacra confregit, & profani cultus antistitem Mathan interfecit. Sic Jojadæ auctoritate & pio studio legis observantia, & sacri ministerii ordo, sacrificia & ceremoniæ restituta sunt in eum fere statum, quem, regnante Davide, obti- F nuerant.

v. 13.

[illegible]

CAP. XII. v. 7.

Vocavitque Rex Joas Jojadam Pontificem, & Sacerdotes dicens: quare non instauratis sarta tecta templi? Causam, cur Rex Joas & Jojadas Pontifex ad reparandam Dei domum animum appellerent, indicat liber se-

 cun-

cundus Annalium his verbis : *Athalia instruxit filios iniquitatis , & suffodit domum Domini , & omnes sanctificatos , qui erant in domo Domini , traduxit ad cultum idolorum .* Nec vero mirum id attentasse Athaliam , feminam eam instructam audacia & sagacitate , ut & regnum ambire , & occupare potuerit . Quum ergo ejus arbitratu omnia administrarentur , ipsumque Regem Ochoziam sibi obsequentem haberet , nihil ab ea prætermissum fuit, quo Judæos a divino cultu abstractos ad patriam Sidoniorum religionem traduceret . Quamobrem , dum introducto peregrino cultu veri Dei templum negligitur , multis in locis fatiscere cœperat , & facto vitio ruinam minari . Ergo , ut huic malo occurreret Rex , auctore Pontifice , magnam pecuniæ vim a populo libenter subministratam collegit , & Sacerdotibus ad destinatum opus delectis tradidit . Sed quum postea animadverteret , ab illis commissum negotium , nec ea cum fide , nec diligentia , quam speraverat , tractari , eam curam viris exploratæ probitatis detulit , quam & strenue , & diligenter gesserunt . Allegoria . Agnosce hic typum Sanctorum, qui scientiæ donum a Deo consequuti, ad ejusdem reparandam domum vanis religionibus , & variis criminibus labefactatam , contulerunt .

v. 20. *Surrexerunt autem servi ejus , & conjuraverunt inter se , percusseruntque Joas in domo Mello , & mortuus est .*

2. Pa. 24. 16. Postquam exactis annis centum & triginta Jojada Sacerdos vivere desiit ; Joas quorundam principum consiliis inductus , veram religionem , quamdum vixit Jojada, sancte coluerat , abjecit , & idololatriam a feminis Sydoniis invectam , quam eodem Pontifice auctore cum magna gloria exterminaverat , revocavit . Quod quum Zacharias Jojadæ filius quominus fieret impedire conaretur , & divino inflammatus spiritu stans inter templum & altare Regem , ac principes populi coram argueret , in ipso atrio Domini lapidibus obrutus fuit , ea scilicet fuit Joæ inhumanitas & communis naturæ sensus stupor , ut acceptorum a Jojada beneficiorum immemor ejusdem filium virum sanctissimum tanta cum immanitate tractari permiserit præsens , imo & jusserit ; eo

[illegible]

[illegible]

A eo interim propriæ innocentiæ testem & vindicem Deum appellante. *Videat Deus*, inquit, *& requirat*. Providebat vir sanctus mala & calamitates, quæ non multo post Regi & regno incubuerunt: sequente quippe anno invasere Syri Judæam, & vastarunt, adeo ut Joas, quo vitam redimeret, regiam domum, ac templum spoliare coactus fuerit, ab eisdem B nihilominus male & ignominiose habitus est, ut contracto inde morbo decubuerit; tandem servorum conjuratione oppressus in ipso lectulo, in quo æger jacebat, confossus interiit. Cadaver in civitate David conditum fuit, Regum tamen sepulcro illatum non est. Patri successit Amasias.

[illegible]

C

CAP. XIII. v. 14.

Eliseus autem ægrotabat infirmitate, qua & mortuus est: descenditque ad eum Rex Israel, & flebat, dicebatque: Pater mi, pater mi currus Israel, & equites ejus. Mortuo Jehu Rege Israel, Joachaz filius regnum inivit, quod per annos septemdecim ab eodem vehementer afflictum, ac pene eversum, ejusdem D filius Joas ex parte restituit, Elisei, quem impense coluit, opera & consiliis adjutus. Quum ergo Propheta decumberet ab eo morbo, quo postmodum extinctus est, Rex illum invisit, quumque brevi decessurum perspiceret, orbitatem suam lamentabatur, & dicebat: *Pater mi &c.* eandem, ut supra vidimus, lamentationum formulam ipse Eliseus usurpa- E verat in decessu Eliæ; & sensus est idem, quem eo loco exposui: significabat ergo Elisei precibus & consiliis stare victoriæ spem, & regni foelicitatem. Continuo Eliseus pias Regis lacrymas muneraturus, *affer*, ait, *arcum, & nervo sagittam indito*. Quumque Rex posuisset manum suam super arcum, superposuit Eliseus manum F manibus Regis, jussitque aperta fenestra sagittam Orientem versus jacere: quo facto, Eliseus ait: *Sagitta salutis Domino, & sagitta contra Syriam*; Syriam videlicet ea fenestra prospectabat; *Percutiesque Syriam in Aphech, donec consumes eam. Rursus ait: Tolle sagittas, quas quum tulisset, rursus dixit ei, percute jaculo terram. Et quum percussisset tribus vi-* cibus,

tibus, *& cessasset*, *iratus est vir Dei contra eum*, *& ait*, *si percussisses quinquies*, *aut sexies*, *aut septies*; *percussisses Syriam usque ad consumtionem*, *nunc autem tribus vicibus percuties*. Hic ad historicum sensum duo pertinent: primum, Israëlitarum victoriam a Deo, rem eo modo pro sua voluntate disponente, annexam fuisse hujusmodi signo: quod novum non fuit, quum antehac Ægyptiorum plagas, & Israëlitarum exitum ab elevatione virgæ pendere voluerit: & Amalecitarum cladem ab elevatione manuum Moysis orantis: & hastæ Josuæ pugnantis, Hai urbis expugnationem. Sic enim fieri expediebat, quo nimirum rebus & verbis clarius intelligeretur, beneficium a Deo liberaliter conferendum, & rato tempore collatum, accipientium mentibus altius insigeretur. Hoc porro arcanum Eliseo divinitus communicatum, Regi ignotum fuit; alioquin non ter, sed decies terram jaculo petiisset, quod quia non fecit Eliseus Regem increpuit, non quod hic peccasset, sed quod privasset imprudens suos Israëlitas ampliori beneficio, quod iidem fuissent consequuturi, victis debellatisque Syris, & everso illorum imperio: quod quia Eliseus cupiebat, impeditum doluit præsenti Regis cessatione, imo verius futura ejusdem, ejusque subditorum in idololatria obduratione, quæ vera & sola causa fuit, cur nec signum procederet, nec gratia, per illud significata, concederetur. Secundum: Eliseus manum manui Regis superimponit, quo significabat divina virtute, quam Prophetæ manus in præsenti symbolo repræsentabat, infirmam Regis dexteram roboratum iri in tantum, ut universam Syriam subjugare facile posset, acceptasque Syris clades referre. Et vero Israëlitæ, a Syris præterito bello attriti, Joramo Rege ad eas venere angustias, ut in regia urbe equos dumtaxat quinque habuerint, & sub ejus successore in universa ipsorum ditione non plures, quam equites quinquaginta, peditum decem millia, & decem currus reperti fuerint: *Interfecerat enim eos*, subdit Scriptura, *Rex Syriæ*, *& redegerat quasi pulverem in tritura*. Atqui Hebræi, Salomone regnante, quinquaginta duo millia equorum in regiis stabulis numera-

Sup. c. 13 v. 7

[illegible]

rabant ; & Jeroboamus octingenta millia armatorum in aciem eduxit , quibus ex adverso opposuit Abias quadringenta millia virorum electorum , ex duabus dumtaxat tribubus Juda , & Benjamin . Allegoria . Signum duas habet partes , singulæ suum sensum . *Sagitta salutis Domino* , plane Dominum Salvatorem designat , quum in Cruce emisit spiritum ; quo terræ viscera penetravit , & Patres inferno carcere detentos liberavit , deinde per Apostolos universum orbem pervasit , & credentibus salutem attulit . Quo autem sagitta Orientem versus jacitur , significat : Christi ascensu nostræ salutis opus consummatum fuisse ; quum *ascendens super cœlum cœli ad Orientem* portas nobis æternales aperuit , cœloque captivitatem nostram invexit . Item dum jaculum terræ fixum inde extrahitur , aut resilit , exprimit corporis Christi sepulturam & resurrectionem , postquam ad triduum in corde inferni , in terra mortuorum fixum mansit . Rursus attende , quomodo terra Israëlitarum telis tribus configitur , & regnum Syrorum tribus præliis profligatur . Scilicet adorandum Christi Corpus spinis , clavis , lancea confixum est , his tamen non fuit Christi caro destructa , sed Diaboli , peccati , atque mortis imperium triplici clade contritum fuit , Diabolum namque Salvator noster prostravit , peccatum & mortem sustulit . Postremo telum ter jactum humo hæsit , & Dei populum ad terram afflictum relevavit , quia Christus dum in sepulcro jacuit, corpora Sanctorum ad spem resurrectionis erexit .

2. Par. 13. 3.

Ps. 67. 34.

Mortuus est Eliseus , *& sepelierunt eum* . Funus curarunt ejus discipuli filii Prophetarum , cui Regem Joam interfuisse , ex eo colligitur , quod eundem ægrotantem studiose inviserat , & morientem mœstissima lamentatione & profusis lacrymis fuerat prosequutus . Et quoniam Hoseas in principio suæ Prophetiæ indicat, prophetasse se sub Jeroboamo filio Joæ, oppido verisimile est, eundem in præfectura Prophetarum Eliseo successisse . Quum vero postmodum in Elisei sepulcrum cadaver mortui hominis aliquando projectum fuisset , ejusque ossa tetigisset, statim revixit. Suscitaverat mortuum Elias, fecit & hoc Eliseus , at nullus Prophetarum mortuus mor-

v. 20.

mortuum vita donavit ; ut intelligas : congeminatum in Eliseo Eliæ spiritum. Porro virtus ossibus Elisei divinitus indita futuræ resurrectionis index & semen fuit . Perinde delatus ejusdem corpori honor , ut in simili casu supra animadversum est , gloriam præsagiebat corporibus Sanctorum in generali corporum resurrectione communicandam.

CAP. XIV. v. 1.

IN anno secundo Joas filii Joachaz Regis Israel regnavit Amasias filius Joas Regis Juda , qui parentis mortem ultus est, moderate tamen, ut conjuratorum cognatis parceret juxta legis præscriptum, cautum quippe erat, ne pœna ultra culpæ auctores procederet . Pius ergo fuit Amasias , quandiu tristem parentis exitum ob oculos habuit , cujus causam ignorare non poterat , unam dumtaxat fuisse religionis injuriam : rebus itaque postmodum prospere succedentibus , excusso , quem ex patris supplicio conceperat , Dei metu , cultum pariter repudiavit , & peregrinas religiones amplexus est . Hanc porro fuisse defectionis causam , docet Scriptura in secundo Annalium , ubi victoriam ex Idumæis ab eo reportatam narrat : *Amasias* , inquit , *confortatus est , duxitque populum suum & abiit ad vallem salis , & cecidit , atque interfecit filios montis Gebal decem millia , & decem millia vivos comprehenderunt filii Juda , & adduxerunt eos ad summitatem petræ , & omnes venerunt constricti vinculis* . Deinde subdit : *Et quum venisset Amasias reversus a cæde Idumæorum , obtulerunt ei Deos Gebal , & statuit eos ante se , & adoravit eos , & obtulit eis thymiateria aromatum* . Vallis salis eadem est , quæ Idumæorum sanguine olim maduerat sub Davide , qui primus illos sub jugum misit , quod postmodum , Josaphato regnante , excusserunt. Ea Amasiæ perfidia offensus Deus , Prophetam misit , qui stultam Regis impietatem argueret , ut qui Deos esse crederet , qui cultores suos de manu ejus liberare nequiverant , quosque ipse suis è sedibus avulsos habebat captivos . Rex admonitionem indigne tulit , & monitorem ignominiose repulit , minatus insuper supplicium , si porro pergeret , ut negocium sibi eam ob rem facesseret : cui ille se

Deut. 14.16.

2. Par.

A [illegible]

B [illegible]

C [illegible]

D [illegible]

E [illegible]

F [illegible]

[illegible]

se quidem quieturum, respondit, quod certo sciret futurum, ut scelus illud vindicaretur auctoris morte, Regemque poeniteret aliquando, quod consulentem & monentem se minime auscultasset. Vaticinii fidem probarunt subsequuta Amasiæ captivitas, & festinata mors. Quum enim temere Joam Israëlitarum Regem bello lacessisset, victus captusque fuit, & cum ignominia Samariam abductus: unde cum ingenti multa demum dimissus, regnoque restitutus, paulo post Solymitarum quorundam conspiratione oppressus est. Hic interim animadverte quomodo Amasias, dum Prophetis obsequitur, & conductos milites peregrinæ religionis dimittit, susceptum nihilominus contra Idumæos bellum fœliciter conficit, & opibus auctis, ampliataque ditione lætus Jerosolymam revertit: idemque, versa rerum vice, semel & iterum ex eadem urbe turpiter ejicitur, primum a Joa, deinde a conjuratis civibus, & gravissimis utrinque affectus calamitatibus, libertatem, mox etiam vitam amittit: nec sane aliam ob caussam, ut perspicue Scriptura declarat, quam ob divinæ legis & Prophetarum contemtum. Hoc nimirum perpetuo, & ubique satagebat Deus, ut durissimæ cervicis populus aliquando disceret: salutem suam, & regni fœlicitatem in sola divinorum præceptorum observantia consistere: non quod ipse eorum obsequio indigeret, sed quod ipsis nullatenus expediret, ejus imperio, & gubernatione carere.

v. 23. *Anno quintodecimo Amasiæ mortuo Joa Rege Israel regnavit Jeroboamus ejus filius ad annos unum, & quadraginta: ipse restituit terminos Israel ab Emath usque ad mare solitudinis juxta sermonem Domini Dei Israel, quem loquutus est per servum suum Jonam filium Amathi Prophetam.* Idem est, qui Ninivitis poenitentiam prædicavit. Mare solitudinis ipsum est, quod mare salsissimum alibi Scriptura appellat, positum in confinio Chananitidis, cui respondet alter ejusdem terminus aquilonaris Emath civitas juxta Libanum montem. Jeroboamus itaque Jonam Prophetam coluit, quemadmodum pater ejus Eliseum, illiusque operam perinde sibi utilem expertus est, ejus siqui-

siquidem prædictionibus & consilio animatus, occupatas a Syris civitates recuperavit.

CAP. XV. v. 1.

Anno vigesimo septimo Jeroboam Regis Israel regnavit Azarias filius Amasiæ Regis Juda. Idem in genealogia Christi Ozias appellatur, & Joramo genitus dicitur, qui atavus ejus fuit. Annos regnavit quinquaginta, quo temporis spatio labefactatum sub decessore reipublicæ statum restituit. Jerosolymæ muros a Joja Rege Israel ex parte dirutos refecit, duxitque Judæorum colonias ab introitu Emath usque ad mare solitudinis, & ad ostium maris rubri urbem Ailath condidit. Philistæos, Ammonitas, & Arabes subegit, & Regibus Juda fecit tributarios. Adeo illi omnia prospere cesserunt, dum Zachariam Prophetam habuit præceptorem, & ejus consilio rempublicam administravit. Ex ejus tamen disciplina non fuit, quod postremo sui principatus anno sacerdotale sibi munus usurpare tentavit, & adyta templi temere ingressus adolevit incensum: quod ex lege Dei & Regum decessorum consuetudine proprium Sacerdotum officium esse sciebat: quam ob causam horribili lepra percussus, regno pariter, atque hominum communi consuetudine, dum vixit, privatus mansit. Allegoria. Ozias delicto, & supplicio perduellium Angelorum, atque Judæorum typum expressit. Et illi quidem, dum honoris locum conditioni suæ indebitum occupare contendunt, eum quem obtinebant, amiserunt, & Sanctorum societate, convictuque privati sunt. Isti vero dum non suam hæreditatem invadere tentant, & hæredem occidunt, nec propriam retinere potuerunt, sed de terra hæreditatis suæ ejecti vagantur incertis sedibus, & sicubi considere ipsis licuit, commune tamen cum incolis contubernium habere non licet.

v. 8.

Anno trigesimo octavo Azariæ Regis Juda regnavit Zacharias filius Jeroboam super Israel in Samaria. Jeroboamo regno, vitaque defuncto sublectus Zacharias sexto a suscepta potestate mense a Sellum filio Jabes interfectus est: suoque interitu promissionem domui Jehu olim factam imple-

[illegible Syriac text]

[illegible Syriac text]

[illegible Syriac text]

A plevit, & consummavit, eo quippe sublato regnum in ea familia ad quartam generationem propagatum per alias familias vagari cœpit: ejus interfectorem Sellum Menahemus filius Gadi post mensem sustulit, & regnum invasit, quod quum suis viribus tueri se posse diffideret, Regis Assyriorum Phul opem postulavit, ejusque favore ad annos decem obtinuit. Successit Phaceja ejus filius, quem bien- B nio post Phacee filius Romeliæ militiæ Præfectus in palatio occidit, & rerum potitus est. Hujus tempore Teglath Phalasar Assyrius apertam a decessore viam ingressus Chananitidem invasit, & Hebræorum captivitatem inchoavit omnium, quas ad eam diem passi fuerant teterrimam & acerbissimam.

C *Anno secundo Phacee filii Romeliæ Regis Israel regnavit Joatham filius Oziæ Regis Juda.* Susceptum hoc anno regnum Joatham sexdecim sequentes magna cum laude administravit. Enimvero quum multa ab illo præclare gesta secundus Annalium liber prodiderit, nihil hoc loco Scriptura reprehendit ab eodem non recte factum, D præter excelsorum tolerantiam, communem videlicet noxam Regum Juda etiam laudatissimorum. Jerosolymam inprimis novis molitionibus communivit, turres & castella in desertis locis construxit. Ammonitas perpetuos Judæorum hostes domuit, & annuum tributum Regibus Juda in posterum pensitare jussit.

v. 32.

E

CAP. XVI. v. 1.

Anno decimo septimo Phacee filii Romeliæ regnavit Achaz filius Joatham Regis Juda. Hic a piorum decessorum suorum religione, ac moribus adeo exorbitavit, tot, tantisque sceleribus infamavit Davidis stirpem, ut ipsi & Manassi ejus nepoti potissime adscribenda censeatur Judaici regni F ruina. Adeo nimirum peregrinarum religionum studiosus fuit, ut quod immanissimum fuit, filios suos per ignem traduxerit, quo in facto imitatorem habuit præter alios privatæ sortis homines Regem Manassem: ita quippe sibi persuaserat, tum demum ab inimicarum gentium armis se tutum fore si illarum numina coluisset. Eam Achazi perfidiam sequuta pœna est eadem, quæ

quæ alios Reges impios ſæpe afflixit. Raſin namque Syriæ Rex primum ſibi confinem Achazi ditionem depopulatus eſt, mox conjunctis cum Phacee filio Romeliæ viribus Judæam univerſam vaſtavit, cæſis uno prælio Judæorum centum viginti millibus, aliiſque ducentis millibus captis & Samariam abductis, qui tamen poſtmodum intercedente Adu Propheta dimiſſi ſunt. Achaz, ut vidit ſe tantis obrutum malis pium deceſſorum ſuorum morem ſequutus non eſt, nec ad Deum patris ſui David confugit, ſed quod Iſraëlitis ſevere cautum fuerat, Regem Aſſyriorum Teglathphalaſarem in ſocietatem belli contra Syros, & Iſraëlitas accerſivit peſſimo conſilio, quod Hebræis utriuſque regni ingentium calamitatum, & exitii cauſa fuit; magnis inſuper donis ſollicitavit, exhauſtis in hoc negocium publicis, privatiſque copiis, & expilato Domini templo. Nec ille abnuit, lætus occaſionem admodum commodam ſibi offerri, cœptum adverſus Syros, & Chananæos a Deceſſore bellum reparandi. Confeſtim itaque Syriam ingreſſus Damaſcum regni caput expugnavit, Regem Raſin interfecit, & provinciam populatus habitatores in Aſſyriam tranſtulit. Inde motis caſtris terras Samariæ Regi ſubjectas occupavit, & incolas ſimili exilio multavit.

CAP. XVII. v. 1.

Anno duodecimo Achaz Regis Juda regnavit Oſee filius Ela, in Samaria ſuper Iſrael novem annis. Phacee exacto vigeſimo regni anno ab Oſea occiditur, hic Samariæ Regum vigeſimus & ultimus fuit. Quum enim anno ejus nono, ac poſtremo Salmanaſar Aſſyrius poſt triennalem obſidionem expugnaſſet Samariæ urbem regnum pariter excidit & extinxit, abductiſque inde incolis cœptam Iſraëlitarum captivitatem complevit, captivos in Mediam tranſportavit, collocavitque in Hala, & in Habor fluvii Gozan, civitatibus Medorum. Utque religionem mutarent, ſollicitavit conſtitutis ſuper omnem collem excelſum ſimulacris, & excitatis ad nova ſacra delubris. Neve terra ſuis vacuata habitatoribus, inculta maneret, ductis ex Aſſyria colonis excolendam dedit. Poſtremum non ſine cauſa hoc

[illegible]

A hoc loco Scriptura recenset varias diversorum Deorum religiones ab Israëlitis impie susceptas, & iterata toties flagitia, obstinatissimam denique in suis moribus pertinaciam. Hæc nimirum explicanda fuerunt & posterorum memoriæ prodenda ad tuendum divinæ Justitiæ judicium, quæ gentem nefariam & sceleratam natali solo expulerit, & durissimæ servituti subjecerit B propter duritiem cervicis ipsorum.

[illegible]

CAP. XVIII. v. 1.

ANno tertio Osee filii Ela Regis Israel regnavit Ezechias filius Achaz Regis Juda. In Domino Deo Israel speravit. Itaque post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Juda; sed neque in his, qui ante eum C *fuerant*: non quo Ezechias cunctis decessoribus, vel successoribus suis ad ipsam hanc metam currentibus anteverterit, sed quo in iis plerisque, quæ cum virtute gessit, alterum similem sibi non habuerit: hoc ipso namque elogio, & iisdem fere verbis Scriptura paulo infra Josiam Ezechiæ nepotem exornat, quem utique avo superiorem fuisse affirmare non D potuit. Hic Deorum statuas omnes disjecit, evertit fana, lucos excidit, & quod decessorum nemo attentaverat, sustulit excelsa; non quod in illis idola colendo peccarent Judæi, sed quod Deum colentes ordinem, & modum ab eo præscriptum non observarent, ut supra tactum est: cautum quippe erat ne extra constitutum a E legitima potestate locum sacra fierent, qui locus eo tempore erat Salomonis templum, & altare Jerosolymis erectum. Hanc siquidem Ezechiæ mentem fuisse in demoliendis excelsis indicant verba Rabsacis. *Iste est Deus*, inquit, *cujus abstulit Ezechias excelsa, & altaria; & præcepit Juda, & Jerusalem: ante altare hoc adorabitis in Jerusalem*: interdicti ergo causa eadem, quæ fuit præcepti, ut F videlicet non in excelsis, sed ante altare in Jerosolymitano templo Deus coleretur.

v. 9.

Anno Ezechiæ quartodecimo ascendit Sennacherib Rex Assyriorum ad universas civitates Juda munitas, & cepit eas. Non ante quartumdecimum, quia nec ante hunc annum Assyriorum jugum

[illegible]

A gum excusserat, nec enim antequam Philistæos subjugaret, singularem erga se Dei providentiam, & favorem expertus fuerat. Etenim quum postmodum in Judæam irrupisse Assyrium intellexit, & occupasse fere universam, jamque motis castris ad sanctam civitatem properare, periculi magnitudine perterritus hostem potentissimum placare conatus est, soluta, quam ille B imposuerat, mulcta talentorum auri triginta, & trecentorum argenti: quibus ille acceptis, pactam fefellit fidem, & quam spoponderat, pacem negavit, jussitque Rabsacem cum parte exercitus Jerosolymam interim antecedere, dum ipse Rex Lachis munitissimum oppidum expugnaret. Allegoria. Si quidem piam animam repræsentat sacra Deo civitas Jerusalem, consequens est, ut in ejus Rege Ezechia C mentem, Diabolum in Sennacheribo adumbrari dicamus. Quod ergo sequitur, anno quartodecimo regni Ezechiæ Sennacheribum ejusdem ditionem invasisse cum immenso exercitu, significat, tum vero hominem quemque ab adversariis potestatibus acerrime oppugnari, quum adolescens ætas ab anno quartodecimo in quintumdecimum agitur.

D v. 17. *Misit autem Rex Assyriorum Tharthan, & Rabsaris, & Rabsacem de Lachis ad Regem Ezechiam cum exercitu valido Jerusalem, & steterunt in ascensu piscinæ superioris, quæ est in via agri fullonis.* Hinc Rabsaces magni animi, vocisque contentione Solymitarum fidem sollicitare aggressus est, Assyriorum quippe adventu trepidi ad E muros concurrerant frequentes. Allegoria. Ager fullonis dicebatur locus ex eo, quòd in proximo lacu fullones pannos purgare solebant. Ascensus ad piscinam in summo positam, semitam designat, quæ ducit ad mysticas aquas, quibus piæ animæ stolas suas lavare cupiunt; per ardua namque illuc enitendum est, nec citra laborem, & pugnam: obsi- F dent quippe viam Assyrii, invisibiles scilicet hostes, qui subeuntibus infesti perpetuo imminent, & adversantur, quominus ad mysticum lavacrum evadant.

v. 19. *Dixitque ad eos Rabsaces, loquimini Ezechiæ: Hæc dicit Rex magnus, Rex Assyriorum. Quæ est ista fiducia,*

[illegible]

A cia, *qua niteris*? Rabſaci propoſitum erat, Judæis deditionem perſuadere, & quoniam ſciebat, eos auxilia ab Ægyptiis ſperare; & ſi quidem iſta negarentur, Dei nihilominus ſui potentiæ, & virtuti confidere: utramque ſpem inanem, & futilem eſſe, contendit. Et Ægyptium quaſſatam arundinem appellaſſe contentus, totus incumbit in hoc, ut probet temere B oſtentari ab Ezechia Dei ſui potentiam. Simili quippe ſpe deceptos fuiſſe ſuis a Regibus populos bene multos, quos expreſſis nominibus diſtinctè enumerat: ſed poſtmodum ſuccedente contra, quàm ſperaverant, rerum exitu, imbecillitatem Deorum ſuorum ſero tandem comperiſſe; quo poſtremum concludat: nullam ulli uſ- C quam gentium Deo ineſſe virtutem contra Regem Aſſyriorum. Allegoria. Dixi, Sennacheribum Diaboli fuiſſe figuram, dictis optime congruunt, quæ hoc loco Rabſaces vel impie in Deum jactat, vel fraudulenter populo promittit, illi quidem ſummæ potentiæ laudem detrahendo, huic vero pollicendo terram pingui ſolo, & ubere proventu fortunatam, D quo demum perſuadeat, regiones ab illo ſibi attributas deſerere, & ad promiſſas ab Aſſyrio ſedes transmigrare. Simili namque artificio Diaboli ſatellites, & emiſſarii ſimplicem animam circumvenire ſtudent; quare inditam de divina providentia opinionem inprimis convellere nituntur. *Multi dicunt animæ meæ*, ait Prophe- E ta, *non eſt ſalus ipſi in Deo ejus*, quibus reſpondet: *placuit mihi adhærere Deo*: *bonum eſt mihi nomen tuum*, *Domine ſpes mea*. Terrenas præterea opes, & brevem carnis voluptatem pollicentur, & inſtant, ut præſentem, & certam futuræ, & dubiæ foelicitati antehabeat, contra quos nos inſtruit Paulus ſcribens: *Nemo vos F ſeducat inanibus verbis*; *propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ*.

Pſ. 72. 28.

Pſal. 3. 3

Epheſ. 5. 6.

Quæ

A

CAP. XIX. v. 1.

Quæ quum audisset Ezechias Rex scidit vestimenta sua. Quod Caiphas ob præsumtam Dei injuriam in passione Domini fecit, fecit hoc loco Ezechias ob veram & manifestam divinæ majestatis violationem. Simulavit falsus Pontifex ægritudinem animi, quam nullam habebat, ostendit pius Rex studium divini honoris, quo maxime flagrabat. Idcirco etiam sacco opertus est, & sacco indutos Helciam & Sobnam, & Sacerdotum seniores ad Esaiam misit, qui Dei Prophetæ factam Deo injuriam renunciarent, & eundem ad tuendum ejus honorem, & procurandam populi sui salutem inflammarent. Respondit Esaias: salva omnia fore Deo propitio, ut nihil proinde ab Assyrio timendum sit. Allatæ postmodum fuere a Senacheribo literæ, quæ legatus pridem effutiverat, confirmantes, quas quum accepisset Ezechias, & ingressus templum ante altare explicuisset, institit orare Dominum, ut propitius fieret populo suo, & superbi Regis infringeret audaciam, & justam causam colentium se, suæque potentiæ confidentium tueretur. Cui Dominus iterum per Esaiam respondit, suorum sibi salutem curæ esse, ac proinde provisurum, ut omnia ad votum cederent, hostium vero motus, & conatus se omnino compressurum. Allegoria. Epistolæ Regis Assyrii, quibus Dei potentiæ impie detrahitur, & illius populo transmigratio in alienas terras suadetur, impiorum hominum scripta designant, quibus hodie quoque tentatur piorum in Deum fides, iidemque sollicitantur, ut Christi Ecclesiam deserant, & ad Satanæ synagogas transeant.

v. 29.

Tibi autem, Ezechia, hoc erit signum: Comede hoc anno, quæ sponte nascuntur, & in anno secundo, quæ ex sponte nascentibus repullulabunt, idest genimina geniminum ultro provenientium. Allegoria. Genimina prima Prophetas, primos divini verbi præcones designant, qui futuram mundi per Christum liberationem prædixerunt. Ex Prophetarum porro disciplina prodiere Apostoli, velut genimina geniminum, qui illam jam peractam nunciarunt. Utrique frugibus sponte provenientibus recte comparantur, quoniam gratis dederunt, quod

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A quod gratis acceperunt; iidem verbo Dei ſcripto ejuſdem populum hoc interim ſuſtentant, dum agitur vita pręſens, quando arcto pane, & aqua brevi nos contentos eſſe oportet. Quæ autem ſequuntur: *Anno tertio ſeminate, & metite, & plantate vineas, & comedite fructus earum*, abundantiam & ſaturitatem futuri ſæculi prænunciant, quando myſteria, quæ in ænigmatibus & ſymbolis Prophetæ, & Apo-B ſtoli nobis exhibuerunt, ipſa in ſe clare videbuntur: tum vero juſtitiam eſurientibus, quaſi ex area plena, affluet annona ad ſatietatem, & ſitientes inebriabuntur, velut exundante è turcularibus muſto, ſicut Propheta ait: *Inebriabuntur ab ubertate domus tuæ, & torrente voluptatis tuæ potabis eos.* Pſ. 35. 9.

Et quodcumque reliquum fuit de domo Juda mittet radicem deorſum, & faciet fructum ſurſum. v. 30. C Illi, inquit, Prophetarum, & Apoſtolorum alumni radices deorſum agent, & ſublimes ſe a terra attollent, & florebunt, & dabunt fructum juſtitiæ. Judæorum ſiquidem reſidui Prophetarum oraculis eruditi, & Apoſtolorum prædicatione, & miraculis convicti ad Chriſtum converſi ſunt, qui quidem radices deorſum miſerunt, quatenus eidem in baptiſmo conſepulti ſunt, D & altis velut radicibus ſuſceptam in nova regeneratione fidem complexi, expanderunt ramos, ideſt longe, lateque Evangelium promulgarunt, & uberrimum fructum protulere, gentium videlicet converſionem. Quod tamen hic typice Eſaias inſinuat, alibi perſpicue declarat, ubi Deum ita loquentem inducit: *Mittam ex eis, qui ſalvati fuerint ad gentes in mare..... & annunciabunt gloriam meam gentibus.* Eſ. 66. 19. E

Factum eſt igitur in nocte illa venit Angelus Domini, & percuſſit in caſtris Aſſyriorum centum octoginta quinque millia. v. 35. Nocte, inquit, illa, quo oſtendat Deum haudquaquam in longum aliquod tempus ſententiæ ſuæ executionem diſtuliſſe, ſed quæ vel Ezechiæ proſpera ſpoponderat, vel Sennacheribo comminatus fuerat adverſa, ea F ipſa nocte intuliſſe. Copias itaque, quas ad oppugnandam urbem, ingentes Aſſyrius ducebat, unius Angeli opera intra unius noctis ſpatium diſſipavit, interfectis centum octoginta hominum millibus. Rex aperiente ſe die contemplatus tantam hominum ſtragem uno velut momento peractam, nullo ſtrepitu,

pitu, nullove antea prævifo, aut comparente auctore, exhorruit, hæsitque tantisper stupenti similis. Mox trepide collecta, quæ supererat militum manu, celeritate, qua potuit maxima, tota Judæa excessit, & quod etiam Propheta prædixerat, eandem, qua venerat, viam magnis itineribus remensus, ignominia & confusione plenus Niniven in sua se recepit. Ibi a suis oppressus, morte non sua periit: differendum quippe fuit insignis rei supplicium, ut idem, qui divinæ potentiæ detraxerat in acie, in fuga fieret ejusdem testis & præco. Præterea æquo & justo consentaneum fuit, ut qui Deum patrem omnium nostrum scelerate offenderat, paternæ injuriæ ultores filios haberet suos. Interea Ezechias, comperta Assyriorum fuga, castra diripuit. Et vero credibile est, inde collegisse ingentes illas opes, quas secundus Analium liber enumerat, magnam scilicet auri, argentique copiam, & aromatum & armorum universi generis, & vasorum magni pretii: quum admodum verisimile sit, Assyrios secum in castris repositam habuisse immensam illam prædam, quam ex devictarum gentium spoliis contraxerant. Subdit hic Annalium liber: Ezechiam pium cæteroqui principem in ea rerum prosperitate sibi minime constitisse: nec agnovisse Dei beneficium ea, qua par erat, submissione & grati animi sensu: quare is animi tumor corporis ægritudine postmodum curari debuit. Et addit simili ingrati animi vitio populum pariter laborasse, vindictam nihilominus Deum suspendisse, dum vixit Ezechias.

2. par. 32. 27

Quumque adoraret in templo Nesroch Deum suum, Adarmelech, & Sarasar filii ejus percusserunt eum gladio; & fugerunt in terram Ararath. montes sunt in Armenia, iidem, qui & Carduoi alio nomine dicuntur, ad quos Noë arcam applicuit. Umbram hic intuere futurorum: quod enim Dominus Judæis objecit: *Vos ex patre Diabolo estis*, id enimvero omnibus nationibus probrum commune accidit, quæ Diabolum quasi patrem habebant, quandiu colebant ut Deum. Postquam vero ad Christum conversæ sunt, conversa simul acie contra patrem mendacii dimicarunt contrariis præteritæ conver-

v. 37.

Jo: 8. 44.

[illegible]

A versationi moribus, illumque occiderunt, eoque interfecto, ad terram excelsam spiritualium Carduorum intelligibiles montes obtinentium fœliciter evaserunt.

[illegible]

Cap. XX. v. 1.

IN *tempore illo ægrotavit Ezechias usque ad mortem*. Dixi causam hujus ægritudinis fuisse animi elationem, fœlici quippe rerum successu delinitus B Rex cæteroqui bonus a via tantisper retrocessit, donec superveniente morbo correctus se suis moribus restituit. Quamobrem, quum æger a Propheta propinquæ mortis nuncium accepisset, non Medicorum operam quæsivit, aut illorum arti confisus est: quod in Rege Asa Scriptura reprehendit, sed ad exorandum Deum pie se convertit.

v. 3.

Flevitque Ezechias fletu magno. C Lacrymarum causa non ea sola fuit, quod Regi jucundum esset vivere, sed quod sine hærede mori nimis grave videbatur; optabat enim regnum manere suis. Præterea quum bene nosset Esaiam parenti suo Achaz Virginis partum prædixisse, prolemque ex illa nasciturам Emmanuelis sortituram nomen & dignitatem, in eam D cogitationem, spemque descenderat, fore ut Christus circa hoc tempus adveniret: cupiebatque dici Messiæ matris pater: compertum quippe aliunde habebat, ex Davidica stirpe eumdem fore nasciturum.

v. 7.

Dixitque Esaias accipiant massam ficuum. Confectum ex ficubus cataplasma, ex cujus applicatione curatio Ezechiæ cœpta est, Emmanuelis E naturam nostram assumentis incarnationem figuravit, ex quo enim Deus ad carnem se inclinavit, & applicuit, humanæ naturæ ægrotantis ulcera coalescere cœperunt. In ficubus ergo agnosce Christi proavos, ex quorum carne languoris nostri medicina facta est. Congruenter vero Scriptura subjungit: post tertium diem ægri curationem perfectam fuisse, ut in F templum Domini ascendere potuerit: nec enim Christus ante tertium a sua morte diem mortalitatem nostram resurgendo depulit, factus ipse *primitiæ dormientium*, ascensumque paravit in templum non manufactum. Nam dicit Apostolus: *Conresuscitavit nos Deus, & consedere nos fecit in cœlestibus in Christo Jesu*.

1. Cor. 15. 20

Eph. 1. 6.

ꝟ. 10. *Parum est umbram crescere decem lineis : nec hoc volo , ut fiat ; sed ut revertatur retrorsum decem gradus* . Eo igitur temporis intervallo , quo Ezechiæ ægrotanti medicina parabatur , Sol repetito cursu ad duas supra triginta horas diem protraxit : dum per decem eo regreditur unde retroactus fuerat , quibus si decem alias horas adjungas , quibus naturali cursu eo venerat , unde extraordinario motu postmodum se retrotulit , horas tricenas habebis in summa . Duæ autem horæ postremæ vesperam ejusdem diei implent , & diem absolvunt . Hic porro horarum numerus annos designat , quibus , ut ait Lucas, Christus proficiebat sapientia , & ætate & gratia , ipse enim est Sol justitiæ , qui ægris valetudinem significavit , & exhibuit . Horæ itaque duæ postremæ designant duos annos novissimos , quibus Christus seipsum miraculis & signis manifestavit , & nostræ salutis opus moriendo absolvit , Scripturæ siquidem textui satis consonat , duabus postremis horis ejus diei Ezechiæ sanitatem perfecte redintegratam fuisse . Dictisque optime cohæret , quod dum Ezechiæ ulcus curatur , insuper etiam vita prorogatur præter naturalem sui corporis constitutionem : dicit enim Apostolus : *Non sicut delictum ita & donum* . Quia Adam non modo peccatorum sordibus & morbo per Christum liberatus fuit : sed insuper vitam etiam cœlestem terrenæ conditioni indebitam accepit : Christus enim peccatorem hominem absolvit , eundemque hæredem & filium dixit, post quam *mortuus fuit , & revixit , periit & inventus est* .

Luc. 2. 52. — *Rom.* 5. 15. — *Luc.*

Duo-

A B C D [illegible]

[illegible]

A

[illegible]

B

Bbbb 2

CAP. XXI. v. 1.

Duodecim annorum erat Manasses, quum regnare cœpisset, & quinquaginta quinque annis regnavit in Jerusalem. Ezechiæ Manasses filius successit, cujus execranda scelera hic Scriptura retexit, pœnitentiam in libris Annalium. Manassis porro impudentia eo projecta est, ut Summi Dei templum in delubrum idolorum converterit, tanta fuit crudelitas, ut civitatem Jerusalem Justorum, & Prophetarum sanguine implevisse dicatur

 usque

[illegible]

S. Jacobi Edess. Schol.

In tempore illo misit Merodach filius Baladan literas, & munera ad Ezechiam. Arcanus latet hic sensus, nec cuilibet obvius, sique licet mihi illum proferre, sic accipe. Scriptura narrat, quæ legis, Regem Babylonis Merodach gratulatorias literas, & dona Ezechiæ perferenda designasse, postquam intellexit, eundem ex gravi morbo convaluisse; tametsi nullum hactenus inter eos necessitudinis, aut amicitiæ vinculum, signumve intercessisset. Factum quidem exposuit, causam vero reticuit: fuit autem ejusmodi. Solem Chaldæi colebant, hunc habebant Deum, magnaque religione observare solebant. Inde Merodach eum morem hauserat, legemque sibi fecerat, ut Solem adoraret ter quotidie, mane scilicet meridie, ac vespere. Accidit interea, ut per eos dies, in quos Ezechiæ incidit morbus, dum Rex post supplicationem matutinam, atque meridianam, ineuntem vesperam diei perspectat, ut tertiam de more perageret, Solem observaret præter omnem naturæ legem retrocedentem, mox converso cursu ad punctum, unde discesserat, remeantem. Hinc statim incessit ardens cupido discendi veram ejusmodi novitatis causam. Quum ergo rationem ejus portenti disquirerent Rex, & Sapientes Babylonis, atque Populus universus hoc ipsum miraretur, & loqueretur, Judæi in urbe commorantes, rei in Judæa gestæ certiores facti per literas, renunciarunt: ejusmodi signum Ezechiæ Regi divinitus exhibitum fuisse, per idem tempus ægrotanti, quo intelligeret: præsenti morbo se eodem die convaliturum; nec spem eventum fefellisse. Rursus ipsum hoc factum confirmabant eorum gentiles Hebræi, in urbe Ninive exules, quo nuper a Salmanasar abducti fuerant, perque totam Assyriam vulgaverant, adeo ut Rex de rerum gestarum fide sibi nullatenus ambigendum esse putaret: ergo Legatos Jerosolymam proficisci jussit, qui suo nomine redditam Regi salutem gratularentur, simul epistolam, & munera deferenda dedit, & vicissim petiit ejus prodigii explicatam, & certam narrationem. Et vero quum ambo communem haberent hostem Assyrium, amborum perinde intererat, talibus officiis mutuam inter se societatem, & amicitiam colere.

usque ad summum. Ea morum depravatio inde præcipue manasse videtur, quod mortuo optimo parente duodennis puer viris impiis, & novarum religionum cupidis educandus traditus fuit, quod ne Joæ in simili casu olim contingeret, caute providit Joada summus Sacerdos. Enimvero quandiu hunc moderatorem Rex habuit, optimus fuit, pessimus evasit, postquam Pontifice rebus humanis sublato, improborum quorundam populi principum arbitrio commissus fuit: tunc mores, & religionem mutavit, idola coluit, & Prophetas occidit, quæ omnia Manasses fecit. Unum tamen inter utrumque observa discrimen: quod Joæ initia bona fuere, malus finis, Manassis contra pessimus vitæ cursus, non malus exitus fuit.

v. 13. *Extendam super Jerusalem funiculum Samariæ, & stateram domus Achab*: idest quemadmodum Salmanasaris Assyrii opera Samariæ regnum everti, & Jehu Regis Israel gladio progeniem Achabi funditus extirpavi. Sic Babyloniorum Regem Nabuchodonosorem designavi civitatis Jerusalem eversorem crudelissimum, qui urbem & regnum tantis afficiet malis, ut quicumque audierit, tinniant præ stupore ambæ aures ejus.

v. 19. *Viginti duorum annorum erat Ammon, quum regnare cœpisset, duobus quoque annis regnavit in Jerusalem: fecitque malum in conspectu Domini, sicut fecerat pater ejus.* Adeo Ammonem nihil moverunt vel parentis pœna ne peccaret, vel pœnitentia, ut peccata corrigeret. Nec vero licuit procrastinanti, quum in ipso flore ætatis, & limine principatus a servis per insidias interfectus fuerit.

CAP. XXII.

v. 1. *Octo annorum erat Josias, quum regnare cœpisset: fecitque Josias, quod placitum erat Domino* per unum, & triginta annos, quibus regno præfuit. Anno itaque ab inito principatu duodecimo mundare cœpit Judam, & habitatores Jerusalem: quare introductas a Manasse novas religiones sustulit, fanaque & aras subvertit. Anno autem octodecimo Templi expiationem, & reparationem Sacerdotibus injunxit; Artifices conduxit, saxa, ma-

[illegible]

A materiam, & cætera ædificio utilia congessit, pecuniam ad necessarios sumptus exhibuit, pium proavi sui Joæ in simili casu studium religiose æmulatus. Nec vero ea templi restauratio nunc minus necessaria erat, quam tunc fuerat, quippe quod per annos quinquaginta, quandiu regnavit Manasses, qua neglectum, qua profanis usibus addictum manserat.

B *Ierunt ad Holdam Prophetidem uxorem Sellum filii Techuæ, quæ habitabat in Jerusalem in Repetitione*, erat is locus ad populum docendum destinatus. Eo itaque tempore, quo Sacerdotes templi reparationem curabant, volumen legis ibidem repertum est, Regique oblatum, etiam lectum fuit: quumque ad eum locum ventum esset, C ubi Legislator transgressoribus gravissimas pœnas comminatur & horribiles prædicit calamitates, ingens metus incessit omnes, ne, quæ suis majoribus denunciatæ fuerant pestes, & frequenter etiam immissæ, sibi nec immeritis incumberent, quippe qui multo graviora crimina perpetrassent. Quocirca Dei oraculum consulere decreverunt, missique fuere ad Holdam D Prophetidem Sacerdotes. Respondit illa; etiam cito obrutum iri Judæos cunctis calamitatibus eo volumine contentis, Regem vero ob eum, quem tunc ostendebat pietatis sensum, ad patres suos singulari Dei providentia mature colligendum, nec populi sui interitum esse visurum. *v. 14.*

[illegible]

E ET *ait Rex: Quid est signum illud, quod video?* Quoniam Josias idololatriam funditus extirpare statuerat, omnia ejus instrumenta, vel monumenta destruxit, ut supra ex Scriptura referebam, quodque mirum fuit ab Ezechia retrohabitum fuisse, delubra circa regiam urbem extantia, olim a Salomone Diis Sidoniorum, Moabitarum, & Ammonitarum excitata subvertit, statuas contrivit & F succidit lucos, opplevitque loca illorum ossibus mortuorum. Hinc porro ad Samariæ Regum quondam ditiones progressus, fanum a Jeroboamo in urbe Bethel ædificatum diruit, & aram superjecto combustorum cadaverum cinere polluit; quod olim ipsi Jeroboamo prædictum fuerat, designato etiam *CAP. XXIII. v. 17.*

etiam ex nomine ejus delubri, & altaris eversore. Quum ergo hæc circa urbem Bethel Josias agitaret, & omnia circum idololatriæ vestigia scrutaretur, insigne quoddam sepulcrum conspicatus, hæsit tantisper, & ait: *Quid est hoc signum, quod video? Responderuntque ei Cives urbis illius: sepulcrum est hominis Dei, qui venit de Juda, & prædixit verba hæc, quæ fecisti super altare Bethel*. Illud porro signum fuit, vel quod tumulus ille reliquis eversis intactus manserat, vel quod species aliqua nova Regi occurrit, qualis in aliis sepulcris non apparebat, Deo istuc disponente, ut dum Rex ejus rei causam curiosus disquirit, audiret ea, quæ prædicta fuerant a duobus illis Prophetis ibidem conditis: indeque nova sibi causa fieret persequendi, quod aliis etiam rationibus inductus agitabat, fuit ergo ille sciendi impetus occulto Dei impulsu excitatus, ut publica Bethelitarum testificatione manifestum fieret Prophetarum vaticinium, idemque præsenti Regis facto fuisse completum Judæi discerent, indeque intelligerent, quo ille instinctu ageretur ad extirpandam idololatriam parentum, & Regum suorum moribus receptam, & communi omnium gentium consensu firmatam.

v. 29. *In diebus ejus ascendit Pharao claudus Rex Ægypti contra Mabugh ad Euphratem*. Quum Josias Pharaoni, cum exercitu Assyriam petenti, ac transitum per Judæam poscenti negaret, vimque intentanti occurrisset armatus, commisso prælio a Sagittariis confixus occubuit. Hunc scilicet exitum tulit Rex optimus Josias primum, quia eo bello se temere implicuerat, non explorata ante Dei voluntate, sed & ab Ægyptio monitus, ut desisteret non acquievit, inquit Scriptura, *Sermonibus ejus ex ore Dei*. Rursus, quia statuerat Deus pium Regem ad patres suos quamprimum colligere, sicut per Holdam Prophetidem ipsi significaverat, ne stirpis, & gentis suæ captivitatem, atque civitatis Jerusalem excidium spectare superstes cogeretur.

2. Pa. 35. 25 *Et luxit Jeremias Josiam, & dixit. O vos omnes Justi, & Justæ in vestris lamentationibus super Josiam flete. Et usque in præsentem diem tradi-*

[illegible]

A *didit lamentationes filiis Israel in testamentum , & hæ scriptæ sunt in libro lamentationum .* Josias namque juris & justi disciplinam restituit , quæ ab ipso primum vindicata ad annos quinquaginta septem , etiam post ejus obitum viguit .

Josia rebus humanis defuncto regni gubernacula suscepit Joachaz , quem mense ab obitu parentis tertio B Pharao Judæam cum exercitu ingressus vinctum in Ægyptum secum abduxit , ibique ad obitum usque detinuit , regnum Joakimo fratri detulit . Hunc porro post annos undecim Nabuchodonosor Babylonius captum Babylonem transtulit una cum Daniele ejusque sociis , jussitque regnare Joachin filium . Sed & hunc tertio post C mense misso in Judæam exercitu solio dejecit , mox etiam in Caldæam abstraxit , Regis casum sequuti sunt Regina , regnique proceres & Præfecti militiæ , atque Ezechiel Propheta . Nepoti patruus Sedecias suffectus est Regum Juda postremus , qui anno regni undecimo è fuga retractus , & oculis orbatus Babylonem in vinculis perductus est . Bello eodem Jerusalem D post triennalem obsidionem capta est , & eversa , templumque incendio concrematum , sacra vasa direpta , incolæ in Chaldæam migrare compulsi , ac servitutem pati durissimam & diuturnam ad Occasum usque Babylonici imperii , & Persici initium , donec compleretur ille Prophetæ Jeremiæ sermo : *Et erit universa terra hæc in solitudinem septuaginta annis .* 25. 11.

FINIS

TOMI PRIMI SYRIACI, ET LATINI.